HOMILIAE







CAMVS II

Empty h 4



HOMILIÆ
DE
PASSIONE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

Auctore

REVERENDISSIMO DOMINO,
D. IOANNE PETRO CAMVSIO,
Episcopo & Domino Bellicensi,

HABITAE AB EODEM IN ECCLESIA
sua Cathedrali, Anno 1616.

Latinitate donata à MATTHIA MARTINEZ.



COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud IOANNEM KINCKIVM,

ANNO M. DC. XXI.

Erem Camaldul

ppe Varsaviam

R

D. I

PI

E FAN

Conu

SEREN

RIS APVI

sem in

Has D

Ioan



potes no

dextris,i

pus est ,

verè D

pulpito

Tecum

cum illo

Reuerendiss. Domino,

D. IOANNI PILCKINGIO

S. Theol. D.

E FAMILIA S. FRANCISCI Conuentuali, Episcopo Cardicensi,

SERENISS. PRINCIPIS ELECTORIS APVD DIOECESIN PADERBORNENsem in cæteris æquè ac Pontificialibus Fiduciario,

Has De Passione D. N. Iesu Christi

L. M. C. D. Q.

Ioannes Kinckius Bibliopola.



Am scio, quàm ames, Domine Reuerendiss. probesque illas Camusij Tui homiliares musas. Non potes non: à mente sunt & manu dextris, imò ab ore: & ipse Episcopus est, atque in hoc Mundi nunc verè Deserto Clamantis è sacro pulpito quotidiana Vox: vtrumque Tecum commune habet, aut Tu cum illo. Neque enim nulla causa

Te potiſsimum Sibi voluit in vices eſſe Princeps cordatiſsimus & oculatiſsimus. Sanè merebaris olim iam; & hic honor, qui citò nimis Tuæ voluntati venit, tardè meritis. Pergis vti, & imples ſpem cum gaudio Principis, cum fructu Populi, cum formatione Cleri, ac tutela. Ita perge; & hoc nunc à me leuidenſe ſanè munuſculum animo, quo me ſoles, accipe, & in fauoris Tui ſinum admitte. Coloniæ Agrippinenſium 20. Martij 1621.



AD SENATUM POPULUMQUE BELLICENSEM

PRAEFATIO.



CArissimi in Domino, contrà planè mihi contigit atq; olim Ionæ Prophetæ. Mittebat hunc Dominus, vt in Niniue prædicaret; sed cum hoc ille mandatum à se excutere conatur; ecce, huc illum inuitum tempestas compellit & balena in Niniuen euomit. Ipse rogatus & violentis multorum eram precibus adactus, vt per nupera quadragenarij ieiunij tempora in magna Galliç nostræ Niniue, verbi diuini sementem spargerem, sed motuum illorum, à quibus funestum nobis & ciuile bellum im-

minebat, tempestate, periculosam itinerum difficultatem promissis opponente meis, factum, vt quod destinaram exequi minimè potuerim.

Homo scilicet proponit, Deus disponit, qui felici quadam necessitate apud vos in residentia & diœcesi mea me detinuit, quam (vt fatear quod res est) nonnisi ægerrimè & inuitus relinquebam. Quid enim eo faciam loco, quo quod faciam nihil est; & quid inde me subducam, vbi negotij mihi plurimum? cùm propter oues regionis illius nō sim missus, sed huius quæ curæ meæ & custodiæ concreditæ sunt, si quidem illic messis ampla est, plures etiam sunt operarij; hîc porro & messis multa, & operarij adeo infrequentes, vt me absente omnia propemodum iaceant & obmutescant.

Nihil hîc de innumeris illis vtilitatibus dico, quas afferre secū Prælati solet oculus & præsentia: verū annon æquissimū est, vt si quid is habet panis, suis id filijs frangat potius, quàm alienis; si quid lactis, id inter oues suas distribuat; si quid sementis & exactioris culturæ, in suum id agrum conferat; si quid industriæ, id vineæ impendat, quam illi Deus Opt. Max. commisit.

Et sanè non sine singulari quodam diuinæ

uinæ prouidentiæ nutu factum arbitror, dilectissimi, vt me iam Româ, quo me, villicationis meæ sextennis rationem apud summum Ecclesiæ Hierarcham redditurus, contuleram, reuerso, ipsi non modo de pœnitentia vltimo hoc Aduentu habitas Homilias, verùm etiam has in Quadragesima dictas haberetis; vt eo plus mihi suppeteret temporis, ad myrrham primam manibus meis defluentem, & rorem de cincinnis capitis mei deciduum, quem è tot Martyrum, quibus inclyta illa vrbs & gloriatur & triumphat, sepulcris ipse collegeram, in vos dispertiendum.

Sanctus Canticorum sponsus, qui liquores hos suaueolentes nonnisi obiter ac velut per transennam dilectæ suę communicabat, plus mihi quàm momentum ad hos vobis effundēdos voluit temporis concedere, quo in corda vestra penetrarent profundius. Vota itaque Vestra, & desiderium meum quoad hanc meam apud vos mansionem, quam fortunati cuiusdam infortunij & publici incommodi in hac singillatim re commodi remora causata est, video esse exaudita.

Benedictus sit itaque clementissimus

Dominus, qui hoc me tempore ſuper gregem meum excubare, circum ouile hoc obambulare, ipſumque coram luſtrare, nauis huius clauum moderari, & ſi quos in eo cernerem defectus, corrigere paſſus eſt, vt pote cui exactiſsima reddenda incumbit ratio omnium quæ eodem continentur, animarum, vt cum magno dicere queam Apoſtolo, tam ab-
2. Cor. 11. ſente, quoad corpus, præſente autem quoad ſpiritum, quàm præſente quoad corpus & ſpiritum: *Inſtantia mea quotidiana*, Eccleſię huius fuit ſolicitudo, cuius ipſę me obſequio deuotum & deuinctum agnoſco, vt in ea diuinarum agam voluntatum interpretem.

Sanctus amor, quo veſtram ardeo ſalutem, qui partem quandam mei conſtituit, adcò me incendit & occupat, vt qui ab vberibus vos meis diuelleret, à centro me meo quodãmodo ſubmoueret. Quotieſcunque grata Pariſiorum, patrij ſoli mei, memoria ac recordatio blanda quadam imagine animum meũ titilla, illico in intimis cordis mei penetralibus, illud Dei olim Abrahæ datum, monitum reſonans audio: *Egredere de*
12. Gen. *terra tua, de cognatione tua, & veni in*
Pſal. 44. *terram quam monſtrabo tibi*, nec non illam
Luc. 4. Dauidis parænesin: *Obliuiſcere domum pa-*

tris

tris tui, si amari à me velis, quin imò illud Verbi æterni oraculum, *Nemo propheta* Ioan 4.
acceptus est in patria sua. Hæc verò exẽpla, Gen.. 26.
me tangũt, Iacobi & Iosephi, terra Cha Gen.39.
naan propter Mesopotamiam & Aegy- Exod.2.
ptum egredientium, Mosis quoque Ae- Matth. 2.
gyptum deserto postponentis, deserto Luc. 3.
inquam, in quod Saluatorem Spiritus di- 3.Reg 61.
uinus duxit & è quo super Ioannem Baptistam, Ecclesiæ nostræ Cathedralis titularem & tutelarem de summis cælorum facta vox est. Elias Hierosolyma egrediens in solicitudinem abit, in qua subtus opacos Inniperi dormitans ramos, ab Angelo commonetur, vt in montem confugeret Oreb, in quo Deum videre meruit.

Meam itaque vrbem, quoddam velut orbis epitomen, postponens, quo per sacra hæc ieiunia in hisce locis obscurioribus & infrequentioribus commorarer, *sub desideratæ* crucis *vmbra* requiescens, Cant.2.
per certius aut securius vos iter ad cœlorum habitacula me conducere non posse putaui, quàm per montem Amantium, per montem inquam Caluariæ, in quo Redemptorem nostrum Iesum charitate flammantem, antè paulò conspeximus; inde ipse linguæ meæ batillo, ceu alter quidam Epimenidis nepos, sacrum

ſancti Amoris ignem eduxi, vt eodem corda veſtra accenderem.

Et adeo ad votum meum res hæc ſucceſsit, vt cæcus ſit oporteat, qui non videat, quantum in pietatis exercitijs & deuotione, quam diuina hæc materia excitauit, ciuitas veſtra progreſſum fecerit. Quod ad Dei gloriam dico, vtque promerita veſtra, à me laudata, adaugeantur, deque *virtute in virtutem eatis, vt Deum deorum* tandem *in Sion* monte ſancto eius *videre* mereamini.

Pſal. 83.

Vix hanc pertractare materiam, (quæ ſine controuerſia inter omnes quæ ex Euangeliis depromuntur & pulcherrima & fœcundiſsima eſt) cæperam quin ilico animæ multæ ſpirituales, quæ iam Deo dante pennas aſſumere, columbæ cæperant, quibus ad crucifixum Dominum noſtrum euolent, ſumma à me contentione extorſerunt, aliqua vt ſibi monumenta & memoralia conſcribendo erigerem, quibus memoriam ſibi quodammodo refricarent eorum quę pro ſuggeſtu ex ore meo audierant, & ad illa, ſi quãdo opus haberent, recurrerent. Quod haud difficulter, imò vero velut ludibundus & animi gratia, faciebam, aliquot per diẽ horas functionibus muneri meo quotidianis ſubtrahens, quibus compẽdio & sũmatim ſcripto illas cõplecterer

ide-

ideas,quæ ex conatione matutina menti meæ recentes etiam tum inhærebant.

Hæc ſcilicet libri huius conſcribendi fuit occaſio & cauſa: in quo quidem ipſam reperietis materiam, nō eam tamē eius formam,quam ex ore meo audiſtis, idque propter velocitatem,quæ,vt teſtatur pſaltes *linguam* meam velut *calamum* Pſal. 44. *ſcribæ velociter ſcribentis*, vno eodemque tempore & manu,& ore vtentis,ſtylo inquā ſimul & elocutione: in quo gallinæ illum aſsimilauero,pullos ſuos & pennis & roſtro protegenti.

Si modo munda ſitis animalia, hæc pauca quæ vobis oſtero foliola, prout oportet,ruminabitis & remandetis, quibus ſi animum applicueritis, ſalutarem vobis hinc ſuccum elicietis: atque hi caracteres,per oculos ingredientes,bonos ſanctoſque illos in cordibus renouabūt affectus, qui vocis meæ adminiculo aures antè veſtras ingreſſi, ob labilem memoriæ fragilitatem, iam fortè in auras euanuiſſent.

Vtinam verò,Deo dante,tā benignos vos experiar lectores,quàm ardentes aſſiduoſque expertus ſum auditores; ne id ſcilicet meo denegetis calamo,quod linguæ haud grauatè conceſsiſtis, minus nimirum per oculos veſtros vtilitatis haurire cupientes, quàm auri-

ribus

ribus antè cepiſtis! Liber hic quotidianã aſsiduamque meditãdi vobis materiam ſuppeditet, hanc ſiquidem ob cauſam ſtudio daraque opera ita eundem contraxi, vobis eius dilatandi extendendiq́; poteſtatem faciens.

Multos de infinita hac ſemperq́; noua eamdem tractãtibus materia multo me ſcripſiſſe excellentius non ignoro, ſed neſcio an vllus vobis, cariſsimi, qui hæc pro concione audiuiſtis vtiliùs: dicere namque vobis cum magno Gentium
1.Cor. 4. Apoſtolo poſſum: *Etſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto*, non tot tamẽ *Patres* vos habere. *Vos ego per Euangelium gignere* ſatago in Chriſto Ieſu: & teſtis ipſe mihi eſt, quàm videre vos omnes in viſceribus miſericordiæ eius cupiam: de vobis prægnans ſum, obſtetricis eſſe vobis loco volo, vt ſpiritum ſalutis parere
Gal. 4. poſsitis, in vtero vos ipſe meo geſto, *donec Chriſtus formetur in vobis*.

Vos fratres mei eſtis, ac ſi dicere fas ſit, filij mei primogeniti, atque, vt vetus ille Poeta loquitur *ſpes gregis*. itaque pietatis exemplar, & deuotionis norma eſtote reliquis, qui de hac ſunt diœceſi, & virtus veſtra vbique anunncietur.

Vt enim ſol vel ignis primo illa corpora calefaciunt, quæ propiora ſunt, ac dein-

deinde remotiora; sic ab Episcoporum lumine illustrari, & ab illorum calore calefieri, illas primo par est vrbes, in quibus suam illi sedem figunt, qui deinde ad vicinas & proximas vrbes diffundantur.

Lucerna porro *lucens & ardens*, quam vobis ad mentem illustrandam & accendendam exhibeo, ipse Christus Iesus crucifixus est; hunc tota hac Quadragesima viua vobis voce prædicaui, hoc vero in libro eum vobis exhibeo scriptum & delineatum. Hoc igitur volumen ab ore vestro non recedat, & meditamini in eo dies ac noctes, vt custodiatis, & faciatis quæcunque eodem scripta continentur: tunc scilicet rectas vias vestras facietis, & iter salutis intelligetis. Ad lapidem hunc viuum accedite, etsi ab ædificantibus reprobatum, positum tamen in caput anguli & velut alij lapides viui spiritualis fabricæ vestræ ædificium super hunc fundate & construite.

Ioan 5. *Deut. 29.*

Pro inuicem porro oremus, fratres in Domino dilectissimi, vt saluemur, atque vti ego in orationibus ac sacrificijs meis quotidianis diuinas vobis benedictiones apprecor, sic vos ipse etiam atque etiam obtestor, vt vestris diui-

Iac. 5.

diuinam miſericordiam precibus im-
ploretis mihi qui omnium veſtrûm me
conſerunm in Domino , & indi-
gnum Epiſcopum profi-
teor.

IOANNES PETAVS.







DE

DO

Ha

D. IO

FE

De



minica Pa

li tempore

agere con

videatur *l*

mne domum

In homi

me impule

tera facilè

gendum, 2

Camui



HOMILIÆ DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Habitæ à Reuerendißimo Domino,

D. IOANNE PETRO CAMVSIO

Episcopo & Domino Bellicensi.

FERIA IV. CINERVM.

De vtilitatibus Dominicæ Paßionis.

HOMILIA I.



RAEDICAEMVS Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei sapientiam. De hac Dei virtute & sapientia, quę in Dominica Passione continetur, toto hoc Quadragesimali tempore, pœnitentiæ agendæ destinato, apud vos agere constitui, carissimi Bellicenses, si modo *patri* videatur *luminum*, à quo *bonum omne descendit, & omne donum desursum est.* 1. Cor. 1. Iac. 1.

In homilię hac præambula declaraturus sum, quæ me impulerint causæ ad hocce argumentum, inter cętera facilè pulcherrimum & excellentissimum, seligendum, 2. quos inde colligere fructus & commoda

liceat, 3. quantæ ipſum dignitatis ſit & excellentiæ 4. quam pietatem ſpiret. Stadium ingredior.

1. Moſes cùm in tabernaculi conſtructione rei difficultatem animo proſpiciens, aliquantulum præpeditus hæreret, dicentem Deum audijt, *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Sic cùm anceps ipſe fluctuarem animo, & dubius hærerem, ecquam nam hoc ſancto pœnitentiæ tempore materiam ſeligerem, quæ vos, fratres cariſsimi, ædificaret, conſiderarem que mecùm, quonam *corda veſtra* modo *templa ſancti Spiritus*, & *Dei* viuentis *tabernacula* redderem; quot olim mente Moyſis ideæ & inuentiones obuerſabantur, totidem eximia pulchraque ingenio meo argumenta occurſabant, & ea propè non pauciora numero, quàm ſint cineres, hodie frontibus veſtris ab Eccleſia inſperſi. ſed occultam quandam inſpirationem in penito pectore mihi videor percepiſſe ſuggerentem, vt illam cordibus veſtris inſculperem imaginem, quæ mihi in monte Caluariæ monſtrata erat, Ieſum inquam ſanguine purpuratum & crucifixum.

Exod. 25.
1. Cor. 6.
2. Cor. 6.
Pſal. 83.
1. Cor. 2.

2. *Nihil* iam poſthac *inter vos* cariſsimi, *ſcire* volo, *quàm Ieſum, & hunc crucifixum*: &, *mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Prædicare* duntaxat volo *Ieſum Chriſtum crucifixum, non in ſublimitate ſermonis ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, id eſt, ſimplici quadam deuotione.

Gal. 6.
1. Cor. 2.

3. Apiculam igitur imitabor, ad omnes volitantem flores, & è thymi amaritie & acredine ſapidum ac dulce mel ſuum componat. Vnde Poëta:

Virgil. Eclog. 5.
4. Georg.

——*Dumque thymo paſcentur apes*, &
Redolentq́; thymo fragrantia mella:

ſic ipſe, inter omnes viridarij ſacræ ſcripturæ, quæ ceu *hortus concluſus* eſt, flores, amarum, thymum, vel terebinthi crucis Tau, è qua *flos campi* dependet, ſelegi: e cuius amaritudine ſuauem quendam deuotionis eliciemus liquorem, ceu *mel de petra* vinæ Ieſu Chriſto, *& oleum de ſaxo* illo & *lapide angulari, reprobato*, ſed *fundamentali.*

Cant. 4.
Cant. 2.
Bern. ſer. 2. de Pent.
Deut. 12.
Pſa. 117.

4. Hanc

4. Hanc ipse, velut alter Iacob, vobis, ô oues meæ, *virgam Israel, virgam directionis* cęlum versus, decorticatam & denudatam proponam, quò vestras variegatâ & polymitâ Iosephi tunicâ, & sponsa cyclade sanctarum inquam virtutum ornamento, animas cóuestiam & insigniam. Gen. 30. Isaia 11. Psa. 44. Gen. 37. Psal. 44.

5. Multæ me quidem rationes ad hoc argumentum deligendum inuitarunt, sed tres alijs potentiùs impulerunt. Prima, quod, cùm sanctos quosdam in vobis excitare affectus cuperem, lapidem hunc, Iesum Christum inquam, cordibus vestris affricare statui, quæ si ferrea sint, velut à magnete, si chalybea, tanquam à lunario attrahentur; aut saltem collisa concussaque, scintillas quasdam eijcient, quibus voluntates vestræ ad redamandum eum, qui *prior* vos ita *dilexit* excitentur. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 4.

6. Ossa leonum ferunt, si ad inuicem collidas, ignē euibrare. Sumus, eheu! per peccata quæ admittimus, immanes quidam leones: hinc sponsus è medio peccantium cœtu nos euocás, inclamat, *Venite de cubilibus leonum.* Dominus quoq; noster, benignns & amás quidam leo est, *Leo de tribu Iuda, radix Dauid.* Ossa itaque nostra semiputrida (*inueterauerunt ossa mea*) cum ossibus illius, (*dinumerauerunt omnia ossa mea*) collidamus; & sancti cuiusdam amoris scintillas eliciemus. Cant. 4. Apoc. 5. Psal. 31. Psal. 21.

7. Charitate animas nostras ad vitam gratiæ resuscitemus, quemadmodum olim viduæ filium Elisæus, cùm ossa eius suis contingeret, resuscitauit; & à carnis & sanguinis fluxu quo laboramus, sanabimur; sicut olim hæmorrhoissa ad vestimenti *sponsi* nostri *sanguinum* contactum ab suo curata est. 4. Reg. 13. Matt. 9.

8. Altera selectionis huius causa est, quòd, cùm vitam hanc quandam esse *lachrymarum vallem*, lacum miseriarum, *lacum sine aquis* consolationis, locum denique afflictionis & mortis cernerem (cùm teste Seneca, *mors, exilium, luctus, dolor non sint supplicia sed tributa nascendi.*) horum omnium malorum consolationem in extremorum, quos nostri causa Redem- Psal. 83.

ptor pertulit, cruciatuum consideratione contineri semper sim arbitratus: idque ex Christiana illa philosophia, quam sapientissimus Apostolorum tradidit, ipse colligebam, dicentis: *Aspicietes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, &c.

Heb. 12.

9. Sic suadebat Socrates, si quando dolores quibus opprimimur, imminutos vellemus, eos cum maioribus aliorum malis conferremus. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* ait Euangelista.

Luc. 23.

10. Quæ minorum molestiarum igniculi ac stellulæ non obscurabuntur, ignominiosorum dolorum, & dolorosarum ignominiarum, quas Redemptor noster pertulit sole splendente? Hanc ob causam aiebat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.*

Matt. 11.

11. Tertia, quæ me ad argumentum hoc sumendum penitus impulit, causa, etsi alioquin ipse indignus sim, & qui idipsum tractem inidoneus, ingens est inde nobis secuturus fructus, si quidem id ego prout oportet, mediter, & vos id accuratè ruminetis. Iesus enim cruci confixus, pharmacopœus quidam est, vel officina potius, omnigenis instructa pharmacis, ad animorum nostrorum morbos curandos necessarijs, ipse vnica quę languores auferre nostros potest, pęnacæa.

12. Adhæc aurifodina quædam charitatis est, è *visceribus misericordiæ* eius ortum habens, & quæ exhauriri nunquam potest (*Charitate perpetua dilexi te.*) & quædam nunquam arescens bonitatis vena, ex dulcis huius sponsi, quæ *vino meliora sunt, vberibus* scaturiens.

Luc. 1.

Ierem. 21.
Cant. 1.

11. Vt autem in emanantibus inde fructibus recensendis vlterius progrediar, dico passione nos discere, 1. vitiũ fugere, 2. virtutes complecti, 3. Deo nos coniungere, 4. hanc ceu patentissimum profluentissimũque canalem esse, quo illius in animos nostros gratiæ dimanant. 5. ei, qui eandem accuratè meditatur, amplissimas concessas esse indulgentias 6. in eius contempla-

templatione miram sitam esse dulcedinem. Hæc singula, ordine quæque suo, dispiciamus, *Et ascendamus in palmam, & apprehendamus fructus eius.* Cant. 7.

1. Docet nos illa peccatum fugere, quis enim superbiam non exuat, ac deponat, viso sponsum suum *humiliatum ad probrosam vsque mortem crucis*, itaque ignominiosè & contemptim habitum, vt inter latrones quasi latronum sceleratissimus pendeat medius? Phil. 2.

2. Quis inuidiam non relinquat, dum mitem illum agnum Iosephum (*qui deducis velut ouem Ioseph*) fratrum suorum inuidia & diuenditum, & in crucem actum videt? Gen. 39. Psal. 79.

3. Quis iram, videns immitem illam carnificum, à quibus tam atrociter habetur, barbariem, non excutiat? *Non vos defendentes, sed date locum iræ.* Rom. 12.

4. Quis opum cupiditati modum non ponat, dum Deum suum adeò inopem, & vermis ad instar nudum, in crucis arbore pendentem conspicit?

5. Quis gulam non refrenet, felle hunc & aceto potatum dum conspicatur?

6. Quis carnales non abdicabit voluptates, Vriæ exemplo, cùm ducem suum Ioab in Caluariæ monte *sub papilionibus* cœli fixum intuetur, ac *calo tectum, quia non habet vrnam*? Quis sectetur delicias & cõmoda, regem suum incommodis oppletum contemplatur? 2. Reg. 11.

7. *Eamus & nos, & moriamur cum eo*, aut saltem, *mortificemus membra nostra quæ sunt super terram*, ac *spiritu ambulemus, & desideria carnis non perficiamus.* Ioan. 11. Coloss. 3. Gal. 5.

8. Sanctorum eius virtutum vestigijs insistamus, &, quantum quidem fas nobis fuerit, illius admiremur, & imitemur, tot inter aduersa & cruciatus patientiam, humilitatem, & mansuetudinem, caritatem, constantiam, omnes denique virtutes, quæ ad palmæ huius, sanctæ inquam crucis, radicem, certatim ac læta segete succrescunt.

9. Ac pretiosum hunc è spirantibus amorem vul-

neribus prorumpẽtem sanguinem, ceu cæmentum tenacissimũ, adhibeamus, quo corda Iesu Christi cordi indissolubili quadã connexione conglutinemus, eiusque *imagini nos configurantes, crucifigamus carnem* (Rom. 8. Gal. 5.) nostram *cum concupiscentijs suis*.

10. *In sanguine* hoc à peccatis commissis nos *abluamus*, & *lauemus stolas* nostras *in vino* hoc *germinante virgines*. (Apoc. 1. Apoc. 7. Zach.) Dixit olim nonnemo, quasdam illum cordibus captandis inuenisse muscipulas & laqueos, qui primùm beneficia inuenisset; quomodo igitur corda nostra à *Charitate* Iesu *Christi* non vinciantur, & capiantur, (2. Cor. 5.) tam præclaro redemptionis nostræ beneficio illaqueata?

11. An non hic fons princeps est, cuius aqua, quotquot sumus, irrigamur? an non sanguis eius *ros ille cælicus*, & *pluuia iusti*, ad quam tam olim ardenter propheta adspirauit? (Isa. 45.)

12. Venite *amici* mei, *& inebriamini carissimi, venite & emite absque argento lac*, & mel *terræ* huius *benedictæ* & promissæ, humanitatis inquam Saluatoris. (Cant. 5. Iere. 25. Isaiæ 55. Psal. 84.)

13. Venite & *haurite cum gaudio* de aquis gratiæ, *è fontibus Saluatoris*, sacris scilicet eius vulneribus. (Isaiæ. 12.)

14. *Hic fons hortorum* est, & *puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu* non *de Libano*, sed de monte Caluariæ. (Cant. 4.)

15. Hæc, scaturigo est, aureas voluens arenas, qua paradisi terrestris, Ecclesiæ nimirum; vndecunque fines irrigantur. (Gen. 2.)

16. Ad hunc vos pœnitentiæ hortum, animæ tenellæ, hortum inquam foliuagis cauernis & rupibus oppletum, in quo sacro hoc tempore concionum resonantia ingeminatis vocibus exauditur, inuito, vt in eo suauiter blandeque emorientem sponsi vestri vocem audire valeatis, inclamantis: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, Caput meum plenum est rore, & cincinni mei* stillant guttis noctium. (Cant. 5.)

17. Ceterùm cum Alberto Magno, magni nominis Theologo, assero, plus vobis è quotidiana passionis huius sanctæ meditatione vel auditu, meriti accessurum, quàm si anno integro in pane & aqua ieiunaretis, quotidie ad sanguinem vsque vos cęderetis, & singulis diebus Psalterium à capite ad calcem decurreretis. Cuius rei ratio est, quòd hæc opera, in quantum exteriora, non tantæ sint ad corda purganda, virtutibusque replenda, & charitate succendenda efficacię, quantæ est attenta sedulaque Passionis Dominicæ meditatio. Scut ad scabiem & impetiginem cutis tollendam non tā molli balneo opus est, quàm sanguinis instauratione & innouatione. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Osee. 2.

18. Insuper noueritis velim piæ memoriæ Pontificem Leonem X. denûm millium dierum Indulgentias concessisse cuilibet, qui Passionem Domini aut meditando percurret, aut leget, aut ab alijs legi audiet.

19. An non hi insignes quidam fructus, *de purpura regis vincta canalibus* promanantes? Can. 7.

20. Sed huc antè disponamini oportet, & in gratiæ vos statu constituite: sicut enim sæpiùs vobis explicui, Indulgentia, quæ pœnam duntaxat respicit, gratiam semper præsupponit, & immunitatem à culpa. Quamobrem, si quotidie tanta hæc lucrari velitis bona, confessione delictorum ad eadem vos præparate: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda* Psal. 94.
vestra; sed parate viam Domino, &c. ponite corda vestra Luc. 3.
in virtute eius. Quænam autem hæc virtus est, nisi, vti thema nostrum proponit, *Iesus crucifixus?*

21. *Spiritui sancto* nolite *resistere*, nolite *sicut aspides surdæ ad vocem sapienter incantantis aures* vestras Act. 6.
obturare: sed, vice versa, dicite: *Paratum cor meum Deus*; & cordium vestrorum terram proscindite & Psal 57.
excolite, vt profundas verbi diuini semen in ijsdem Psal. 56.
radices agat, & *fructus dignos pœnitentiæ* centuplicato producat fœnore. Luc. 3.

22. Passio hæc myrrha est, gustui & sensibus amara, sed odoratui & animo suauissima.

23. Cinnamomum quidem graue est, sed quod fragrantiæ suæ suauitate vigorat & corroborat eos, qui ipsum in Arabia Felici deferunt.

Exod. 15. Iosue 3. Osee 4. 24. Vnusquisque igitur isthanc sancto hoc tempore in humeros crucem accipere proponat. Nos sacerdotes primi Rubrum hoc mare & Iordanem hunc ingrediamur, nam, *vt sacerdos, sic populus*. Eia igitur, omnes simul insigni quadam constantia eam feramus; quippe *leue fit quod benè fertur onus*. Eia, meum est eam annuntiare, & in humeros tollere; *forma factus gregis ex animo*. Eia, in meos illam, & simul vos ipsos, humeros conijcite. (1. Pet. 5.)

Eia agito, mi grex, ceruici imponere nostræ,
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit,
Vna salus ambobus erit.

Phil. 4. 2 Cor. 12. Heb. 13. 25. Quid? an non vobis ego sum oneratus, nunquid mea vos crux estis, *gaudium meum, & corona mea?* *Libenter impendar, & superimpendar pro vobis, tanquam rationem redditurus pro animabus vestris peruigilans.*

Luc. 23. 26. Et vos, eho! oneris esse mei participes vultis: me igitur, care grex, ad Simonis Cyrenei exēplū, precibus tuis in eodē ferēdo, & quadragenarijs hisce concionibus feliciter percurrendis, iuua, noli *in vacuum gratiam Dei accipere*, & verbi illius sementis in aridum ingratumque solum non cadat. *Filioli, quos parturio, donec Christus formetur in vobis; Cupio vos omnes* esse *in visceribus Iesu Christi.* (2. Cor. 6. Gal. 4. Phil. 1.)

III. Gen. 28. 1. Thes. 4. 1. Per nos tantùm stabit, quò minùs per mysticam hanc Iacobi scalam, super quam Deus incubuit; ad summos quosdam deueniamus altitudinis gradus: nam *hæc est voluntas Dei, sanctificatio nostra.*

2. Quanam porrò alia tot viri sancti via ad tam sublimem sanctitatis gradum peruenêre, nisi continua Passionis Dominicæ meditatione? Quid Paulo, ac deinde S. Francisco, postea S. Catharinæ Senensi sacra vulnerum Christi stigmata insculpsit, nisi assidua illa & transformans contemplatio?

3. Fertur S. Franciscus, scire volens quidnam frequen-

quentius & oraret, & in concionis thema assumeret, casu Missale aperuisse, & quidem tertiò; & singulis identidẽ vicibus in verbum *Paßio* incidisse, quod ipse diuinitùs factum existimans, nullum Deo esse didicit argumentum gratius, nullum sibi aut proximo vtilius, quàm de Pasione Saluatoris asiduè & cogitare, & loqui.

4. Cuius rei occasione, venit hîc mihi in mentem responsi illius Demosthenis, inter oratores Græciæ celeberrimi; ex quo cùm quis percontaretur, quænam potisima eloquentiæ pars esset, respondit *Actio*; & quænam secunda, rursus *Actio* subintulit; sic semper vlteriùs roganti responsurus, vt in vna actione reliquas comprehendi ostenderet. Sic ego non minùs verè dicere posse videor, principem facilè sacrarum litterarum partem, ipsam Domini nostri Iesu Christi pasionem videri: hæc enim consummauit omnia, vniuersa huc spectant, huc referuntur; ipsa centrum, ad quod omnes sacrorum codicum lineæ referuntur. Adhæc, oratoris Christiani partem præcipuam, & sub qua reliquæ comprehenduntur, esse, non Actionem, (quę nonnisi *cymbalum tinniens* est) sed Pasionem Domini. 1. Cor. 13.

5. Multi, eheu! *annuntiant Christum*, sed non omnes *crucifixum*: quod colligere est ex paruo qui è cōcionibus sequitur, fructu. Siquidẽ doctrina, acumina, eloquentia, profundi conceptus, auctoritatum productiones, aliæque curiositates, insignes quidem sunt actiones, sed Pasio ipsa multò his maiorem affert fructum: omnia namque feliciter procedunt, quando *abundant paßiones Christi in nobis*. Phil. 1. 2. Cor. 1.

6. Si hæc omnia in me ipse notarem, haud illibenter ea reijcerem: hoc porrò ea reijciam libentiùs, quò minùs eadem habeo, vt in humili ac simplici *amoris mei crucifixi* deuotione me contineam. S. Ignat.

7. Sic scilicet sanctus Martyr Ignatius loqui solebat, qui erga pasionem hanc ita affectus erat, & eius tam studiosus contemplator, vt cordi eius nomen Iesu post mortem insculptum apparuerit.

8. Cordi etiam S. Claræ de Montefalco sacræ huius passionis insignia inscripta profundè post mortem reperta sunt, quod prodigium etiamnum hodie omnium oculis conspici potest. Huic igitur conuenienter sponsus sacer dicere poterat: *Pone me vt signaculum*
Cant. 8. *super cor.*

1. Nos verò, sancta quadam deuotione, quæ in faciendo magis quàm in sentiendo consistit, *illum super brachium ponamus.* Vt in hoc pœnitentiæ nostræ tempore ea faciamus, quæ cum hoc argumento conueniunt.

2. Hîc, omnis est pietatis fons & scaturigo, & qui hinc eam elicere non poterit, vnde eam tandem eliciet?
1. Cor. 16. Et: *Qui non amat Iesum crucifixum, anathema, maranatha.*

3. Eia, succinum hoc exaltatum cogitationum nostrarum paleam attrahat.

4. Sol hic, ad meridiem amoris sui euectus, defectuum nostrorum vapores sursum sustollat, vt eos in confusionis, confessionis & lacrymarum pluuiam resoluat.

Luc. 12. 5. Hic ignis est, quo mundum inflammare & accendere Redemptor venit. Tota itaque hac quadragesima
Psal. 118. incendiarius esse volo, & *eloquio ignito*, & *lingua*
Act. 1. *ignea*, quod donum sacræ Ecclesię dos est, omnium vestrûm corda succendere.

6. Vos itaque præmonitos velim, omni me doctrinę subtiliori sic valedicturum, vt me pietati excitandæ totum dem. Vos dumtaxat voluntates adinstar na-
Cant. 1. pthæ, vel caphuræ dispositas adferte, quò sancti amoris ignem in ijsdem concipiatis, intellectum verò tantisper seponite: neque enim subobscurus lychnuclius meus eidē sublimibus quibusdam speculationibus pascendo illustrandoque par est, sed tantùm, vt per accidens ab amorosis hisce ignibus hic illustre-
Psal. 118. tur. *Declaratio sermonum* Dei *illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Ibid. 7. *Os meum aperiam, & attraham spiritum*, vt eius deinde vos, prout ad cor meum loqui Deo visum fuerit,

rit,

rit, participes reddam. Huc corda adferte, vt *dicat* illis *cor meum*, quod à corde Christi Iesu didicero. Vt enim dicam quod res est, ex corde vos alloqui desidero, vt qui experientia didicerim, solum cor ad cor loqui: (*Loquimini ad cor Ierusalem*) linguam solam auribus Aures itaque vestras tantisper, si velitis, seponite, corda adferte; nisi vt mihi illas ceu conductus & tubos quosdam, quo *balsamum aromatizans*, & *oleum effusum* sanguinis Domini mei per easdem in cor instillem, præpare is. *Psal. 26.* *Isaia 40.* *Eccl. 24.* *Cant. 1.*

8.9. Deum alter pro altero supplices precemur: vos quidem pro me, ne scilicet, solem imitatus, reliqua quidem omnia calefaciam, nullum verò ipse corde calorem habeam; ego autem pro vobis, ne in ardentissima hac passionis fornace, ceu salamandrę vel pyraustæ, quod vestrum gelu est, frigescatis. *Iac. 5.*

10. Vos fratres mei estis, quos in hisce desertis vndequaq; indago, vt ad Patrem nostrum cœlestem, Deum Iacob, vos deducam. *Gen. 37.*

11. Vos sponsæ, quas, adinstar Eliezer, vnico Isaaco, Iesu inquam æterni Abrahami filio, quæsitum eo. *Gen. 24.*

12. Rebecca, quæ Isaaci vxor fuit, ab hoc procuratore tum inuenta fuit, cùm patris sui greges aquatum conducit; atque hoc illa loco in aures & armillas aureas à futuro sponso accepit. Equidem misericordiæ tuæ confidens Domine Iesu, spero te, cùm oues hasce tuas, quas meæ curæ cōcredidisti, ad fōtes Elim, iuxtà palmas crucis deduxêre; voluntatum tuarum intelligentiam auribus meis communicaturum, & brachijs meis easdem exequendi fortitudinem. Atque in hoc pura solidæ deuotionis substantia consistit. *Audituì meo dabis gaudium & lætitiam & exultabunt ossa humiliata. Loquere* ergo *Domine quia audit seruus tuus. Ecce ego mitte me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me; docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* *Gen. 25.* *Psal. 50.* *1. Reg. 3.* *Isa. 6.* *Psal. 50.*

Vos, ô dilectissimi, per quidquid generosas animas inuitare, & allicere solet, & per amicum Iesu Christi (qui cœli terræque delicium est) cor adiuro,

vt hæc

Dan. 4. Eccl. 15. vt hæc mea *desideria* & bonas voluntates precibus vestris, imò verò vestrâ ad *verba vitæ*, *intellectus & salutis* propensione & nutu adiuuetis.

Interea è præambula hac homilia discite, 1. causas, quæ ad hoc præ cæteris argumentum seligendum me compulerunt; 2. commoda, quæ inde elicere possumus; 3. quam id eximium sit & excellens. 4. Omnis id esse deuotionis complementum, Ite in pace.

FERIA V. POST CINERES
Egreßio è cœnaculo.
HOMILIA II.

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18. H*Ymno dicto egressus est Iesus.* Verba hæc insinuant, Dominum Iesum, Apostolorum iam pedibus ablutis, sanctissimo corporis sui sacramento instituto, & gratijs Deo Patri actis, domo simul & vrbe Ierusalem egressum esse. Quorum occasione ostendemus, nos, in afflictionibus, (vt aliquem inde fructum capiamus, & sponsi nostri pasſioni configuremur) 1. confessione conscientias emundare & abluere, 2. animas sanctissima Synaxi corroborare, 3. Deum in aduersis laudare & celebrare, 4. denique imperfectionibus nostris exire debere, crucem eum sequendo, in humeros tollentes.

I. 1.2. Certissimum est, dilecti in Domino auditores, tribulationes, quibus impetimur, infelicium quæ committimus peccatorum tributa & fructus esse: si itaque causam non tollamus, quis ipsos aliquando finem habituros effectus speret? Hinc paralytico sanitati restituto Redemptor consuluit, *Iam amplius noli peccare, ne deterius quid tibi contingat*; & mulieri in adulterio deprehensæ, *Iam amplius noli peccare.* (Ioan. 5. Ioan. 8.)

Ioan. 5. 3. Ceterùm vera piscina probatica, in qua animæ paralyses curantur, ipsa pœnitentia est & confessio. *Sit pœnitenti medicina confeßio.*

4. Ipsa fons Ionidum est, in quo omnia malorum genera curantur.

5. Ipsa lixiuium, quo omnes lauantur & auferuntur sordes. *Laua à malitia cor tuum*: quia *in maleuolam animam non intrabit sapientia, neque in corpore subdito peccatis.* Sap. 1.

6. Ad agrum aliquem excaudicandum & eruncinandum minimè sufficit luxuriantes ramos vepresque excrescētes exscindere, sed ipsæ etiā fibræ radicitùs extirpandæ: sic ad animam emundandam

Eradenda cupidinis
Praua sunt elementa, & Horat.
Mentes asperioribus
Formanda studijs.

7. Peritus medicus quæ morbidis applicat medicamina, non tam fortuitò ac recenter superuenientibus accommodat malis, quàm mali causæ & origini.

8. Nullum venenum adeò ad intima penetrauit, quod non potenti bonæ confessionis vomitorio eijciatur.

9. Naaman à sua mundatus fuit lepra, cùm septies 4. Reg. 5. sese Iordani immersisset: Iordanis flumē, iudicium latinè sonat. Peccatum, lepra quædam spiritualis est, cuius inspectio ac iudicium ad sacerdotem, velut iudicem, in cōfessionis tribunali refertur, quemadmodum veteris legis sacerdotes *lepram à lepra* discernebant. Leuit. 13.

10. Hi etiam sacerdotes, antequam sacrificij causa, ad aram accederent, manus simul & faciem in labro è speculis conflato abluebant, hostias autem in mari æneo. Ad eundem modum fratres, opus est, si di- Exod. 38. gnè cruentum crucis sacrificium & prædicare & audire velimus, huius quadragesimæ initio vtraque expurgemus. *Ab omnibus inquinamentis vestris mundamini, qui fertis vasa Domini.* Atque ij inprimis, qui Isaia. 52. mundanis dissolutionibus & licentia, nefandis hisce Bacchanalibus, quæ omnis deuotionis, quin imò omnis Religionis, hostis iuratus sunt, sese coinquinarunt.

11. Ab omnibus igitur carnis & sanguinis immunditijs animos expurgemus, cùm & ipsi Ethnici suos

con-

contingere, nisi abluti; penates non auderent.

Aene. 2. *Ingenitos cape sacra manu, patriosque penates,*
Me bello è tanto egressum, & cade recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Apoc. 2. 12 13 Tempore hoc, quo per ieiunium panem hominum rariùs sumimus, eò nos frequentiùs pane pasci oportet Angelorum, & *manna absconditto*, sacra inquam communione: sed agnus hic non comeditur, nisi post amaras pœnitentiæ lactucas degustatas, & postquam in balneo lacrymarum, quæ *hyssopus* quædam est, *super niuem dealbans*, sordes nostras defricuerimus.

Exod. 12.

Psal. 50.

14. Hoc scilicet Redemptor Iesus nos edocet, dum Apostolorum suorum pedes abluit id est, ipsorum expurgat ante affectus, quàm sacri eos corporis sui, quod verus est cibus, & sanguinis, qui verè est potus, participes efficiat.

Ioan. 4.

15. Confessio anteambula est, quæ magno huic Domino *vias parat* ac domum, quaque quæ curua sunt rectificat, difficilia complanat, superciliosos *montes humiliat*, & humiles *valles* sustollit.

Luc. 3.

1. Cor. 11. 16. Ipsa, bonæ conscientiæ lapis Lydius est, & examen, de quo PAVLVS: *Probet autem seipsum homo.*

17. Insuper fratres, ex hac ablutione discite, mox vt in morbum vel afflictionem aliquam prolapsi fueritis, ad hanc animæ purgationem expiationemque recurrere. Achab, Ezechias, Manasses, filius prodigus, Dauid, alijque plurimi suo nobis ostendent exemplo, à pœnitentia vindicem Dei virgam retineri & inhiberi.

Luc. 15.

2. Psal. 6. 18. Ipsa enim nos corroborat, & ad oculum ostendit, *iustè nos pro peccatis nostris affligi, quia peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* Athletæ olim corpus abluendo, & inungendo robur eiusdem confer-

conseruabant,& certaminibus aptum reddebant: ita aduersus diaboli impetus & afflictionem, nihil nos magis corroborabit, quàm pœnitentiæ lauacrum, quę sacra etiam quædam gratiæ est vnctio, & *chrisma S. Spiritus.*

1. Si addamus insuper sanctam communionem, hem! quàm internè corroborabimur, vt *in patientia possideamus animas* nostras? Nescitis quid dicat Dauid? *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est!* II. Luc. 21. Psal. 22.

2. Hæc nempe, turris illa Dauid est, *Aedificata cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea. omnis armatura fortium.* Cant. 4.

3. Est insuper *panis fortium.* In huius panis fortitudine annon Elias vsq; ad montem Horeb ambulauit? In passionis ergo huius initio sacrum hũc panem sumamus, fratres, vt *animis* nostris *non deficientes*, vnà cum Domino ad montem Caluariæ perueniamus. 3 Reg 19. Hebr. 12.

4. Ipsa manna est, quo in mundi huius deserto pascimur. Quid? Annon sancta Catharina Genuensis, grauissimis licet corporis doloribus & languoribus exhausta, longo sat vixit tempore, solo cibo EVCHARISTICO sustentata. *Mortua* quidem *erat*; *sed vita* eius *abscondita erat cum* CHRISTO *in Deo. Illi viuere Christus* erat. Exod. 16. Coloss. 3. Phil. 1.

5. Adhæc ipsa, fauus mellis est, quo gustato Samsones leonibus præualent & prosternunt. An nõ de sacro hoc cibo scribit Chrysostomus: *Ab hac mensa tanquam leones ignem spirantes recedamus?* Iud. 14. Homil. 6 ad popul.

6. Audite quantum Petrus feruorem diuini huius sacramenti factus iam particeps præferat. *Etiamsi, oporteat me mori tecum, Domine, animam meam pono pro te. Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Nonne eti- Matt. 16.

ne eti-

ne etiam Apostoli omnes, hocce cibo vegetati, Redemptorem nostrum ad hortum vsque comitati sunt?

7. An non & torrentem Cedron pertransierunt, vti
Ios. 3. olim arca præeunte, totus Israel Iordanem? *In Deo*
Psal. 17. *meo transgrediar murum. Si consistant aduersum me*
Psal. 26. *castra.*
Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Verè castra*
Gen. 24. *Dei sunt hæc.* Eucharistiam quippe decies centena Angelorum millia circumstant, & stipant. *Millia millium*
Dan. 3. *ministrabant ei.*

8. Si igitur vestris in morbis & afflictionibus insigne colligere robur & patientiam velitis, mox vt hæc vobis acciderint mala, confessione animum expurgate, & sacræ communionis mensam accedite; & reipsa comperietis, nullum his dari posse epithema efficacius, nullum medicamentum cordiale melius, nullam aquam vitæ ad spiritus vestros vitales reuegetandos potentiorem *Dominus fortitudo mea, & salus*
Psal. 26. *mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo*
Psal. 17. *trepidabo? Diligam te Domine fortitudo mea, & firmamentum meum.*

9. Si quem ex homilijs hisce & exhortationibus de Dominica passione habēdis fructum delicere velitis, sacras epulas inite: nostis quippe, sacramentum & sacrificium Eucharisticum, esse reale passionis Domini memoriale, & *quoties manducabitis* carnem e-
1. Cor. 11. ius, & bibetis sanguinem, *mortem* vos eius *annuntiaturos donec veniat.* Quàm verò optabile & felix Quadragesimæ auspicium foret, si à generali quadam eam communione ordiri velletis, *omnia per Dominum nostrum Iesum Christum*, ieiunia, eleemosynas, orationes, aliaque quælibet opera vestra meritoria cum sanctæ eius passionis doloribus vniendo!
2. Reg. 24

10. Foret hoc ceu fauus mellis, qui vestros, vti olim Ionathæ, oculos aperiret; in extremitate scilicet
Psal. 12. virgæ crucis degustatus. *Domine illumina oculos* nostros, *ne vnquam obdormiant in morte.*
Luc. 24.

11. An non discipulorum in Emaus tendentium *oculi aperti* fuere, & corda illorum inflammata, dum panem hunc sibi fractum degustarunt?

1. Siue-

1. Si verò bonam feruentemque his orationem addideritis, vt Redemptor noster (*hymno dicto*) me asserente credatis velim, multum tribulationis ferrum ac duritiem posse dari, quam non, quasi spirituales quidam struthiones deuoraturi & digesturi sitis. *Omnia poßibilia sunt credenti*, & volenti, & amanti nihil difficile. III. Mar. 9.

2. Ecquam non benedictionem à cœlesti obtinebimus Isaaco, cœlestis huius capri, qui *saliens* est *in montibus, transiliens colles*, pelliculis tecti, & cum corpore & sanguine Saluatoris coniuncti? *Clamaui ad Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Gen. 27 Cant. 2. Psal. 33.

3. *Hymno dicto*. Videte vt epinicium & triumphale Redemptor carmen cantet, antequam confligat; Laconum scilicet ritu, ad harmonicum tibiarum sonum in bellum proficiscentium.

4. Videte, vt gaudeat & plaudat, dum nostri redimendorum ergo abit, vt *sanguinis* sui *baptismo baptizetur.* Luc. 12.

5. Quin, ô fratres mei, quò benigno huic amori aliquatenus respondeamus, aliqua nos tentatione opprimente, cum Psalmographo dicimus, *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas; in æternũ nõ obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.* Vel cum Apostolo Paulo, *Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Psal. 118. 2. Cor. 12.

6. In iactura bonorum, si quam patimur, quàm benè cum Iobo dicere possumus, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum: si bona recepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob. 1. & 2.

7. In aduersitatibus vel prosperitatibus æquali semper in Deum mente ferri nos oportet, dicendo, *Benedicam Dominum in omni tempore*; & hocce gubernaculum non minùs in tempestate quàm mala rectum tenere. Psal. 33.

8. Quin in ignominijs *imus* cum Apostolis, *gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sumus* Act. 12

sumus pro nomine I E S V *contumeliam pati.*

9. In periculis instantibus, quin cum Apostolo di-
Rom. 14. cimus, *siue viuamus siue moriamur, Domini sumus*, vel cum insigni quodam sæculi nostri spirituali viro, *viuat Iesus*?

10. Corporalibus doloribus oppresſi, quin nostram
Iob. 2. ad Deum cum Iobo, vlceribus, plagisque suis saniosis, horrorem toto corpore mouente, mentem sustolli-
Iob. 19. mus: quin, ceu statua Memnonis, ardentibus Phœbi radijs percussa, quando scilicet *manus Domini tangit nos*, sonitum edimus?

11. Quin adinstar cicadæ, rore depluente cœlico, canimus? Vti dum pluit, terra fœcundatur, sic tribulatione ingruente mentes nostræ fructum vberrimum ferunt. *Tribulationem & dolorem inueni, & no-*
Psal. 126. *men Domini inuocaui. Tribulatio & angustia inuene-*
Psal. 118. *runt me, ideo lex tua meditatio mea est.*

12. Pluuia vt Vesuuij ardores & ignem adauget; sic tribulatio diuinum in cordibus nostris amorem accendit.

Gen. 8. 13. Ipsa ceu diluuium est, quo cordis nostri arca in sublime sustollitur.

14. Hanc ob causam S. Franciscus tribulationes, suas appellare sorores solebat; & si quando corpus aduersis malisque humi affligebatur, orationi hæc eius alas quodammodo addebāt, quibus se sursum librabat: vnde si ijs careret, prorsus aridus in oratione erat, nullamque in ea suauitatem sentiebat.

Thren. 3. 15. Vulgò dicitur, *Qui nescit orare, adeat mare.* Ad hoc vos mare, Passione Domini mei rubricans; adhoc *mare contritionis* & amaritudinis, aduoco, dilectissimæ in Domino animæ: quocirca bis coctum orationis panē magna in copia vobiscum sumite, vt, postquam ex concione digressi fueritis, munda quædam & ruminantia efficiamini animalia, ne quis scilicet ali-
Isaia 57. quando vobis obijciat exprobrans, *Ecce quomodo moritur iustus, & non est qui recogitet corde.*

16. Ad passionem ferendam Dominus se disponit ablutione, Eucharistia, & oratione; sic vos ad eādem audien-

audiendam, cófeſsione, cómunione, & precibus præparamini; *vobis enim reliquit exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* 1. Pet. 2.

1. Hæc itaque, cariſsimi, ſequamur: videte enim vt his præparationibus præmiſsis, porta egrediatur. IV.

——fugiant terræ portúſque recedant.

Eamus, & *curramus poſt* illum *in odorem vnguentorum* eius. *Exeamus extrà caſtra, improperium eius portantes.* Cant. 1. Heb. 13.

2. Sancta quadam transmigratione à nobis ipſis egrediamur, & *leuantes* nos *ſupra* nos, regem hunc, ad ſua ſanguinis ſponſalia egredientem ſequamur, *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, &c.* Thren. 2. Cant. 3.

3. Hæ pro amore ſuo ſuſceptæ egreſsiones maximoperè placent. Vnde per Dauidem dicit, *Audi filia, & vide*, &c. Abrahamo dictum eſt, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*, &c. Adoleſcēti verò, *vade, vende omnia quæ habes*, &c. An non centurio in hodierno Euangelio legitur à ſeipſo exiſſe, vt ad Chriſtum Dominum veniret? Pſal. 44. Gen. 12. Mat. 8.

4. Adhortatur nos ipſe, vt mundū fugiamus, *Qui in Iudæa ſunt, fugiāt ad mōtes, fugite de Babylone miſeri.* Mat. 24. Ierem. 51.

5. Petrus ſua ploraturus peccata, videte vt foras egrediatur, *Egreſſus foras fleuit amarè. Exitus aquarum deduxerunt oculi eius, quia non cuſtodierunt legem Dei.* Mat. 26. Pſal. 118.

6. Ecce, igitur, vt Redemptor delicta noſtra expiaturus, *egrediatur*. Quàm admirabiles porrò is egreſſiones fecit! Videte enim, vt ſinu Patris ſui æterni exeat, *A ſummo cœlo egreſsio eius.* Pſal. 18.

7. Videte filium hunc prodigum, qui noſtri redimendi cauſa, omnem ſanguinis ſui ſubſtantiam diſsipaturus exit. Luc. 15.

8. Sed cur cœnaculo, in quo ſuis cum Apoſtolis ſacram cœnam peregit, egreditur? duas rei huius comperio rationes, prima eſt, ne hoſpitis familiam ſui comprehenſione & captiuitate turbaret, hoſpitis inquam, qui ſuum ipſi tam humaniter domicilium mutuum dederat. Hîc docemur nihil agere, quo offendiculo ſimus ijs quibuſcū habitamus, ac proinde vitam,

 prout

prout par eſt,inſtituere. Quocirca vide, ô mulier,quæ honorem & famam tuam proculcas, ne familiam tuam probroſam,aut filios infames reddas : tu verò fili, qui nepotiaris, caue ne turpi aliqua cataſtropha fœdam infamiæ probriue maculam generi tuo inuras: vos denique, milites, diſcite hoſpites veſtros non offendere,ſed *ſtipendijs veſtris contenti eſtote.*

Luc.3. 9. Altera ratio eſt,quòd conſentaneum minimè eſſet,in quietis loco Redemptorem comprehendi , at in ærumnoſo & incommodo. Vt taceam etiam,ex innata eum conſtantia ac magnanimitate , ceu generoſum quemdam athletam in palæſtram & arenam ſponte abire,aduenientem antagoniſtam exſpectando,eique vltro occurrendo.

10. Sed eheu! Hieroſolymâ egreditur , à qua quinque ante diebus tanto fuerat applauſu & feſta exultatione exceptus. *O quantum eſt in rebus inane!* Proh miſeram animam,quæ ſuis Saluatorem à ſe peccatis repellit!

11. Ne eum pellamus fugemuſue,dilecti;quin potiùs

Cant.3. conſectemur,& ſi adinſtar amantis Sponſæ eum in lectulo cordis noſtri non inueniamus , per montium aſpera, & vallium decliuia inueſtigemus , donec inueniamus,quò cum in ipſo monte Caluariæ exſpiremus:

———moriamur,& in media arma ruamus.

Ex ſuprà dictis colligite,cariſsimi,1. in afflictionibus eſſe nobis pedes,id eſt animarum affectiones, abluendos,2. animum per ſacroſanctam communionem corroborandum, 3 ex oratione ſolatium aliquod & refocillationem eliciendam, 4. delicijs denique nobis egrediendum , vt in hortum myrrhæ, ſanctæ ſcilicet contemplationis abeamus. Benedicat vos de cælis, Deus Pater,Deus Filius,Deus Spiritus ſanctus.

FERIA

FERIA VI. POST CINERES.

Tranſitus Torrentis.

HOMILIA III.

EGreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron, ſecundum conſuetudinem; tunc dixit diſcipulis ſuis, &c. Mat. 26.
Hac homilia 1. tunc torrentis tranſitum, 2. bonam Redemptoris conſuetudinem, 3. illius de Apoſtolorum fuga prædictionem, 4. arrogantiorem S. Petri promiſsionem proſequemur. Mat. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

1. Cogitate, dilectiſsimi, quot *in* benigniſsimi Ieſu noſtri *cor cogitationes aſcenderent*, dum torrentem hunc pertanſiret. cùm enim in aquarum illius lympiditate ſtellarum repercuſsionem conſpiceret, an non hic conſpectus illi tum memoriam refricabat, quòd *propter noſtram ſalutem deſcenderet de cœlis*, & hunc magnitudinis ſuæ thronum reliquiſſet, (cuius ſtellæ nonniſi podium & ſuppedaneum ſunt, cùm *cœlum eius* ſit *ſedes, & ſcabellum pedum eius*) quò amaris his quas ex *hominum* conuerſatione haurit, *delicÿs* potiretur? Luc. 24. Pſa. 109. Prou. 8.

2. Si aquam eius ab vmbra nocturna nigricantem aſpiciebat, an non hæc menti eius triſtem è morte ſua oriturum luctum repræſentabat, & ſe, qui *aquæ viuæ* & lympidæ *fons* eſt, iam in triſtitiæ nigredinem conuerſum eſſe? Ioan. 4.

3. Eiuſdem murmur ac ſtrepitus illum ei ſtrepitum deſignabat, quem rabietium horum ſatellitum arma ciebant: lenis eiuſdem per lapillos defluxus, qui illi olim quieſcenti ſomnum conciliârat, iam amaros *dolorum mortis* illi aculeos infigit.

4. Dicere fortè potuit, ſicut, ô torrens nulli curſum ſuum aggeres impedire & remorari valent, ita nulla orationum, quas coram Patre meo cæleſti iam effuſurus ſum, iuſtitiæ illius, in me mox effundendæ impetum torrentemque ſiſtere poterit.

5. Quàm ô cœleſtium *voluptatum torrens*, quâm ô
Gen. 2. *aquæ quæ ſuper cœlos ſunt*, nunc in terrenarum anguſtiarum aquas conuerſæ eſtis, & lympidi æterni Eden fontes, quàm nunc in cœnoſas Aegypti mundi huius paludes tranſierunt!

6. Dicere quoque in corde ſuo poterat, Quàm benè vos, ô diſcipuli mei, torrens hic repræſentat! Vos mihi, quamdiu honores & commoda me circumfluxerunt, adfuiſtis; ſed in extremæ calamitatis meæ di-
Eze. 47. ſcrimine à me fugietis, diſsipabimini, & ſolum me relinquetis.

7. Quàm, ô torrens Ezechielis, es ad tranſuadandum difficilis!

8. O torrens, qui mihi rubrum ſanguinis mei mare,
Pſal. 73. quod in paſsione iamiam tranſiturus ſum, vt in eo *dracones*, (inimicos inquam meos) ſubmergam & *contribulem*, repræſentas!

9. Te meis, ô *torrens ſpinarum*, vel (vt S Hierony-
Ioel. 3. mus in Ioëlem vertit) *torrens funium*, lacrymis tum rigabo, dum iam à ſatellitibus & miniſtris vinctus te rurſus pertranſibo.

10. Non me iam ampliùs tuas, ô placide torrens, ripas oculorum meorum aquis irrigantem, & tuas ijs adaugentem videbis, vti aliàs, dum haud procul à ſub-
Luc. 19. murmurante lympha tua, Hieroſolymæ ingratitudinem planxi.

11. Aqua tua, ſpeculi inſtar lympida, mortis mihi exhibet imaginem, & ſtrepitus ille ſubtriſtior, ferale quoddam mihi canere carmen videtur: mors mihi in te natat, & loquitur.

Pſa. 125. 12. Ah quàm longè alius ar guſtiarũ torrens *animam*
Pſal. 68. *meam aqua pertranſit* propè *intolerabili*! amaræ illius *aquæ intrant vſque ad animam meam*: veruntamen
Pſal. 41. *quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*, ita
Pſa. 109. hoc ego baptiſma ſanguinis deſiderabam. *De aqua torrentis* huius *libani*, vt meũ exinde *caput exaltem*,
Pſa. 111. & humanitatis meæ *cornu ſuſtollam in gloria*.

13. An non & ipſum nomen tuum Cedron, (quod
1. Pet. 3. *nigredinem* ſonat) iam tam funeſtum caſum plangere &

re & lugere videtur, quo *iustus morietur pro iniustis*, & suum creaturæ interficient Creatorem? O colorem cum animæ meæ dolore optimè coincidentem! annon vos, *tenebræ*, à quibus *circumdor*, sic quoq; atram cœli faciem obtegitis, ne illius me condolentia ac compaſsio consoletur? *Pſal. 16.*

14. *Oculi* mei sunt, *sicut columbæ super riuulos aquarum* innocentiæ quidē ipse meæ *lacte lotus* sum, haud multò post tamen pro hominum redemptione expiationeque immolabor. *Cant. 4.*

15. Et vt sponsa mea, *niger sum*, sed nihilominus *formosus sicut pelles*, & furua *tabernacula Cedar*, quę magnas interius diuitias & cimelia continent. nam *omnis gloria* mea *ab intus in fimbrijs aureis, circumdatus varietate*. *Cant. 1.* *Pſal. 44.*

16. Verè igitur, ô sponse diuine, *comæ* tuæ, id est, cogitationes, *nigri* sunt *quasi coruus*, id est, lugubres & dolorem spirantes. *Cant. 5.*

17. Cariſsimum hunc Dominum, hisce in angustijs constitutum & gementem, consolemur cariſsimi: melius autem ipsum consolari non poterimus, quàm eum si imitemur. imitabimur autem, si illius adiuti gratia, insigni quadam constantia, afflictionum, quas paterna eius manus in nos interdum effundit, torrentes pertranseamus. Qui enim easdem perferet, *habebit vitam, & hauriet salutem à Domino*, & *glorificabitur*, è dura *petra* dulce *mel*, & è desolationū suarum multitudine insignem consolationem eliciens. *Prou. 12.* *Pſal. 93.*

II.

1. *Secundum consuetudinem.* Obstupescite, quam mortem Redemptor parum moretur, cùm ad eamdem euitandam, ne minimam quidem consuetudinum suarum laudabilium, (qua nimirū quotidie vesperi à strepitu populari secedebat orationi vacaturus) intermitteret. Verus scilicet Cato, qui eam quæ vitæ vltima fuit, noctem totam legendo traduxit. *Plut. in vita.*

2. Verus etiam Socrates, qui lethali hausto poculo, de philosophia cum circumstantibus loquebatur, etiam in morte discere se aliquid velle significans. *Laert. in vita.*

3. Vitiū ac virtus, fratres cariſsimi, quid sunt aliud

quàm consuetudines? quarum illa mala, hæc laudabilis est, vnde Poëta:

Respice num si quid vitiorum inseuerit olim
Natura aut consuetudo mala.

4. Et quemadmodum, quocumque demum modo mala nobis est abrumpenda, ita bona, quacumque etiam de causa & prætextu minimè est intermittenda aut omittenda: verbi gratia post cibi sumptionem orationi incumbere. Anachoretarum parens Paulus, cùm vnà cum Antonio modico senile corpus pane refecisset, etiam mortis instare sibi dolores sentiens, à sua orandi ante somnum consuetudine desciscere noluit, hinc genu etiamnum flexo, & manibus iunctis manè mortuus repertus est. Sic & Redemptor noster facere voluit, illud Vespasiani Imperatoris exemplum & dictum reipsa exequens, dicentis, Imperatorem stantem oportere mori.

Sueton. vita. 24.

5. Miras diabolus, auditores, adinuentiones excogitat, & *excusationes adinuenit*, quò nos à bonis laudabilibusq; cõsuetudinibus diuertat. Sed eius suggestionibus minimè credamus. Primaria eius machina est inanis stultusque mundi pudor, quem ceu terrenũ inanemq; puluerem oculis inijcit, quo eosdẽ præstringat, & nos à cœpto opere bono desciscere faciat.

6. Oculos omnium intuentium nobis proponit, ad instar vafri peritique ducis, qua potest solem oculis aduersariorum obiectantis.

7. Stultus & impertinens is pudor est, cui æternam Redemptor confusionem comminatur. *Qui me*, inquit, *erubuerit coram hominibus*, &c.

Luc. 6.

8. Quàm verò fœdè puerili & inepto hoc pudore salutare confeſsionis Sacramentum obturbat, & hominibus vt intolerabile depingit; cuius tamen arcanum & sigillum inuiolabile omnem ex animis fidei mysterijs innutritorum longè timorem pellere deberet?

9. Si inter hæreticos quis nostrûm conuersatur & agit ceremonias aliquas sacras, quas aliqui parũ prudẽtes, indifferẽtes & arbitrarias esse aiũt, vnà cũ ipsis irridet

irridet. Si signum detur ad virginē Deiparam, salutādā aut non salutatur, aut non flexis genibus, aut etiā vultū pileo obtegēdo Quis similem vnquā inciuilitatem vidit? Omnes hasce consuetudines malas exuite, Bellicenses: non est inter vos, per Dei gratiam, hæreticus, fidem vestram piè ac palàm profitemini, ad cāpanæ ad Deiparam Matrem salutandam institutum signum genu flectite, & vultum detegite, quo manè, & meridie, & vesperi Beatissimam salutantibus B. Virginem concessas Indulgentias lucremini. Manè Deum poplite flexo ad lectuli latus precemini, vt dies vestros secundet, & opera diuina fęlicitet; ipsum & vesperi præstate, & operum diurnorum ob animabus vestris rationem exigite, vt noctes vestras somno quieto donet ac benedicat, eique dicite, *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Psal. 62. Hæ bonæ sunt consuetudines: vti & Sacramenta Confessionis & Cōmunionis frequentius vsurpare Simul etiam malam illam consuetudinem exuite, qua vesperi ad aleandum, & detrectandū proximo, garriendum, & malè agendum, conuenitis. *Quiescite agere peruersè, & discite benefacere: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Isaia 1. 2. Cor. 6.

III.

Et dixit illis, Percutiam pastorem & dispergentur oues, Scandalum vos omnes patiemini in ista nocte propter me. Cùm igitur pro consuetudine Redemptor torrentem iam pertransisset, fugæ scandalum ipsis prædicit: Sicut enim, aiebat, occiso à lupo pastore, totus grex direptioni & lanienæ patet, ita me sublato, vos omnes discrimen adibitis, & lupinis faucibus expositi eritis. Quæ profecto similitudo hic aptè quadrat.

2. De apibus canit Poëta: Virgil. 4. Georg.

——Regem incolumi mens omnibus vna est,
Amisso rupere fidem.

Nunquid hoc in discipulis hisce verum est, qui ad prosperitatum calorem congregantur, & aduersitatum ingruente frigore dissipantur?

3. Quis Panicus timor eos occupet, quando ipsorum magnum πᾶν, id est omne, oculis eorum eripitur!

Ioan. 10. 4. Fuit ipse *bonus* ille *pastor*, qui *animam suam posuit pro ouibus suis*, non verò *mercenarius* & *fugiens*. Iam quidem, ô Apostoli, vt audaces vos geritis arietes, sed modo vt timidæ meticulosæque ouiculæ diffugietis.

3. Reg. 22. 5. Sic olim Rege Israel Achab in conflictu, quem aduersus Regem Syriæ in Ramoth Galaad inibat, interfecto, omnis ilicò acies fugam inijt.

6. Sic etiam hodie in conflictibus magna semper contentione & nisu album vexillum ab hoste impeti videmus, quod ipsum regis præsentis sit insigne, vnde eo erepto vel ablato, reliqua cedit acies, & penes hostem stat victoria. Vexillum nostrum album is est, qui

Cant. 4. *se candidum* esse dicit, *& rubicundum*, & lilijs agri persimilem, quem vbi hostes inuaserint, Apostoli ad vnum, omnes animum despondebunt, & profligabuntur.

7. In corpore humano, capite vulnerato, reliqua membra condolent & compatiuntur: & à capite omnis deriuatur valetudo & inualetudo. Cur non etiam ita se in mystico Ecclesiæ corpore res habeat?

8. Deum itaque magno affectu & studio rogate, carissimi, bonos vt vobis pastores mittat; ab illis enim secundum Deum vestra cum salus, tum damnatio dependet.

Sacra suosque tibi commendat Troia nepotes.

Aeneid. 2. 9. Magnumque *Patremfamilias rogate, vt idoneos* in
1. Cor. 3. domum suam seruos *mittat*, & *operarios* dignos *in vi-*
Luc. 10. *neam suam*, Ecclesiam inquam, plantatam *in cornu fi-*
Isaia 5. *lij olei*.

10. Iiq; docti sint & probi, vt sua vos instruant doctrina, & ædificent exemplo; manusque illorum sit ori conformis, & vita correspondeat verbis, vt *superædi-*
Ephes. 2. *ficemini super lapides* illos *viuos*.

Osee 11. 11. Sint boni *nutritij Ephraim*: nam vt ex alumni valetudine de salubri bonaque nutricis dispositione

ac tem-

ac temperatura fertur iudicium; sic qualis pastor est,
talis & populus,& grex futurus est, ipse etiam Apo- *Gal. 4.*
stolus an non suos sese dicit *parturire* catechume- *Cant. 1.*
nos, & *vberum* suorum, *vberum* inquam *vino meli-* *1. Cor. 3.*
orum, lacte, id est doctrina, pascere?

12. Indignantem iratumque vobis DEVM credi-
tote, filioli, cùm prauos improbosque vobis *Psal. 11.*
dat Pastores. *Saluum me fac Domine, quoniam defe-*
cit sanctus, diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

13. Ipsum rogate, carissimi, vt quoniam diuinæ e-
ius prouidentiæ me, tametsi indignum, in vestrum as-
sumere pastorem voluit, ad vestram me vtilitatem
& obsequium aptiorem & meliorem reddat, vtque
mecum, vitam sanctiorem instituente, suam miseri-
cordiam faciat. Amen.

IV

1. Petrus autem, feruore sanctissimæ synaxeos æ-
stuans, eructat *verbum præcipitationis*. sed, quemad- *Psal. 51.*
modum *dies diei eructat verbum* ita *nox nocti indicat* *Psal. 18.*
scientiam: sanctus Petrus nonnisi *loquelas* dat *atque*
sermones, & veram illi triplicis futuræ negationis og-
gerit Christus prædictionem.

2. Hinc discamus, fratres, nunquam nos ipsos iacta- *2. Cor. 3.*
re, nam *omnis sufficientia nostra ex Deo est*, à quo o-
mne bonum descendit, & omne donum perfectum de- *Iacob. 1.*
sursum est, à patre luminum proueniens. Hinc Aposto-
lo Petro eiusque socijs piscantibus Redemptor ait, *Si-*
ne me nihil potestis facere: ipseque *verbum* est, *sine quo* *Ioan. 15.*
factum est nihil. *Ioan. 1.*

3. Nunquam de viribus nostris præsumamus, cùm
adeò debiles & fragiles simus. Illi enim confundun- *Psal. 48.*
tur, *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine di-*
uitiarum suarum gloriantur. Hi in curribus, & hi in e-
quis, nos autem in nomine Domini nostri inuocabimus: *Psal. 19.*
ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus,
& erecti sumus.

4. Insolens quædam arrogantia est, qualis olim fu-
it Angeli rebellis & præuaricantis, aliquid se sine
Deo esse putare.

5. Audite vt quidã sæculi iactabundi & scioli glori-
entur,

entur, suo ipsorũ plus studio, quã Spiritus S. ascribentes gratiæ, *Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus: Labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?* Hæc veterum Philosophorum fuit vanitas: verùm scriptum est, *Ne sis sapiens apud temetipsum.*

Psal. 11. *Prou.* 3.

6. Non minor etiam præsumptionis species est, *zelo* quodam agi, *sed non secundum scientiam*: qui ceu gladius quidam est in manu pueruli, aut vti nescientis.

Rom. 10.

7. Atque inde est, quod tam multi in suis deuotiónis exercitijs suo semper ferantur impetu ac spiritu; immoderato siquidem seipsos macerabunt ieiunio, & mortificationes nimias vsurpabunt, Icaricis ad cœlos pennis euolare laborantes, atq; hæc omnia (quod longè deterius est) confessarijs inscijs & sæpè dissuadentibus. Hoc occulta quædam superbiæ species est, eo subtilior, quo minus potest percipi. hoc quippe patrũ suorũ & seruorum Dei est iudicium cõtemnere, quò propriæ voluntati obsecundent, *& suorum desideria, & adinuentiones cordium sequantur.*

Psal. 80.

8. Est hoc regiam *obedientiæ*, quę pluris *est* & *melior, quã sacrificiũ*, viãdeserere, quò incognitas propriæ opinionis semitas sequantur; necnon argenteum Lunæ fulgorem ac lucem relinquere, quò velaticum & sinistrũ propriæ voluntatis igniculum in sæculi huius tenebris consectẽtur. Est deniq; id care quoddã fermentum, quod vniuersam bonorũ operũ massam inficit & insipidam reddit. *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, in Epistola missæ hodiernæ legimus.

1. Reg. 11. *Isaiæ* 58.

9. Audite & aliam, vulgò tamen vsitatam præsumptionem, quotquot hic adestis, malle vos dicetis occumbere, quàm à religione auita & fide vestra deficere: si quis tamen vel minima afficitur iniuria, aut contumelia, ecce statim ad obtrectãdum, sugillãdum verberandum, litigandum prorumpit. An non tamen inimicos nostros diligere (quod hodierno docemur Euangelio) æquo iniurias animo ferre, ignominiam, opprobria & verbera æquanimiter pati debere, sæpius in

us in ſacris litteris, quibus omnis noſtra ędificata religio eſt, decātatū eſt? Dicitis, ô Chriſtiani, qui ſpiritui S. mētimini, & quorum viuendi ratio cum fidei aſſertione nō coincidit, pro nomine Ieſu paratos fore vos ignes, rotas, gladios, perſecutionem & mortem perferre, eius tamen cauſa ne minimam quidem tolerare iniuriam vultis. *Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* *Pſal. 61.*

10. Si me iactantiæ veſtræ ad ſummum peruenienti credere velitis, neceſſe vt vos antè in minimo perferentes videam: vos alioquin *filijs Ephraim* aſsimilarem, ſuos quidem *arcus* ad ſagittandum *intendentibus*, ſed tergum *in die belli* hoſti obuertentibus. *Pſal. 34.*

11. Quos meros dixero thraſones, qui ſub tentorijs latitantes detonant, ſed conflictus tempore, vel minimi timoris pluuia diffluunt & elumbantur. *Cor eorum vanum eſt.* *Pſal. 5.*

12. Exiguus lapillus ingentem illum Nabuchodonoſoris coloſſum ad terram deiecit, & ancillula non multò poſt vanas Petri noſtri ſponſiones & promiſſa diſsipabit & euertet. Verè igitur dicere poſſumus, à molli aquæ guttula duram quandam petram excauatam fuiſſe. *Dan. 2.*

13. Ne ô cariſsimi, *arundineo* inanitatis noſtræ *baculo* innitamur, nihil *de nobis quaſi ex nobis* præſumamus, ſed humiliter in Deo confidamus, neue odioſè & ſuperbè nos, vti Phariſæus ille, cum alijs æquiparemus, quò cum humili Publicano ſalutem conſequamur. *Iſaiæ 36. 2. Cor. 3.*

14. Virgo quædam in religione auſtera cùm ageret, adeò ſibi de vana ſua caſtitate complacuit, vt (qua erat veſania) Mariæ Magdalenę pœnitentiam feciſſe, & ſcelerū ſuorum probrum ſubiſſe nolle palā aſſereret. Sed cùm ſpiritui fornicationis ipſam mox Dominus iuſto iudicio tradidiſſet, & illo inſtigante cœnobij trans clauſtra ſaltaſſet, & pecuinis ſe concupiſcentijs totam dediſſet, honore iam amiſſo, & in deſperationis præcipitium dein prolapſa, triſti cataſtropha vitam clauſit. Verè itaque Magnum ſcripſiſſe hinc patebit *In ſpeculo Exemplor.*

bit Gregorium ſatius & optatius longè eſſe, poſt lapſum humiliter pœnitere, quàm in innocentia prima ſuperbiendo laſciuire. Certiſsimum eſt igitur, ſolam virtutum conſeruatricem eſſe humilitatem.

Ex omnibus his, cariſsimi diſcite, 1. cum Redemptore Ieſu afflictionum vitę huius torrentem tranſire, 2. nunquam à pijs laudabilibuſque conſuetudinibus deſciſcere, 3. probos zeloſoſque à Deo paſtores, ad Eccleſiæ ſuæ regimen neceſſarios petere, 4. nunquam de vobis ipſis arrogantius ſentire, ſed ad Deum omnia referre, cui ſoli gloria ſit & honor in ſæcula ſęculorum Amen.

DOMIN. I. QVADRAGESIMAE

Ingreſſus in hortum Gethſemani.

HOMILIA IV.

Matt. 26. *Venit Ieſus in montem Oliuarum in villam, quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus.* Hodie expoſituri ſumus, 1. quo Redemptor noſter modo ad montē venerit Oliuarum, in villam quæ dicitur Gethſemani, 2. quomodo hortum ingrediatur, in quo ſuas de more ad Deum Patrem preces fundebat, 3. quomodo diſcipulorum ſuorum partem ſedere pauliſper iuſſerit, eos ad orationē adhortans, 4. quàm benignè amanterque ijs ipſe valedixerit: quibus è punctis inſignia quædam Deo dante, documenta me collecturum ſpero Aures date.

1. 1. Videte, vt miſer ceruus noſter, à ſceleribus noſtris pulſus & exagitatus, & quo eſt amore ſitiens, ad montes confugiat (*Montes excelſi ceruis*) atque vt viuis
Pſal. 103. ſe ſanguinis ac ſudoris ſui fontibus immergat, lacry-
Pſal. 41. miſque ſe paſcat, *fuerunt* illi *lacrymæ* ſuæ *panes.*

2. Vides vt tenellus ille hinnulus, *trāſiliens colles, &*
Cant. 1. *ſaliens in montibus*, ad mortem properet exultabnndus, quo nos optatam illius in morte vitam inueniamus, ac in lachrymis eius medicinalibus ſanitatem.

3. Pro

3. Pro more Saluator habebat, queádmodũ paſsim in Euangelio legere eſt; in mõtes comitãtibus Apoſtolis de nocte concedere, quo orationi vacaret, atq; inde die veniente deſcendere, quò turbas edoceret, neque enim (vt bene S. Ambroſius obſeruat) populus ad perfectionis montem proſerpendo poteſt euadere. *Luc. 6.* *lib. 5. in Lucam.*

4. Solet Deus *opera* ſua *perfecta & admirabilia* in montibus patrare. Hinc Abraham, ſuum nonniſi in monte filium immolare voluit: Moyſi quoque apparet in monte Sina, quin & eundem in Monte Nebo emori permiſit; Eliam quoque in monte Oreb curru igneo euexit; ſuum denique templum *in monte ſancto* Sion conſtitui iuſsit. *Gen. 22.* *Exod. 19.* *Deut. 34.* *4. Reg. 2.* *3. Reg. 6.*

5. Redemptor etiam Ieſus hodierno Euangelio, in quo de tentatione eius in deſerto agitur, à tentatore *ſe in montem excelſum ſeorſum* transferri ſinit: In monte verò Thabor transfiguratur; in monte porrò Caluariæ emori vult; in monte denique Oliueti in cęlos aſcendere. Atque hic ipſe locus eſt, quò modò Patrem oraturus, & pretioſum ſanguinem ſuum ebullitione quadam extraordinaria effuſurus, properat. *Matt. 4.* *Matt. 17.* *Matt. 27.* *Act. 1.*

6. Refert Plinius, ingentes in Atlante monte per noctem fragores exaudiri, & varios hinc inde per tenebras fulgores apparere, talis haud dubiè hæc futura nox eſt: armorum ſiquidem mea exaudietur colliſio & ſatellitum murmura, ac faces ipſorum lumen per tenebras ſpargent: aut, ſi malis, ad querulos orãtis Saluatoris noſtri Ieſu accentus & planctus is reſonabit, & dein ab Angeli conſolantis lumine ac ſplendore irradiabitur. *lib. 5. c. 1.*

7. Tu, ô mons ſacer, nomen præfers miſericordiæ, in te tamen ſponſus noſter magni illius Abraham ignem & mucronem, Patris inquam ſui æterni iuſtitiam & indignationem in ſe ſentiet: iuſtitiam quidẽ, quoad ſe; ſed miſericordiã, quoad nos: vnde qui nos, ex *oleaſtris in* bonã feracẽq; illam *oleam* Ieſũ Chriſtũ cuius *nomen oleũ* quoddã *effuſum* eſt, & *oliua fructificans in domo Domini*, inſitos egregias *Oliuas campi* *Gen. 22.* *Rom. 11.* *Cant. 1.* *Eccl. 24.*

efficiet,

efficiet. Eia igitur, anima mea, *misericordias Domini* Psal. 88. *in æternum cantemus* (quod B. Matris nostræ Teresæ de Psal. 144. Iesu in ore assiduè erat.) quia *miserationes eius super* Psal. 100. *omnia opera eius. Misericordiam & iudicium cantabo* Psal. 93. *tibi, Domine*, cùm rigoris *iustitia in iudicium* misericordiæ hic *conuersa sit*.

Psal. 105. 8. Hic insuper notandum, cęlestem nostrum *nycticoracem*, solitaria consectari loca, & rura diligere, vt magnos Pastores (id est Episcopos) doceret, paruos fratres suos (id est rusticos) *ad principis Pastorum &* 1. Pet. 2. *Episcopi animarum* nostrarum imitationem scilicet, non contemnere.

9. Videte, vt humanitatis eius turtur, compare quodammodo & sustentaculo suo (diuinitate inquam) viduata, in locis desertis, ob tam tristem orbitatem ac Psal. 62. derelictionem gemat.

Psal. 147. 10. Viculo huic nomen erat Gethsemani, quod tantundem sonat, ac locus pinguis, suum hic ille sanguinem exsudaturus est, *vt repleatur adipe & pinguedine anima* nostra: Apostoli verò iam erant *adipe frumenti satiati*.

11. Notandum verò, per peccatorum nostrorum hisce diebus adipalibus commissorum pinguedinem, Eze. 16. diuinũ Sponsum nostrũ ita suũ sanguinem exsudare. Gen. 6. *Iniquitas Sodomæ, abundantia & saturitas panis*, De- Psal. 27. liciæ in causa sunt, *vt omnis caro corrumpat viam su-* Exod. 32. *am, & prodeat quasi ex adipe iniquitas sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

12. Ex primo hoc puncto discamus, fratres dilectissimi, primò cum Redemptore Iesu in montem perfectionis ascendere, secundò solitudinem & pauperes non aspernari, tertiò, per pœnitentiam nos expurgare, quo sanguineũ sudorem eius reprimamus.

II. 1. *Vbi erat hortus, in quem introiuit, & discipuli eius cum eo.* Contemplatiui omnes scriptores, hortum Gen. 2. hunc dolorum cum horto dulcorum & paradiso voluptatis comparant, in quo scilicet primus generis nostri auctor peccauit, vt reparationis locus, loco respondeat culpę Insignis quidem conceptus hic est, sed notus omnibus & vulgaris. 2. 3. Quo-

2.3. Quocirca ad alios transeamus. Verissimum est igitur fratres, pro nobis aliquid pati, Redemptori nostro velut hortum deliciarum esse. Quando autem tali nos amori respondebimus? Tunc demum, quando aliquid pro eo aduersi pati, volupe nobis futurum est. Præclarum illud B. Matris nostræ Teresæ dictum est, *Aut patiendum, aut moriendum.* Et Apostolus, *Omnis*, inquit nostra *gloria* & bonum est, pro Christo aliquid pati. 2. Cor. 11.

4. Passionem eum in horto videtis ordiri, eamdẽ & in horto desinere audietis, in quo tandẽ sepelietur.

5. Videbitis adhæc illum Magdalenæ se in hortulani specie spectandum daturum. *Qui habitas in hortis, fac me audire vocem tuam.* Ex animabus igitur nostris hortos componamus, in quo virtutum flores latè copioseque proueniant, si modò à sponso hoc visitari velimus, qui *pascitur inter lilia*, & cuius *lectulus floridus* est. Ioan. 10. Cant. 8.

6. Sensus nostros obseremus, vt cor nostrum *hortus conclusus* sit, & tunc illi sponsus hic *fons* erit *signatus*, *& fons hortorum*, qui sanguineo sudore suo eum irrigabit. Olympidum fontem Paradisi in Eden! Cant. 24. Cant. 1. Cant. 4. Gen. 2.

7. Qui non desideriorum flores, qui non bonorum operum fructus, sanguine hoc diuino vbertim copioseq; huc defluente, irrigante hic excrescent!

8. Sanguis & oleum liquores sunt ita vnguinosi, & viscosi, vt terram penetrare nequeant effusi. Vereor sanè, vt corda nostra adeò terrestria sint, vt sanguis hic, qui velut *oleum effusum* est, eadem penetrare & permadefacere nequeat. Cant. 1.

9. Olea, suo irrigata oleo, arescit & emoritur. Redemptore itaque nostro commoriamur, si cum ipso regnare velimus: cùm arboris illius simus rami, quæ vnguinoso fructus sui liquore nos respergit. Rom. 8.

10. Quin animis ita sumus dispositi, vt dicere possimus: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum: omnia enim bona nostra poeratur in nobis!* Cant. 5. Ephes. 1.

11. Hyemis iam finis instat, fratres, & ver, quod propiore solis accessu arridere nobis incipit, omnigenos propediem in hortis vestris flosculos, quos hyemis asperitas terræ intra viscera retinet, recludet, quos dum coletis, horti huius absynthij, in quo clementissimus Dominus noster laborat & gemit, vobis obsecro occurrat imago.

12 Quàm hæc hortorum voluptas sincera & simplex est! Abbas Pior, indefessus horti cultor, referente Hieronymo, in eo mentem quàm maximè ad Deum per frequentes feruentesque orationes iaculatorias, librabat. Vascula enim quibus areolas suas irrigabat, sanguinis illi Dominici memoriam refricabant, flosculi verò Nazarenum hunc floridum repræsentabant, & rosæum calyces *florem qui de radice Iesse ascendit*: auicularum eum cantus ad laudandum benedicendumque Creatorem excitabant, ex ipsa quoque florum varietate virtutum diuersitatem colligebat. Quàm sic scitas aptasque in anima areolas concinnabat, quamque meritò cùm amante illa sponsa dicere poterat, *Veniat dilectus meus in hortum suum, ad areolas aromatum, vt pascatur in hortu, & lilia colligat!*

Isaia 11.

Cant. 6.

13. Discipuli vna cum Magistro ac Domino suo hortum subeunt. Quàm multi Iesum per deuotionis sensibilis rosas sequuntur, qui eum deinde in ariditatum spinis segniter deserunt!

III. 1. Vt autem simul hortum sunt ingressi, *Sedete hic*, inquit *& orate*. Notate hic magnam Domini huius de seruorum suorum non modo bono, sed etiam commoditate solicitudinem. Meministisne, auditores, quàm anxiè ac sollicitè, cùm tot hominum millia tã pauculis saturauit panibus (quos diuina etiam virtute ita multiplicauit, vt quæ supererant fragmenta, longè panes primos excederent) discipulis mandauit, vt turbas quas refecturus erat, super fœnum in agro facerent discumbere, quo pascerentur commodius. Ipse est enim, *qui producit in montibus fœnum, & herbam*

Matt 14.

Psa. 148.

herbam seruituti hominum. Hinc discite, vt, dum pauperibus Dei seruitis, vna cùm principali & maiori detis accessorium,& quod minus est: si offam aut iusculum eis porrigitis, in vestris id date scutellis, nec ligneis aut testaceis ipsorum vasculis infundite, eos frigentes calefacere vultis, ad vestrum eos focum introducite, nec satis vobis sit, prunas aliquot semiextinctas ad fores illis dare: hæ enim vix extremos eorum calefacient digitos, nedum omnia regentis corporis membra. Ipsorum igitur commoditati studete.

2. Quàm, fratres mei, bonum est seruire Deo, qui tot in minutijs rebusque minimis solicitè de nobis laborat! ipse nostrum aduersus imbrem inpluuium est,& *ab æstu vmbraculum.* Columna Israelitas conduces, ignea est, vt in tenebris luceat; per diem verò instar nubis spissa, vt aduersus intensissimos Arabiæ ac deserti æstus seu vmbella eosdem inumbraret. *Isaiæ 25.* *Exod. 13.*

3. Suo Dominus incubat tabernaculo, & nebula ipsum cooperit, illud conseruaturus. *Exod. 40.*

4. Hinc etiã *gallinæ* sese assimilat, *pullos suos sub alis congreganti.* Animosè igitur; *scuto nos circũdat veritas ius,* &c. & *scapulis suis obumbrat nos, & sub pennis eius sperabimus.* Quam bonum est *habitare in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli, commorari! sub vmbra alarum eius sperabimus.* *Matt 23.* *Psal. 90.* *Psal. 16.*

5. Non sine causa se ipse *nutricium Ephraim* nominat,& Beniaminum (hic amicorum eius imago est) in suis brachijs requiescere asserit. *Osee. 11.*

6. Videte vt nutrix alumnum suum foueat & diligat; vt nec eiusdem sordes, nec labores quos suscepit, illius amorem imminuere, multò minus exstinguere queant. Bonus ille Deus nos omnes, tametsi miseros ac viles, tam tenere diligit & complectitur. *Etiam cùm inimici essemus, reconciliauit nos in spem viuam.* *Rom. 5.*

7. Quis vnquam procus ita suæ complacere studuit Dominæ, vt nobis Christus? quas nõ, hic vt artes & *adinuentiones* excogitat, vt in nostram sese insinuet *1. Par. 16.*

beneuolentiam! ferrea & saxea corda, indigna quæ à tam amanti proco diligantur!

Matt.2. 8. *Quæramus*, dilectissimi, *regnum Dei*, & ecce *omnia adÿcientur nobis*: quoniam *diligentibus Deum* Rom.8. *omnia cooperantur in bonum*. Neque verò dubitandum, quin omnem charitas prosperitatem, etiam téporalem, adferat. Exemplo sint Dauid, Iacob, Ezechias, aliíque sexcenti Dei serui.

9. An non in Euangelio suis Redemptor amicis pa-Luc.21. làm pollicetur: *Capillus de capite vestro non peribit?* Psal.33. *custodit* enim & diligit *omnia ossa* suorum, *vnum ex his non conteretur*. Eadem ceu adamantina futura sunt, quò temporum diuturnitati & corruptioni resistant.

10. Sanitatem paralytico cùm restituisset, vereretúrque ne ob recuperatum membrorum vsum nimium gaudens, recularum fortè suarum obliuisceretur, Ioan. 5. sanato ait, *Tolle grabatum tuum*: si tu pauperum curam geras, familiæ Deus tuæ curam geret.

Cant. 7. 11. Annon de dilecta sua solicitus ait, *Nolite euigilare dilectam donec ipsa velit?*

12. Prodigum pater non modo apertis vlnis veni-Luc.15. entem amplectitur, verùm etiam videte, vt de epulo illi instruendo, de stola prima, annulo & calceamen-Psal. 54. tis dandis anxiè laboret, frater mi, *iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.*

13. Et verè: neque enim bonum duntaxat nobis optat, verùm etiam de commodis nostris laborat, & *Mê-*Luc. 6. *suram coagmentatam*, ait sacer textus, *in* nostrum vult *sinum dari.*

14. Discipulis porrò suis Redemptor ait, *sedete & orate*, Docemur hinc, si quando orationi incumbere volumus, animum corpusq; ad quietem componere, quin etiam commodum captare corpori situm: ipsa alioquin corporis incommoditas multarum est mentis euagationum occasio.

15. *Sedete*. Quietem ipsis permittit ante laborem, cũ iam antè scãdalum & fugam omnibus prædixisset.

Non

Non multò post enim, properè consurgent, quando nihil minus expectantibus illis dicet, *Surgite eamus.* *Psal.126.*
Quare *surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*

16. Est & aliud secretum, quod hic vos, animæ piæ, discere velim, vt scilicet confessarijs vestris, in facilibus, imò etiam percommodis rebus quas suggerunt, vti essent, comedere, dormire, quiescere, non minus promptè obediatis, quàm in perincommodis, puta ieiunijs, orationibus, & austeritatibus. hęc enim *obedientia*, seueritatum & mortificationum *sacrificijs melior* est: atque ita id esse, cœlitus B. Mater Teresa didicit, cùm longè secùs atque animæ eius director suadebat, Catharinæ de Corduba austeritates æmulari sectarique desideraret. *1.Reg.15*

IV.

1. Cùm itaque, iuxta Domini præceptum, Apostoli ad sedendum sese composuissent, piè præsumendum est, (vt piè S. Bonauentura meditatur) Redemptorem amicè illis vale supremum dixisse: idque postquam eos ad persecutionum tolerantiam iam esset animando exhortatus, sicut & alias sæpius ad hanc eos excitarat, vti dum beatos tum demum eos forè dixit, quãdo è mundo grauiter exagitarentur: illorum enim *mercedem copiosam* fore *in cælis*; nec ipsos, vtpote discipulos, mitius meliusque habendos, quàm sese, qui eorum erat Dominus, vt quem aduersarij & *Beelsebub*, & *dæmoniacum*, & impostorem alias appellarant. *Matth.5.* *Matt.10.* *Luc.6.* *Ioan.13.*

2. Verissimum est igitur, ducem qui leo sit, militibus ceruinis etiam animos addere posse. quàm tamen hæc Apostolorum sub *Leone de tribu Iuda* militantium animositas breui in auras abijt & diffluxit! *Apoc.5.*

3. Sed videte, quonam eos modo distribuat, & quasi in turmas quisq; suas diuidat: octo scilicet, velut auxiliares suppetias futuros retro in tuto collocat, & tres duntaxat secum assumit, qui ad vallum propiùs excubent. Hinc symmetricam œconomiam & hierarchiam perspicite Ecclesiæ, quæ in sponsi sui oculis pulchra apparet, *vt castrorum acies ordinata.* Hinc *Cant.6.*

etiam discite Ecclesiæ huius militantis ordines non deserere, & pastores vestros iuxta dignitatem suam singulos, honorare.

Gen. 42. 4. Videte itaque, vt placidus noster Iacob, cum lacrymis & cordis amaritudine, filijs suis in Aegyptum denuò abeuntibus, vale dicat.

Tob. 5. 5. Videte hic Tobiæ matrem, irremediabilibus filij sui in Rages profectionem lacrymis prosequentem. Nullus autem pater, mater nulla, suos ita dilexit filios, vt discipulos suos Seruator. Atque inde vobiscum ipsi dispicite, quàm amarum & graue illi fuerit ab ijsdem separari. *Mulier* (per aliquem prophetarum *Isaiæ 49.* suorum profitetur) *suum* potius obliuiscetur *infantem*, & *filia ornamentum pectoris* sui, quam ego sim populi mei memoriam depositurus.

6. Quomodo non amans & amata quædam coniux lamentatur, vbi maritum suum ad sanguinolentum aliquam conflictum, in quo de vita periclitabitur, conspicit abeuntem? Quales tui, ô Ecclesia, *sponsa sanguinis*, in collegio hoc Apostolico repræsentata, fuerunt angores, maritum tuum iam abeuntem videntis, ad te *in sanguine suo lauandum, quò sine ruga &* *Ephes. 5.* *immaculatam* te efficeret? *Cui comparabo te, virgo filia Sion, aut cui assimilabo te? facta est, vt mare contritio tua.* *Thren. 3.*

7. Non tot agitatum mare habet mugitus, quot Apostoli emisere singultus; non tot illud vndas ad littora conuoluit, quot si effundunt lacrymas; non tantam illud habet salsuginem, quantam hi amaritudinem.

8. Quid? Ariadne, à Theseo discedente derelicta, præ dolore exspirat: suum Dido Aeneam è portu Carthaginis soluentem dum videt, sibi ipsa necem consciscit, si modo fabulosis Græcorum credimus historijs. Quid igitur vos, ô Apostoli, Magistro vestro recedente, facere par est? *Aene. 4.*

9. Cilicum saltem seruorum consuetudinem imitemini, in eum quo herile cadauer crematur rogum, vltro

vltrò se inijcientium; & cum ipso, in busto Caluariæ, amore eius accenso, moriamini.

10. Legitur S. Laurentius, cùm Sixtum Papam ad supplicium duci cerneret, his eum abeuntem verbis compellasse: *Cur nos Pater deseris? cur nos desolatos relinquis? inuadent gregem tuum lupi rapaces: quid in me displicuit paternitati tuæ? nunquid degenerem me probasti? experire vtrum idoneum ministrum elegeris.* Cui mox Pontifex, præcedere se duntaxat respondit, ac Laurẽtium in triumphali hoc supplicio propediẽ secuturũ. Similibus credite, carissimi, Redẽptorẽ verbis Apostolorum suorum dolorẽ afflictionemq; mitigare potuisse, ac dixisse, *Præcedam vos in Galilæam*; atque illos, mortem tolerantes, se ducem secuturos, quò eiusdem secum postea gloria in cælo fiant participes.

11. Non grauior est animæ à corpore, & capitis à reliquis membris per violentam mortem auulsio, quàm hæc Domini nostri Iesu Christi fuit à carissimis discipulis separatio. ipse quippe animarum eorum fuit animæ; & caput, cuius illi erant membra; ipse *vitis*, cuius illi *palmites*. *Ioan. 15.*

12. Piè nihilominus cogitare possumus, carissimum hunc magistrum illorum

——— Lenire dolorem
Solando cupere, & dictis auertere curas.

Atque vt radij Solis tum lenius feriunt & gratiosiores sunt, cùm ille occidit, sic noster sol *Oriens ex alto*, cùm ab occasu, quem mors illi adferet, non multo abesset, verbis vsus est quàm affectuosissimis. *Eloquia eius dulciora super mel & fauum*; ipse namque lac & *mel* sua *in lingua* habet. *Luc. 1.* *Psal. 18.* *Cant. 3.*

13. Quid? dicere ne audebimus quàm suam amanter officioseque illis matrem commendaret, cuius dolores cor eius mirum in modum cruciabant. Sed satius est multò, fratres, amaritudinem hanc cordis vestro in corde sentire, quàm multis eam verbis auribus exprimere conari; vobis itaq; eam cogitandũ relinquo.

14. O triste vale, cum Deus relinquatur ! ô nefandum ac funestum peccatum, quod dũ Creatorem creaturæ nos postponere facis, triste nos Deos, paradiso, gloriæ, visioni gloriosæ, Angelis, Beatis, Beatissimæ Virgini matri, & sanctis omnibus, beatitudini, & æternitati Vale cogis dicere! Vah, maledictum peccatum! pereat dies in qua tu primùm conceptum es, & in qua dici primum potuit, *Peccauit homo*.

Matt. 25. 15. Tu, ô ferale Tartari genimen tristem & terribilem illam causaberis separationem, quam magnus viuorum ac mortuorum Iudex in die iræ suæ faciet, dum hædos à sinistris, oues autem à dextris sibi statu-
Matt. 8. et. An non contremiscitis, dum de horribili hac diuisione loquentem me auditis? *Salua nos Domine* in die illa ne æternarum flammarum diluuio inuolua-
Psal. 31. mur. Te per Sanctissimæ Matris tuæ, & Apostolorum intercessionem, iam rogamus, *quando* nimirum *orat ad te, omnis sanctus in tempore oportuno, veruntamen in diluuio aquarum multarum ad te non approxima-*
1. Thes. 4. *bunt*, vt, quæ tua benignitas est; præstes, vt tunc tecum *in aera rapiamur*, non verò *in tenebras exteriores, vbi*
Matt. 12. Iob. 10. *nullus est ordo*, sed *sempiternus horror inhabitat*, in lo-
Matt. 23. cum *vbi erit gemitus, & stridor dentium, & fletus* amarissimus, detrudamur.

Ex hac homilia discite 1. Dominum ad vsque perfectionis montem sequi, eius misericordiam experiamini, simul etiam deliciarum vestrarum adipem tempore hoc pœnitentiæ destinato deserere, 2. animorum hortos sedulò excolere, 3. passiones & effrenes affectus per orationem cohibere, Deoque ob tot commoditates paruas, quas vobis tam munifica manu elar-
Rom. 8. gitur, gratias agere, 4. operam dare, ne peccatum, nec *mors, nec creatura aliqua vos separet à charitate, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, qui vnicè & amari, & coli debeat.

Amen.

DO-

FERIA II. POST DOMINIC. I. Quadragesimæ.

Pauor & tristitia Redemptoris.

HOMILIA V.

ET *assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum, & cœpit pauere,* &c. Quatuor hîc res considerabimus, 1. Domini electionem, qua tres tantùm ex omnibus selegit Apostolos, 2. eius tristitiam, 3. quomodo eam ipsis communicarit, 4. denique, vt paulisper eos expectare, & secum vigilare iusserit: è quibus non parua in rem nostram documenta eliciemus, si modò patienter dicentem me audieritis.

1. Mirum & magnum est, fratres in Domino dile-
ctissimi, è tam paucis quos Dominus habebat disci- I.
pulis, viris electis, & *regali sacerdotio*, eisque omni-
bus à manu sua selectis, nonnisi tres eum selegisse, qui 2.Pet.1.
sibi in supremo hoc conflictu adessent. Hinc discemus
quàm verum illud sit pronuntiatum, *Multi vocati,* Ioan.15.
pauci verò electi. Plurimi hocce in auditorio sumus; Mat. 20.
sed eheu! quando *dies vindictæ Domini exercituum*
futura est, quàm forsitan pauci salutem consequen- Ierem.16.
tur, si *à viis* nostris *malis* resilire, & *desistere agere peruersè* nolimus.

2. Hinc etiã discetis, animæ piæ, quot erga Dominũ
nostrũ Iesum nominibus deuincti sitis, qui *visitare* Luc.1.
vos *oriens* ex alto, vosq; *in* tot *benedictionibus dulcedi-* Psal. 20.
nis præuenire dignatus est, vt vos *oleo lætitiæ* & chari- Psal. 44.
tatis *præ participibus* vestris *vnxerit.* Hoc meditari, dulce est. Fierine potest, tenerum sponsi nostri cor tot minutis in rebus, quibus ceu blandis quibusdam laqueis animos vestros sibi selegit, vestri recordari? quid feceratis, & tam ingens bonum mereretis? at verò quid non commiseratis, vt eo indigni censeremini?

3. Mirabilis planè est Dei electio, qui etiam ante-
Rom. 9. quam nascerentur, *Iacob dilexit, Esau autem odio ha-
buit. Quis iudicia eius sugillare audeat? quis figulum
impediat, quò minùs liceat ei ex eadem argillæ mas-
sa quædam vasa facere in honorem, & alia in contu-
Rom. 11. meliam? *quis consiliarius eius fuit?*

4. Liberam nobis omnibus in rebus esse electionem
volumus, in floribus, cibis, vestibus, familiaritatibus:
cùm verò Deus actus quidam purus sit, & liberrimè
agens, cur non ad libitum sibi, quęcunque placuerint,
segregabit?

5. Hoc etiam nos docet, particulares posse nos ami-
citias, sine vllo perfectionis dispendio fouere. S. Io-
annem, Martham, & Mariam Magdalenam singulari
quodam modo Dominus dilexit. S. Petri filia spiritu-
alis fuit, Petronella, & discipulus illi carissimus,
Marcus. Paulus doctor gentium quàm multos præ a-
Epist. lijs peculiariter complexus est? S. Ioannes electam an-
Ioan. 2. te alios quoslibet fideles carissimam habuit, & Mo-
nicam Ambrosius, & alij alios.

6. Ipsa etiam animalia plures simul parientia fœ-
tus, vnum semper præ alijs maiore fouent cura, &
sollicitudine: quod in aquilis & canibus obseruare
est.

7. Laudabile est, patres, pari erga omnes filios a-
more vos ferri, non propterea tamen malum est, sin-
gularem in eos, qui alijs sunt parentiores & obse-
quentiores, amorem affectumque ostendi. Nolo ta-
men id magno reliquorum dispendio & damno fieri,
sed in rebus duntaxat accessorijs, quæ nimirum pri-
mariam charitatis partem non vitiant. Vnde for-
tasse fiet, vt suo reliqui exactius officio fungan-
tur.

Luc. 15. 8. Quid? Prodigus, tametsi prodigus, non idcirco
minùs alijs fratribus paternæ hæreditatis particeps
fuit. An nō enim Patrifamilias licet de bonis suis, pro
libitu disponere? *Numquid possunt de suo, quod vo-*
Mat. 20. *lunt facere? an quia boni, alij nequam?*

9. Sed

9. Sed quamobrem tres hosce Redemptor Apostolos selegit, cùm ad orandum abijt? Primò, quia ita illi placuit, vti iam ante paulò ostendi. *Spiritus* enim *vbi vult, spirat, & diuidit singulis prout vult*. Secundò, quia docere nos volebat, tres esse orationis gradus, purgationem, illuminationem, & vnionem, è triplici hac voce perfectam constituens musicam. Tertiò, monstrare voluit, fidem eius esse comitem & sociam esse debere, (*Postula in fide*,) nec non spem, (*Spera in Domino, & ipse dabit tibi petitiones cordis tui*.) Denique charitatem, *Quidquid petieritis in nomine* Iesu, *accipietis*. Quartò, docere volebat, secreta spiritualia non esse cuiuis passim communicanda, (*Secretum meum mihi*;) nec de pietate esse sermonem nisi cum ijs, qui eum intelligunt, miscendum, ne fortè *dentur sancta canibus*, & *proijciantur margaritæ ante porcos*. Quintò, vt actionibus suis secretissimis, tametsi in nocturna factis caligine testes aliqui adessent. Deus noster; Deus luminis est, & *odit opera tenebrarum*, sicut qui agit *malum, odit lucem*; quam amat, qui bonum agit.

Ioan. 3. 1. Cor. 3. Iac. 1. Psal. 36. Isaia 24. Mat. 7. Rom. 13. Ioan. 3.

10. Sed communis assumptionis huius ratio est, vt (quemadmodum contemplatiui docent) quos gloria transfigurationis in monte Tabor adeò inescârat, ad tria sua tabernacula in montis Oliuarum desiguratione constituenda inuitarentur. Mat. 17.

11. Nouit scilicet prudẽs dux noster, generosissimos quosq; suorum discrimini obijcere, & efficere, vt qui alijs sunt audaciores, periculum præsens agnoscant.

12. An non æquum est, iactabundum hunc Petrum, qui ita de se suisque viribus præsumpserat, retundi, & filios illos Zebedæi adeò gloriæ cupidos, qui primatum ambiebant, eumque per matrem suam postulârant, humiliari? Mat. 10.

13. E primo hoc puncto discite, fratres, 1. Deum rogare, vt de electorum eius esse numero possitis, quo *inter electos eius resuscitati respiremus*. 2. Ob particularia ab ipso accepta dona, gratias agere 3 In amicitijs

ineun-

ineundis bonum delectum facere. 4. cum feruore Deum precari. 5. interiora secreta cum paucis communicare. 6. nihil omninò facere, quod oculos cuiuspiam vereatur. 7. Non minùs, imò magis, amare Christum in monte oliuarum designatum, quàm in monte Tabor transfiguratum, vt socij simus tam pasſionum, quàm consolationis.

II. 1. *Cœpit pauere, contristari, & mœstus esse.* Quomodo ô dulcisſime Iesu, omnium cordium desolatorum consolatio & gaudium, qui comprehensor simul es & viator, fieri potest, aliquem in anima tua gloriosa, tristitiæ esse locum posse? Hîc scilicet, *postposito gaudio crucē sustinuisti*, &, ceu nouus quidā Moyses, aulę cœlestis delicias contēpsisti, quò cū hominibus affligereris. Vide ô anima, quidnam tui causa contemnat, & quidnam vice versa complectatur.

Heb. 12. Exod. 2.

2. Multas tristitiæ huius causas aſsignant doctores, è quibus quatuor ipse seligam, quas ordine vobis deducam. Prima est, quòd Christus Dominus, vtpote Deus simul & homo, in diuinitate sua omnes cruciatus, quos in humanitate iamiam toleraturus erat, adeò sibi præsentes cerneret, perinde ac si in speculo coram eosdem esset contemplatus, vt Eckius scriptor doctus æquè ac pius obseruauit. Hæcque repræsentatio adeò viua fuit, præsens, ac penetrās, vt nisi à verbo sustentata fuisset, benedicta Redēptoris nostri caro ex apprehensionis vehemētia obruta, effusa fuisset & annihilata, iuxtà id Prophetæ vaticinium, *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.*

Psal. 21.

3. Medicus ipse dum ægrotat, an non morbus eius, per eam quam illius habet notitiam adaugetur, &, quoniam potionum medicarum amaritiem acerbitatemque nouit; hinc multò eas obbibit ægriùs, quàm alius quislibet, compositionem mixtionemque ignorans medicamentorum? Ad eumdem modum dicimus, perſpicuam pœnarum, quas iam iam subiturus erat, repræsentationem, earumdem in Seruatore apprehensionem adauxisse.

4. Vt taceam (ſecunda hæc cauſa eſt) delicatiſsimam corporis eius complexionem, vt quod è puriſſimo teneri Virginis Mariæ cordis ſanguine Spiritus ſancti opera efformatum erat. Quocirca cogitate vobiſcum, quanto ſupplicia, tenellæ & molliculæ inflicta cuti, grauiora ſint, quàm quæ duræ & aſperiori: atque hoc apprehenſionem Domini adaugebat.

5. Tertia cauſa fuit, extrema & arctiſsima, quæ inter corpus hoc omnium quæ terra vnquam tulit, pulcherrimum, & animam, qua nulla vnquam creata fuit dignior, exſtitit vnio. Exclamem ergo, ô inſignem in inſigni vagina gladium, pulcrũ è pulcro caule florem, pulcram pulcri ſponſi ſponſam, dignum regio palatio hoſpitem, optabilem cœli terræque coniunctionem, ſcitam duarum rerum ita ſcitarum vnionem ô pretioſam denique in tam pretioſa pala margaritam!

6. Sancta hæc anima nullum vnquam peccatum commiſit, multò etiam minùs ſanctum hoc corpus. *Rom. 6.*
vnde etiam, ô noue *Adam, de cœlo cœleſtis*, æternam & mortis expertem vitam viuere merebaris: cùm enim *ſtipendium peccati mors ſit*, cur funeſtos eius ſentis effectus, cuius nullam in te habes cauſam? Væ nefandis hominum peccatis, quæ in Seruatore meo ob talem ſeparationem pauoris & angoris cauſa fuerunt!

7. Ecquam verò in animo tunc eum conuulſionem ſentire oportuit, cùm adeò ſibi vicinã vidit mortem, *Ariſtot.*
quæ, teſte Philoſopho, qui naturæ arcanæ quàm profundiſsimè eſt rimatus, omnium terribilium eſt terribiliſsimum? Damocles ex ſumptuoſo cui aſsidebat *Cic. Tuſcul. 5.*
epulo, nihil prorſus deguſtauit, quòd ceruicibus eius de laquearibus dependens immineret gladius: Ecquam verò triſtitiam Agnus noſter ſenſiſſe putandus eſt, cùm iam iam ſeſe videret immolandum?

8. Sed quarta & præcipua extremi huius angoris cauſa, eſt ipſamet eius cauſa, ipſa ſcilicet peccata noſtra, quæ ceu *torrentes iniquitatum* ipſum perturbant. *Pſal. 17.*
Poëta laſciuus ob ſuas ineptias & licentiam in exilium actus ſic canit:

Cumque

Cumque sit exilium, magis est mihi causa dolori,
Estque pati pœnam, quàm meruisse minùs.

9. Nunquamne, dilectissimi, causam hanc, quæ intra nos est, & cuius dolores benignum dulcissimi nostri Iesu cor angoribus opplent, prout oportet, detestabimur? Maledicta ergò hæc peccata per pœni-
Psal. 50. tentiam auferamus, *reddamus* illi *lætitiam salutaris* eius, & *spiritu* eius *principali confirmemur.*

18. Quando, ô detestabile peccatum, genimen viperarum, inferni progenies, quod *Spiritum sanctum contristas*, Filium affligis, & Patrem ad iracundiam prouocas, infelix & scelestũ regnũ tuum euertetur?

11. Quod cùm fecerimus, carissimi, nubes hasce, quibus lucidus sol noster inobscuratur, dispellemus, & Angelis conuersione nostra in cœlo gaudium afferemus. Hoc nobis concedat omnipotens & misericors Deus Amen.

12. Sed textus nostri verba iam excutiamus. *Cœpit*
Leui. 26. *pauere.* Videte vt summus sacerdos noster *paueat ad sanctuarium* Dei, in quo nimirũ passionis eius virga carnis illius mãna superponetur. *Dolores* & angores
Psal. 17. *mortis* ipsum *circumdant*, *laquei mortis* ipsum circumdant & *præoccupant.*

13. Historiæ produnt, reum quemdam mortis sententiæ in diem crastinum producta, nocte vna toto capite incanuisse: Videte vt sponsus noster candidus, mortis sententiam sibi ob oculos proponens expallescat.

14. Hem, quomodò nouus noster Adam igneum iu-
Gen. 3. stitiæ æternæ mucronem sibi intentatum cernens, palpitat ac contremiscit!

15. *Cœpit tædere.* Audite Iobum, *Tædet animam me-*
Iob. 10. *am vitæ meæ, loquar aduersum me amaritudines.* Et
Iob. 17. rursus; *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Quàm tędiosi porrò & fastidiosi benigno huic Saluatori sumus, quando pœnitentiam nostram ac conuersionem
Eccl. 5. tamdiu differimus! *Non tardes conuerti ad Dominum,*
2 Esdr. 9. *quia benignus & misericors, & multus ad ignoscendum.*

dum, longanimis & patiens super malitia.

16. *Et contristari* Darine aliquod tristitiæ potest genus, quàm Redemptor Iesus non patiatur? Videte quomodo *spiritus tristis* illi *exsiccet ossa*, quomodo pulcher ille *flos campi* emarcescat, color eius roseus euanescat, oculorum splendor offuscetur, *gratia in* vultu & *labijs* eius *diffusa* emoriatur, melancholia tristis cor eius occupet, & *dolorum torrentes* ipsum adobruant. *Prou. 15. Cant. 2. Psal. 44. Iran. 11.*

17. Si, vt Lazarum à mortuis excitaret, *infremuit spiritu*; quid modò facturus est, quando vt vniuersum genus humanum morte sua gratia resurgat, effecturus est?

18. *Et mœstus esse.* Quid? etiam doles? ad quem te languorem, ô cordium iubilus, ô *corona* & gloria *nostra* redigis? Quid aliud, dilectissimi, pro omni hac tristitia & pauore, quorum ipsi causa sumus, in compensationem illi dabimus, quàm vt sanctè seuereque de causa hac, peccato inquam, pœnas exigamus? *Verè*, eheu! *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: attritus est propter scelera nostra, vulneratus est propter iniquitates nostras.* *Phil. 1. Isaia 53.*

19. Quàm verò tristitia, quæ è peccato prouenit, vtilis est & salutaris! atque hæc est, quam Apostolus *tristitiam* appellat *ad pœnitentiam*, & *secundum Deum*. Atque hæc est, qua *in lacrymis* nos *serere*, sed *in gaudio metere* facit: deque hac scriptum est, *melius esse ire ad domum luctus quàm ad domum risus*: hæc denique est qua meritò Heraclitum Democrito nos præponere facit. *2. Cor. 7. Vide diuersit. li. 3 c 62. Psal. 125. Eccl. 7.*

20. Ne dicamus cum impio illo, *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* ne imitemur scelestos illos, qui *lætantur in rebus pessimis*, nec in sortem peruersorum illorum veniamus, qui ambigunt, verè ne Deus sciat, aut *si sit scientia in excelso. An qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* *Eccl. 5. Prou 2. Psal. 72. Psal. 93.*

21. Quin

21. Quin potiùs cum ſapientibus dicamus, *Peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Iob. 17. *Iſaia 38.*

22. Indeuoti & negligentes quidam, commoditates ſuas ſectantes, in Purgatorio ſe ſuam dicunt pœnitentiam acturos: ſed impia & ſceleſta hæc vox iam tum tartari fumum redolet, & fœtens quidam vapor eſt, è puteo abyſsi euaporans.

Apoc. 9.

23. Lazarus ad vitam reſuſcitatus, quòd quatriduo in ſinu Abrahæ (qui locus tum quidem aliquod includere refrigerium videbatur, etſi interim clara Dei viſione careret) fuiſſet, tantam inde cordis amaritudinem prætulit, vt reliquo vitæ tempore eum nemo viderit ridentem. Quomodo igitur ipſe Purgatoriũ tam parui pẽdis, in quo præter hanc pœnam dãni, ignis inimaginabiliter adurentis & penetrantis pœna ferenda eſt? Ah! animæ teneriores, ſolus huius pœnę, etſi temporanee, metus, ipſius vobis peccati horrorem debet & odium ingenerare.

Ioan. 11.

III. Ad tertium noſtrum punctum veniamus. *Et dixit illis, triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Horrenda verba, & quibus auditis, cor noſtrum diffindi, oculi in lacrymas diffluere, & ipſi præ ſtupore exareſcere deberemus, dum peccata noſtra lethalẽ videmus benigno cariſsimi ſponſi noſtri cordi plagam & anxietatem afferre.

1. Filium nepotiantem, & prodigum pater interdum ſic alloquitur, Apage nequam, mores tui diſſoluti mihi morte ſunt ipſa grauiores, & vitæ meæ finem accelerant. Quibus auditis ſtatim nepos ille reſipiſcit, commiſſa eluget, mores emendat, veniam delictorum patrem precatur. Quid obſtat, cariſsimi, quin idem ipſi cum Patre noſtro cœleſti faciamus, quem commiſſa noſtra in tantum cruciant & affligunt, vt præ dolore & triſtitia emoriatur?

2. Redemptor noſter Ieſus toties pijs ſpiritualibuſque animabus in ſpecie agonizantis aut crucem baiulantis, aut ſpinis coronati, aut flagellis conciſi apparuit;

paruit;quemadmodum S. Catharinæ Senensi, Francisco, Dominico, & B. Ignatio de Loyola visus scribitur, expostulans, ob nostra se peccata denuò cruci affigi, sicut olim ob hominum ante diluuium viuentium scelera *dolore cordis tactus intrinsecus.* Gen. 6.

3. Quocirca, fratres, Patrem, amicum, & sponsum nostrum tam diris excruciare modis cessemus. Iterum mea ipse vobis lingua edicit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Tristitiæ & mœrori eius compatiamur: ideo enim eum Apostolis declarauit; vti & postea, cùm in cruce diceret, *Sitio*, ingentem patefecit sitim, qua nostram salutem sitiret.

4. *Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi;*
Multaque corporibus transitione nocent.

Quomodo ergo eius nos passio & dolor ad compassionem non emoueant? eia igitur, anima fidelis, sponso tuo mœrore prostrato compatere, vti suo olim Protesilao Laodamia, dicens

Qua possum squalore, tuos imitata labores Ouid.
Dicar, & hæc belli tempora tristis agam. Heroid.

5. Quomodo, ô cor meum, hæc te Saluatoris contristati verba non dissecant? audirene illa potes, & non emori? aut saltem non efficere, vt peccata tua, quæ animam eius ad mortem vsque contristant, emoriantur?

6. *Et dixit illis* A quo tandem tempore, ô cœli, terram consulere cœpistis? equidem credebam ab influxibus illam vestris gubernari & regi, & vos illius auxilium & influxum exspectabitis? Ecquam Creatori afferre consolationem potest creatura? Suos hîc ille docet filios, vt, quoties spiritus exagitantur angustijs & afflictionibus, *Videntes adeant* consilium petituri, 1. Reg. 9. patres inquam suos spirituales.

7. Quanta est in amaritudine cordis dulcedo, suum fidenter posse dolorem & angorem in compatiendis amici sinum effundere! *Qui fidelem*, ait Sapiens, *amicum inuenit, thesaurum inuenit*, sed thesaurum *incomparabilem*, & inæstimabilem. Eccl. 6.

8. Hanc etiam ob causam infortunatum credit so-
Eccl. 4. litarium, eò quòd non habeat, qui afflictum con-
soletur, prolapsum subleuet, & frigidum calefa-
ciat.

9. Sed videte, vt medicus noster cœlestis, suis in
Luc. 4. malis *seipsum non curet*, sed alios consulat: perinde ac
si discipulis dixisset: Tristitiâ adobruitur anima mea
& deijcitur, vos ipsi aliquatenus alloquio animum
meum erigite & consolamini.

10. Hinc discamus, pauperes afflictos & mœrentes,
atque in ijs Saluatorem Iesum, consolari: discamus
alter alteri opitulari; & alterius imperfectiones por-
Gal. 6. tare, quò nostras ille ferat: *Alter alterius onera portate,
& sic adimplebitis legem Christi.*

IV. 1. Sed nullo, ô Iesu ab omnibus derelicte, dolorem
tuum verbo Apostoli leniunt, nisi quòd tristitia cor
eorum penitùs occupante, & loquendi facultatem e-
ripiente, *lacrymæ habeant pia pondera vocis*: immò ve-
rò tu ipsos consolari dignaris, & ais: *Sustinete hîc, &
vigilate mecum* verba neruosa, & succi plena, sunt
hæc. Omnem philosophiam suam in duobus Epicte-
tus verbis sitam aiebat, ἀνέχου & ἀπέχου, id est, *sustine
& abstine*: omnem etiam philosophiam Christianam
ijsdem comprehendi crediderim. Nam *agere & pati
fortia Romanum* & Christianum *est*.

2. Regiè id Regius vates declarat: *Exspecta Domi-
Psal. 26. num, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Do-
minum*. Quem diligenter à te, anima pia, versiculum
ruminari velim, quando vitæ spiritualis aduersarius
te tentando vexandoque affliget.

Mat. 24. 3. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius,
Mat. 25. inuenerit vigilantem*, & lucernam in manibus, vt sa-
pientes illæ virgines habentem.

4. *Dies Domini tanquam fur in nocte veniet*: dies non
Thess. 5. solùm iudicij vniuersalis, sed etiam tui singularis, ô
frater, semper igitur esto & corpore & animo para-
tus, ac velut assiduè in procinctu, vt ad primum tubæ
signum itineri te committere queas: neque enim tunc
ad a-

ad aptandorum armorum tempus est, cùm hostis instat & conflictus.
5. *Et vigilate.* Verbum commonefaciens hoc. Non *dabo somnum oculis meis, donec inueniam locum Domino.* *Fratres, sobrij estote, & vigilate.* Monet nos item Apostolus Paulus, *vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè & piè viuamus in hoc sæculo; vt non grauentur corpora nostra somno & crapula: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam.* *Psal. 134.* *1. Pet. 5.* *Tit. 2.* *Luc. 21.* *Sap. 9.*
6. Vos, ô Episcopi, Ecclesiæ excubitores, super greges vestros excubate, vti super suum pastores illi, qui recens natum Dominum videre meruerunt. Vos quippe estis *custodes Ierusalem* semper circumeuntes, semper vigilantes, semper clamantes. *Clamate* igitur contra vitia, *ne cessetis*, semper excubate, vel si fortè dormitis, adinstar leonum, apertis dormite oculis, vel sicuti canes, qui ad minimum strepitum excitari & latrare solent. *Luc. 2.* *Isaia 62.* *Isaia 58.*
7. Orbes cœlestes assiduè voluuntur, suaque semper astra terram versus patentia habent. Vos estis *luminaria mundi, ne* itaque *defatigemini deficientes*, inspicite, visitate, vigilate. *Phil. 2.* *Heb. 12.*
8. *Vigilate & orate.* In oratione somniculosum esse, nefas est, neue *opus Domini negligenter faciendum*: *inimicus* alioquin *homo* tot distractionum *superseminabit zizania*, vt, sicut asinus ille restionis, quem emblematographus depingit, deuoraturus sit quidquid tu aggesseris, *oratioque* tua tibi *futura sit in peccatum*, aut saltem parum vtilitatis, vel nihil allatura. *Iere. 48.* *Matt. 23.* *Psal. 108.*
9. Nullo diabolus tempore acriùs nobis insidiatur, quàm dum orationi incumbimus, quò eiusdem nobis fructum eripiat; tunc quantum ipsi construimus, tantum ipse destruit, & omnem mellificationis nostræ interioris œconomiam, si possit, suis aranearum telis disperdere elaborat.
10. *Vigilate mecum.* Quis, dilectissimi, graue aut tædiosum ducat cum Domino vigilare? Vrias probro sibi ducit molliter somnum domi carpere,
 duce

duce suo Ioab in castris excubãte; & ipsi dormiemus,
2.Reg. 11. interea domi *arca Israel habitat sub papilionibus* cœli in monte Oliueti?

Psal. 90. 11. *Mecum*. Videte, quomodo nobiscum *sit in tribulatione*, simus igitur & nos cum ipso in tormentis & cruciatibus.

Luc. 11. 12. *Mecum*. Domine, *qui non colligit tecum, dispergit, & qui non est pro te, contra te est*. Ipsũ ergo in omnibus
Luc. 24. operibus nostris & moliminibus aduocemus. *Mane nobiscum Domine*. Esto nobis semper *Emmanuel*. *Nisi*
Psa. 126. *Dominus ædificauerit domũ*, &c. Iesu nostro adhæreamus & vniamur, & ipse nobis futurus est Iesus.

Ex catechesi hac discite, dilectissimi, 1. Deum rogare, vt nos in suos eligere dignetur, vti nos illum in
Psal. 72. *partem* nostram *æternam* adoptamus; 2. tristitiæ illius causam in nobis corrigere, ipsa videlicet peccata, 3. hac nostri conuersione illum consolari & recreare, 4. denique vnà cum ipso in hoc mundo sustinere & vigilare, omne vitæ tempus illius in obsequio peragendo. Ipse *nos in suo sancto seruitio conseruare & confortare dignetur*. Amen.

FERIA III. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

Apparatus ad orationem.

HOMILIA VI.

Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. ET *ipse auulsus est ab eis, & processit, quantum iactus est lapidis*, &c. Hæc verba ordine, hac homilia prosequemur. 1. *Ipse auulsus est ab eis*; 2. *processit quantum iactus est lapidis*; 3. & *positus genibus*, 4. *procidit in faciem suam super terram*. Hæc examinemus.

I. 1. Violenta metaphora est, *auulsus est ab eis*, quæque energicè admodum duram, qua Redemptor ab Apostolis suis separatus est, separationem exprimit: sumpta

ſumpta à magnis illis arboribus eſt, quarum radices violenti quidam ventorum impetus conuellunt, eas ceu aquilonis ludibria ſolo proſternentes. Tu, ô infelix peccatum, furens ille es aquilo, qui adeò impetuoſè ex animarum noſtrarum terra, egregiam illam arborem vitæ, excellentem illam gratiæ, quam ſuis ipſe Dominus manibus ibidem inſeuerat, ſtirpem euellis.

2. Ipſe *vitis* erat & ſtipes, cuius Apoſtoli *palmites* erant & rami: hinc, ſicut vinea ſuam deplorat lacrymando inciſionem, mirãdum non eſt, Dominum quadam velut vehementia *ab eis auelli*. *Ioan. 15.*

3. Mirabimurne tuũ, ô noue Prometheu, qui ignem amoris cœlitus detuliſti, in monte hoc Olíueti cor, à vulture doloris diſcerpi, & depaſci?

4. Sed illinc etiam Apoſtolos conſideremus neceſſe eſt, tanquam *ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*: ſimiles illis paruulis, quos Herodis tyranni furor à matrum ſinu dirè reuulſos nudæ ſuæ ſuſpicioni in victimam immolat. *Iſaiæ 28.* *Mat. 2.*

5. Quàm porrò, Deus bone, illorum dolor & amaritudo maior eſt, quàm puerorum, dum ablactantur, dum hoc ſeſe magiſtro vident orbari, cuius *vbera meliora ſunt vino*. *Cant. 1.*

6. O dura ſeparatio! cur contra legem, *coquis hædos in lacte matris* eorum? *Exod. 23.*

7. Iudicate etiam, fratres dilectiſsimi, quàm ipſi graue & doloroſum fuerit Redemptori, (cuius vbera litia & redundantia ſunt lacte *miſericordiæ*) ab ijs liſtrahi ac ſeiungi alumnis, qui eadem indies exſugeant. Hoccine igitur ſaccareum lac in terram effunetur? *Epheſ. 2.*

. *Siccine ſeparas amara mors*? Dura quidem amiorum ab inuicem eſt diuulſio, dura coniugum; ſed ihil hæc eſt, ſi cum tenero Redemptoris noſtri erga iſcipulos, qui eius erant *domeſtici*, amici, filij, oues & ariſsimi, affectu comparetur. *1. Reg. 15.* *Epheſ. 2.*

9. Ex hac Christi Domini ab illis separatione discite, quomodo ne minima quidem in re suam voluerit tristitiam mitigari, ne hanc quidem in extremis suis angoribus consolationis speciem admittere cupiens; &, quomodo etiam vos omni amori proprio renuntiare, quin imò eumdem ad extremum vsque acriter persequi, ne minimam quidem eius radicem in cordibus vestris relinquendo, oporteat.

Exod. 16. 10. Hinc insuper discite mortificationem orationis veluti ianuam esse: neque enim antè manna colligitur, quàm Aegypti allia & farina relicta & consumpta sit.

11, 12, 13. Nonnisi per desertum austeritatum in Cha-
1. Reg. 5. nanæam pertransitur: deliciæ cœlestes ac terrestres inuicem incompatibiles sunt, vti nec Dagon & arca
4 Reg. 4. Domini sese inuicem ferebant, quæ à terra vacua sunt vasa, oleo cœlesti replebuntur, & desolatio, quæ in
Psal. 93. terris habetur, consolationem attrahit desursum. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

14. Atque hæc interior illa est abnegatio, ad quam
Luc. 9. tantopere suos adhortatus est Redemptor. *Abneget semetipsum.* Illos duntaxat diligit, qui propter se om-
Psal. 44. nibus renuntiant. *Audi filia, & vide,* &c. *Nisi quis re-*
Luc. 12. *nuntiauerit omnibus quæ possidet,* &c. *Vade, vende om-*
Luc. 18. *nia quæ habes,* &c. *Qui non odit patrem suum, & ma-*
Luc. 14. *trem suam,* &c.

II. 1. Et *processit quantum iactus est lapidis.* Quàm benè,
Psal. 54. ô alter Dauid, dicere potes: *Ecce elongaui fugiens,* &
Psal. 87. rursus: *Longè fecisti notos meos à me, elongasti à me amicum & proximum.*

2. Hinc discamus esse nobis procul à mundo secedendum, si Deo viciniores fieri velimus. Primus, qui à terra nos disiungit, passus, cœlo nos reddit propiores. An non vt longiùs quis saltet, retrocedat oportet & arcus neruum ad se reducat, vt maiori sagitta impetu prouolet.

3. Insuper hinc eruitur, esse nobis, si modò benè

orare velimus, præter tot affectuum terrestrium, qui eiusdem progressum retardant, & sexcentis distractionibus feruorem eius infringunt, mortificationem & ex animo euulsionem, locum secretum à strepitu captandum, aut, si fortè huiusmodi reperiri nequeat, quãdam nobis ad nos ipsos introuersionem, & mentalem spiritualemq; secessum esse faciendum, intenta attentione mentem recolligendo.

4. Hæc scilicet interior illa solitudo est & eremus, quam inter turbationes populares ac strepitus suo sibi in corde sancta Catharina Senensis fabricabat, in qua, media inter negotia externa, tranquillè cum sponso cœlesti salutis suæ negotia tractabat. Atque hunc ipsa animorum secessum præ alijs rebus filijs suis spiritualibus consulebat Hic in sacris litteris *reditus ad cor* appellatur, atque hæc est *Sulamitidis reuersio*. *Isaia 42.* *Cant. 4.*

5. Ita testudo, sub sua delitescens testa, nullam veretur extrinsecus collisionem: ita etiam Alcyon suum in vndis construere nidum nouit, vt media inter pericula tuta sit, in agitatione quiete gaudeat, & in vasto marini humoris sinu non madescat.

6. Hic benedicti nostri Iesu secessus nobis etiam ordinarium eumque laudabilem hominum pietatem sectantium morem depingit, quòd nimirum aliquantulum fugaces sint, feri & soliuagi, quis enim tot inter scopulos collidi non metuat, in contagioso loco peste non infici, & in mari mundi huius constitutus, mergi non formidet? Hinc primigenios Christianos, in primo Eccclesiæ enascentis feruore *habitasse legimus in speluncis & cauernis terræ, angustiatos, miseros, afflictos* fuisse, *quibus dignus non erat mundus.* *Heb. 11.*

8. In admirationem lectorem rapiunt piæ illæ veterum Anachoretarum industriæ & adinuentiones, quò sese à mũdi strepitu penitùs sequestrarent. Hic enim multis annis erectus in colũna stetit, non alio tectus vmbraculo, quã cœlo: ille viginti annis ita omne hominũ cõmerciũ fugit, vt à nemine visus sit: altera multos

in silentio summo exegit annos: alter toto vitæ tempore vno loco arctè reclusus nunquam inde egressus est Non tot tyrannis olim fuerunt ad Martyres torquendos artificia, quot voluntarij hi sui martyres excogitarunt ad cor edomandum, & à noxia mundanorum conuersatione seipsos auellendos industrias.

9. *Quantum iactus est lapidis.* Egregia sanè hæc mensura est. Et quid vetat, auditores, quò minùs tristibus hisce lætum aliquid & dulce immisceamus, cùm sponsus noster *sanguinem & aquam*, ac *vinum* & *lac* simul *misceat*. — *Cant. 5.*

Apoc. 3. 10. Circa iactum hunc lapidis cogitate, sponsum hunc amorosum, qui semper *stat ad ostium* nostrum, quodcumque vel qualecùmque demum peccatum admiserimus, numquam tantùm à nobis aut tam procul recedere, vt non illum toties recuperare possimus, quoties nostræ voluntatis brachia ad illum extendere voluerimus.

11. Ecquis amor, vt nos etiam miserrimos & pauperculos, quique illum violenter è cordibus nostris pepulimus, immò reuulsimus, amore suo dignetur! Quamobrem lapidea hæc corda nostra, firmi nunquam eius offendendi propositi brachio arripientes, benignum hunc sponsum nostrum versus ea proijciamus, qui tribus etiam verbis ea à nobis exigit, *Fili præbe mihi cor tuum.* — *Prou. 23.*

12. Si nec hoc possumus, orationum saltem nostrarum lapidibus eum petamus, & *de medio petrarum demus voces.* — *Psal. 103.*

Psal. 117. 13. *Quantum iactus est lapidis.* Videte *lapidem* hunc, *quem reprobauerunt ædificantes*, qui postea, *fiet in caput anguli.* Videte lapidem illum Danielis, qui à monte (*fundamenta eius in montibus sanctis*) sine manibus, id est, libero suo arbitrio reuellitur, vt per mortem suam, variegatum & mixtum diaboli, mundi, & inferni colossum deturbet & comminuat. — *Matt. 21.* *Psal. 66.*

III. *Et positis genibus.* O genuflexionem humilem, quæ leuiculis hisce adolescentibus pudorem incutis,

cutis, qui ne fortè sua commaculent vestimenta, *Matt.10.*
in templis, vnum duntaxat genu inflectunt; in quo matri Zebediadum omninò dissimiles sunt, humili ac demisso in gestu magna postulanti, cùm illi è contra in situ elato & arroganti, humiles effundant preces, à quibus tamen *cor* quam *longissimè abest.*

1.2. Delictorum, ô superbi Pharisæi, veniam non *Matt.15.*
consequemini, nisi humiles reddamini publicani De- *Marc. 7.*
us namq; *respicit in orationem humilium, & oculos su-* *Luc. 18.*
perborum humiliat. *Psal. 17.*

3. Prostemimini, filij prodigi lasciuientes, & ex corde vos pœniteat, si patrem cælestem in faciem vestrã *Luc.15.*
procidere pre gaudio lacrymantem, & misericorditer vos suscipere velitis.

4. Sublimes cameli, genu flexo sese ad onera subeunda submittere docentur; vos verò, peccatores, sub iniquitatum vestrarum, quæ *sicut onus graue gra-* *Psal. 37.*
uantur super vos, fasce non incuruabimini.

5. Iesus *ponit genua*, qui tamen sibi *omne* dicit *genu* *Rom.14.*
flecti, & *in* cuius *nomine omne genu flectitur, cælestium* *Phil. 2.*
& terrestrium, & de quo Paulus ait, *Huius rei gratia* *Ephes. 3.*
flecto genua mea ad Dominum Iesum.

6.7. Legitur S. Bartholomæus ducenties per diem genua ad Dominum flectere solitus; & S. Iacobi Apostoli poplites è frequentiori flexione, instar calli obduruisse.

8.9. S. Antonius sæpenumerò biduum & binoctium flexo poplite perdurauit, sine vlla defatigatione orationi insistens; & S Paulus Anachoreta, ita genua curuare solitus erat, vt etiam poplite flexo exspirarit, & flectens in modum orantis, repertus sit corpore toto obriguisse.

10. Hinc discetis, non sine ratione tot Ecclesiam in sanctis suis ceremonijs genuflexiones, ac præsertim in venerandis sacræ synaxeos mysterijs adhiberi voluisse.

11. Quantum vero exteriori illâ reuerentiâ interior excitatur deuotio, & ad pietatem mouentur assisten-

tes! Væ ergò *inimicis crucis Christi, quorum gloria in confusione*, quique vt olim Michol, Dauidem exsibilant exultantem, & præ mentis gaudio tripudiantem. Pereant *in contradictione Chore, & in errore Balaam*, & in reprobatione Cham, quòd rebus adeò sacris & mysticis offendantur. Vnde etiam illorum *synagoga malignantium* non tam pretiosa merebatur monilia, atque illa quæ *speciosa* dicitur *in fimbrijs aureis* & in vestibus suis variegatis.

Phil. 3. 2. Reg 18. Iudæ 1. Psal. 25. Psal. 44.

12 Cæremoniæ fratres mei sunt, velut ornamenta & cohonestamenta, quæ naturali decori & venustati etiam decus addunt, & sunt alba illa *calceamenta*, quibus sponsa in Canticis condecoratur.

Cant. 7.

13. Sunt etiam ceu crines, qui vultum honestum etiam magis cohonestant & venustant.

14. Sed crines Samsonis, vtpote in quibus magna latet fortitudo & vis ad animos erga pietatem emouendos.

Iud. 16.

15. Sunt etiam nuda folia, sub quibus tamen deuotionis fructus conseruatur, & maturescit: quæ etsi de essentia illius non sint, negari tamen non potest, quin decorem illi concilient.

16. *Positis genibus*. Quàm hic Domini Iesu orantis gestus nos, ô fratres mei Ecclesiastici, excitat, vt insigni cum reuerentia & circumspectè admodum, sacrum officij nostri pensum decurramus.

17. *Non vult obiter & cursim adorari Deus*, vt quidem Cato noster Gallicus censet. Quàm, ô Deus bone, indecens est videre sacerdotes suum in porticibus hisce obambulando officium quasi per modum recreationis & exercitij recitantes. *Maledictus ille homo, qui facit opus* DOMINI *negligenter*.

Iere. 48.

18. Horribilem illam S. Catharinæ Genuensis visionem recogitate, quæ multos idcircò coniugatorum damnatos in æternũ cóspexit, quòd matrimonij vsum illegitimè vsurpassent; Ecclesiasticos verò plurimos, quòd suas indebito modo horas legissent, & parum legiti-

legitimè sponso suo cœlesti hoc connubij spiritualis debitum persoluissent: vtpote qui tanta laborat Zelotypia, vt vel minimus *oculorum* ictus à nostris eum precibus *auolare faciat*, & vel *vnus* distractionis *crinis* offendat. Cant. 4.

1. Nec genua flexisse contentus, ecce *procidit in faciem suam super terram*. Cur, ô cœlum, te terræ imprimis? cur te ô serene & decore vultus, *in quem desiderant Angeli prospicere*, ita in puluere & sordibus volutas? anne vt in eo abiectionis tuæ figuram cerneres, & annihilationis tuæ magnitudinem hoc pacto dimetireris? te ô homo, qui *puluis & cinis* es, & terræ vermiculus non humiliabis, cùm Deum tuum ita sese deijcere videas? *Obstupescite cœli super hoc*. IV. 1.Pet.1. Gen.18. Ierem. 2.

2. Videte, vt nouus hic Brutus terram exosculetur, quò cordium humanorum regnum adipiscatur. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, reges eos in virga ferrea* sed *nunc reges erudimini*. Val. Ma. li.7.c.3. Psal.2.

3. Videte, vt Philippus Macedo, in puluere & stadio Olympico lapsus, paruitatis suæ magnitudinem in paruitate suæ agnoscat magnitudinis

4. Videte hîc eum, quem puerum olim Magi *procidentes* adorauerunt; eum ante quem seniores Apocalypseos iam gloria donati, & coronas capite gestantes, *cadunt in facies suas*, videte vt is, ante quem *procidunt Aethiopes, & inimici terram lingunt*, iam terram venientibus inimicis lingat. O magnitudinem verè *percussam & humiliatam*! Videte Iobum in fimario non iam sedentem, sed vultum in eo versantem. Matt. 2. Apoc.10. Psal. 75. Isaia 53.

5. Quæ non Rebecca ex equo descendat, videns Isaacum suum ita in terra prostratum. Iob.2.

6. Occasione prostrationis huius, Ecclesia sanctè inspirata, prostrationes in ordinum sacrorum susceptione adhiberi indixit. Gen. 24.

7. Has etiamnum sanctus Carthusiensium ordo ad sanctissimæ hostiæ eleuationem in sacro vsurpat.

8. Quot

8. Quotnam verò ob causas benedictus Redemptor noster Iesus ita in terram procumbit! Primò, vt eam Patri suo reconciliaret, osculum pacis illi quodammodo impertiens. Secũdo, vt in ipsa mũdi recreatione à terra auerteret maledictionem, quam in prima sua
Gen. 3. creatione acceperat, cùm Adamo diceret Deus, *Maledicta terra in opere tuo.* Tertiò, Iamiam moriturus, illius quasi per glebæ susceptionem, possessionem adi-
Isaia 11. bat, *sepulchrum gloriosum* in ea sibi præparans. Quartò, Terram osculans ostendit, venisse se, vt, qui commissus erat per serpentis terram manducantis sug-
Gen. 2. gestionem error, hoc pacto repararet.

9. Quàm, ô peccata mea, *talentum* vestrum *plum-*
Isaia 40. *beum*, graue est, cum magnus ille Atlas, qui *tribus* vniuersam *terræ molem digitis appendit*, intolerabili hoc onere prægrauatus, & sub eo gemiscens, in terram vergat;

Peccata quæ non detulit,
Mox abluendo sustulit.

10. Propemodum, ô bone Iesu, tum elangui, & præ stupore me defecit spiritus meus, cùm tuas iam antè manus à Iudæ proditoris pedibus illas abluere vidi sordes, quas tuum vẽditurus sanguinem, vltrò citroque commeando perfidus ille contraxerat; hanc ipse Petrus humiliationem ferre non poterat, licet quiesceret, quod graue illi anathema intentasses. At cùm modò non tuas, ô Saluator dulcissime, manus ad hominum pedes applicitas, sed pulcherrimam faciem tuam in terra, quam ipse pedibus premo, procumbentem conspicio, deficiunt me verba, quibus hancce humiliationem tuam exponam, imò vix eam imaginatione complecti queo. Osculari meorum, vt amore me tuo inardescere facias, vestigia pedum videris. Eia igi-
Psal. 118. tur tua deinceps adorem. vestigia *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua, dirige gressus meos in semitis auis.*

11. Tam eximio hoc impulsi exemplo, fratres, terram exos-

exoſculemur, & de morte cogitemus, meminerimuſque terram nos eſſe, atque in eandem propediem reuerſuros, & ceu noui quidam Antæi, per huncce telluris contactum nouas vires colligamus.

12. Per pœnitentiam terram oſculemur, quo diuinam in nos pietatem deuocemus: *ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Vanum hunc pudorem abijciamus, quò à ſponſo noſtro imitando, nobiſque *ſub potenti manu Dei humiliandis* præpedimur. Thren. 3. 1. Pet. 5.

13. Piam illam Duciſſam Parmenſem vobis proponite, quæ tametſi eſſet dignitate Princeps, ſæpiſſimè tamen in ſolum proſtrata, terræ oſculum figebat, &, qua mentis erat humilitate, etiam infra terram ſeſe ſubijciebat.

14. Ne reſpiciamus eiuſdem ſordes, ſed in cordis noſtri inquinamenta potius oculos conijciamus, neue tam delicati ſimus. quidquid nos hic paſcit, è terra prouenit, quin etiam nos illius aliquando vermibus, futuri ſumus pabulum.

15. Sacrilegam illam etiam cauete ſubſannationem, quia iam digito monſtrantur, & irridentur, quotquot in vtroque ſexu ſanctum hoc humiliationis genus vſurpant. Ieſum quippe in deuotis hiſce hominibus violatis & offenditis, *neque hos ſpernitis, ſed Ieſum.* Luc. 10.

Si bonam orationem velitis inſtituere, ex homilia hac bonam ad eandem diſpoſitionem diſcite: vt nimirum 1. vos à mundanis affectibus ſeparetis, 2. ſolitudinem vel localem, vel ſaltem mentalem captetis, 3. in genu procumbentes eam effundatis, 4. denique humi prouoluti. Atque hoc pacto fiet, vt quæ à datore omnium petitis, eorum compotes reddamini.

FERIA IV. POST DOMINIC. I. Quadragesimæ.

Oratio in Horto.

HOMILIA VII.

Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. ABBA Pater, *si fieri potest, transeat à me calix iste*, &c. Exponemus 1. orationis huius verba, 2. de eorundem agemus repetitione, 3. de reditu Saluatoris ad discipulos suos, 4. de perfecta eius obedientia, & voluntatis resignatione. Auscultate.

1. An non certissimum tempestatis, tonitrui, & procellæ præsagium est, cùm vapores in aëre constipantur, *aqua in nubibus* condensatur & tenebrescit; (Psal. 17.) quid autem spissa hæc nox, hæc torrentis Cedron caligo, & nigra hæc anxietas, quæ dolorosis quibusdam nebulis benedicti sponsi nostri cor obsidet, aliud illi portendunt & minantur, quàm densam verberum grandinem, pluuiam sanguinis, & mortalis cuiusdam procellæ violentiam?

2. Nimis quàm diu agonem hunc introrsum coarctat, & *premit altum corde dolorem*; quamobrem per sanctam quandam orationem foras prorumpat necesse est.

Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.

Nisi fornax hæc suũ euaporario aliquo calorem foras emittat, cor eius vel dissecabit vel liquefaciet, *fiet cor* (Psal. 21.) eius *tanquam cera liquescens in medio ventris* eius.

Ecquæ tonitrui in nubibus causa est, nisi mutua caloris simul & frigoris collisio? quid hanc ex Saluatoris ore orationem aliud elicit, quàm voluntatum, tã inferioris, quàm superioris contradictoria repugnantia, quarum illa mortem exhorrescebat, hæc optabat; & in quo caro deficiebat, spiritus verò promptus & generosus erat.

Mens

Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes. *Virgil. 6. Aene.*

3. Hem quæ conuulsio, ô vere fili tonitrui! hæccine *vox aquarum* tuarum dolorosarum, & *vox tonitrui* tui *in* doloris tui *rota*? *Psal. 76.*

4. Audite fragores, & videte fulgura & euibrationes, ex Vrim & Tummim summi huius sacerdotis, qui doctrinæ, & veritatis fulguribus & *coruscationibus* plenus est, promicantes. *Exod. 28.*

5. *Abba Pater.* Ex q o tempore dulcissime Iesu, balbutire adinstar Mosis, & ceu Ieremias *puer esse* cœpisti, dicens *A a a*? Quàm vehemens is dolor sit oportet, qui verbo æterno loquendi facultatem eripiat, *per quod* tamē *omnia facta sūt, in quo, & ex quo omnia.* *Exod. 3. Ier. 1. Ephes. 6.*

6. Itane ô noue Cato nobiscum pusionibus & terræ filijs balbutis? maximè quidem: haud multò post enim *equitabis in arundine longa.*

7. Anne te ô *Verbum abbreuiatum*, & humiliatum ita deijcis, vt tuam declares paruitatem & annihilationem? Anne adhuc, ô *scientiæ & sapientiæ Patris thesaure*, abecedarium agis? Erubescite vos qui *scientia inflamini* videntes *charitatem* hanc & humilitatem in tantum *ædificantem.* *Coloss. 2. 1. Cor. 8.*

8. *τὸ Abba* idem propè sonat quod *Papa*, quod à primùm balbutientibus pueris efferri solet, vt hinc discamus, nos *nisi efficiamur sicut paruuli, in regnum* Patris nostri cœlestis *non intraturos. Malitia paruuli estote: sicut modò geniti infātes sine dolo lac cōcupiscite.* *Matt. 18. 1. Cor. 14. 1. Pet. 2.*

10. *Pater.* ô verbum dulce & fiduciam spirans! & quomodo talis Patris, qualis ipse Pater æternus est, misericordia ad tam blandam & efficacem tam obsequentis filij orationem non commoueatur? an non igitur hic *iudicium superexaltat misericordiam*? annon hic *continet in ira sua misericordias suas*? Quid? anne ô pater iustissime, in filium tuum vnigenitum rigidè animaduertes? Innocens Isaac aiebat: *Vbi est victima pater mi.* *Iac. 2. Psal. 76. Gen. 22.*

11. Hinc discite, auditores, vestrum *Pater noster* magna cum humilitate, feruore, suauitate & fiducia

fiducia repetere: quos enim Iesus clementissimus vigores hic experitur, hi audaciam nobis impetrarunt & misericordiam. *Adite cum fiducia ad thronum misericordiæ Dei nostri.* non *habemus* amplius *spiritum timoris & seruitutis*, ait Apostolus, sed *filiorum* adoptiuorum, *in quo clamamus Abba pater.*

Heb. 4. Rom. 8.

12. Adhæc verbum hoc *Pater*, vel *Abba*, vel *Papa* memoriam nobis refricet, esse nos Catholicos, qui Pontificem Romanum vt visibile Ecclesijs visibilis caput, vt Dei in terris vicarium, & Iesu Christi locum tenentem agnoscimus: amore tenero & filiali erga eum feramur, Deum pro sanctæ sedis eius conseruatione, proque sanctæ Catholicæ, Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ exaltatione rogemus. Vos inprimis carissimi mei Bellicenses, facere id par est, vtpote erga sanctissimum Dominum multis nominibus obstricti; idque ob multiplices benedictiones & Indulgentias, quas vobis eius nomine defero, vtpote ab ipsius manu Romæ, vndè iam nuperrimè redij, coram acceptas. Cęterum hoc vnum vobis dixero, habere nos in Paulo V. & Papam sanctissimum, & Pontificem clementissimum, Deum itaque optimum maximum supplices rogemus, vt longa eum vita, ad Ecclesiæ suæ bonum & incolumitatem, donare dignetur.

13. Quotiescunque ab hæreticis Papistæ per contumeliam dicemini, gaudete & gloriemini, quòd tali nomine donemini, quo nullum dari potest illustrius: significat, id enim, Catholicos, Apostolicos, Romanos, id est, filios, qui simul vnum patrem visibilem & notum, necnon matrem vnam visibilem, sanctam inquam Ecclesiam Romanam, habent.

14. Et sanguineis misellorum horum ab Ecclesia mersionem lacrymis plangite, & feruentissimis optatam ipsorum à Domino conuersionem precibus exposcite: per lacrymas siquidem compassionis, non per arma passionis spiritus hi errabundi & siluestres mansuefiunt. Quam Eheu! vestra miseri conditio deplorabilis est!

lis est! Verè pupilli estis, orbati patre, & *sine patre*, id est S P. quibus litteris *Spurij* à Iurisconsultis significari solent. addo & vos *sine matre* esse: vestram enim Ecclesiam inuisibilem, id est incognoscibilem, esse dicitis; Ecclesiam inquam, quam errare, & *omni vento doctrinæ* abripi, & huc illucque ferri potuisse asseritis. hac de causa *Reformatam* eam dicere soletis; significantes hoc verbo eam aliquando adulteratam esse, quin & modò adulterari & corrumpi posse. Dicerene ergò verè vos legitimos filios potestis, qui ex errante vaganteque illa Agar prognati estis? Vah miseri expostitij, sine patre, sine Papa, sine matre! Neque enim *Deum habere patrem potest, qui Ecclesiam* visibilem, & non hæreticam, *noluerit habere matrem.* Aut tam immiti nati estis matre, quæ iam natos vos exposuerit, ac nusquam compareat, sed intra inuisibilitatis suæ caliginem sese abscondat. Noui quoq; estis Romuli vtpote ab atroci quadam lupa, quæ deserto egressa sit, educati. Nati denique è matre probrosa & infami, ex nomine enim *Reformata*, probrū & amissa pudicitia eius colligitur, quæ iactura, Hieronymo teste, ne à Deo quidem queat resarciri. Quousque ô *Babel, mater fornicationum*, miseris hisce hæreticis ex aurato sacræ illius scripturæ, quàm nequiter, & perfidè interpolatis, calice, prauarum expositionum tuarū venenum propinabis? *Reuertimini Sulamitides, reuertimini* ô fratres nostri errantes, & optato vestro ad ouile hoc nonnisi vnum agnoscens pastorem reditu, Angelis gaudium, hominibus lætitiam adferte. Ad patrem hunc & matrem, qui *tempore hoc acceptabili, & diebus his salutis*, apertis vos vlnis exspectant, quantocius redite. *per viscera misericordiæ Dei nostri* vos coniuro, dilectissimi, vt quàm ardentissimè pro illorum conuersione summum Pastorem deprecemini, vt *illuminare* dignetur *his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.* tunc *laudabit Ierusalem Dominum, qui posuit fines suos pacem, &c.*

Apoc. 17.
Cant. 16.
Ioan. 41.
Luc. 15.
2. Cor. 6.
Luc. 1.
Psal. 147.

15. *Si fieri potest.* Quid? anne, ô Pater æterne rationes, filio hoc loquente producendæ sunt? an lingua tua etiam Angelica est delicatior? qui, vtpote puræ intelligentię alium prętér cogitationē discursum non adhibent? quid modos non inuenis, quibus tot à Iesu Christo cruciatus auertas? en tibi millenos & millenos suggero. Cur non verbo mundum recreas, cùm vno eum verbo creasti? Annon verissimum est, actionum eius iam inde à primo conceptionis momento factarum minimam, mille mundorum redemptionē de condigno meruisse? de cōdigno inquam, quomodocunq; demum accipiatur. Si quidem sanguinem spires, annon tibi is quem olim in circumcisione effudit, sufficiat? si lacrymas, ecquot à blandis illius oculis hactenus profluxerunt? vtpote, qui, ex quo primum
Cant. 7. in lucem prodit, *piscinæ* quædā *Hesebon*, & continui fuêre torrentes. Si sudorem velis & defatigationē, vi-
Ioan. 4. de eum vt delassatus & labore exhaustus nonnunquā interquiescat; vide dolores eius quorum non est numerus. Si cruciatus tibi placādo necessarij sūt, darine queāt, qui cū agone & angore, quo animus eius modò adobruitur, conferantur? Exclamem itaq; ô iustā patris æterni seueritatē! ô charitatis filij excessum & extasin! amoris Spiritus sancti vehementiam! Nullum tres hæ personæ, Deus vnus, in adinuentionum suarū
Ioan. 3. abysso efficaciorem ad *nimiam* erga nos dilectionem *suā* patefaciendā, inuenire modū potuerūt, quā vt ipse Dei filius Iesus ad extremos illos cruciatus, ad quos eū non ita multò post redactū videbimus, redigeretur.

16. *Transeat à me calix iste.* Sexcentas horū verborū expositiones, quas patres & interpretes adferunt, hic prætereo, vt duas illas duntaxat adferā, quas S. Catharinæ Senensi Spiritus S. dum hæcce verba meditādo in extasin raperetur, aperuit *Transeat*, inquā, quā-
Heb. 12. primum & celeriter, in quo *exauditus fuit pro sua reuerentia*. cùm n. mūdi creatio sex ipsis diebus perfecta sit, ipsa eiusdem recreatio vno tantummodo peracta: aliquod saltem id solatiū fuit, quod benedicti Salua-

toris nostri humanitas hac sua oratione impetrauit.
17. *Transeat à me*, id est, pœnarũ mearum meritũ & satisfactio in me solo nõ maneat, ad me nõ conuertatur, qui, vtpote Deus & homo ea opus nõ habeo, sed à me ceu capite, ad mea trãseat membra, *sicut vnguẽtum Aaron*; & è me, qui fons sum, Ecclesiæ meæ hortus irrigetur; & à me sanguis meus pro omniũ omnino peccatorum salute, & omnium delictorum eorum satisfactione affluat, mors mea eos viuificet, dolores & supplicia mea tibi satisfaciant, miseriæ meæ te placent, corpori meo mortali vita eripiatur, vt *corpori* meo *mystico*, fidelibus inquam, qui in me credituri sunt, hæc communicetur. Diuinæ, fratres mei, & sanctæ hæ interpretationes sunt. Psal. 132. 1. Ioan. 4. Coloss. 1.

18. Præter communem & litteralem illam quæ docet verisimile esse carnem quidem Redemptoris & sensualitatem, instantis mortis horrore perculsam & perterritam fuisse, sed spiritum tandem ei præualuisse atque amorem eius, mortis formidine fortiorem, & Cœlum inferno potentiorem fuisse.

19. Ecquis hui! ille amor est! quo nimirum impulsus passionem suam amarissimam, calicem & craterem (quo verbo delitiæ & hilaritas significari solet) appellare dignatus est. *Transeat à me calix iste.* O *calix inebrians & præclare, calix salutaris*, & admirabilis, quàm ô fœcundus es & facundus! Hic ipse est, quem ambitiosis illis insinuabat Apostolis, cùm diceret: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Cant. 8. Psal. 22. Psal. 115. Mat. 20.

20. Est nimirum calix ille *in manu Domini, vini meri, mistus* amaritudine, *de quo bibent omnes peccatores terræ*, quotquot licet à suis voluerint delictis expiari. Psal. 47.

21. Quis ô dulcissime amasie (qui salutẽ nobis & prosperitatẽ optãs in humanitatis tuæ calice propriũ bibis sanguinem, eumq; nobis plenissimum propinas, vt cũ nostræ bibendi fuerint vices, etiam ipsi ex eo degustemus; quinimò, vt ad æquales nos haustus inuitares, gloria priuãdos cõminaris eos qui ex eodẽ bibere detrectarint, illos verò ea spõdes donãdos qui cũ hauserint,

 quis

quis inquam eum post hac honorem non ambiat, vt calicis tui reddi particeps, & Beniamin quodammodo fieri queat hunc Iosephi scyphum in corporis sui sacco continens! scyphum inquam *tornatilem*, & coronatum lilijs, quiq; *aceruus* sit *tritici*, quinimò *adipis fermenti*. Ecquis verò vobis, qui sæpius sacra altaris mysteria vsurpatis, honor est, post sponsum vestrum, hocce humanitatis eius deificatæ nectar bibere! vos autem, qui rarius sacram mensam aditis, cur hunc honorem, qui vos penè sequitur, à vobis auertitis?

Gen. 44. Cant. 7. Psal. 147.

22. *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Hic nimirum humana diuinæ se voluntati subijcit Et sanè tum demum ordinatè omnia peraguntur, cùm ad Creatoris voluntatem & nutum sese creatura temperat. Prouerbium vetus habet: *Me à memetipso custodi Deus*; & inprimis, à mea ipsius me voluntate protege, vt *viuam iam non* amplius *ego, viuat verò in me Christus*, & *vita* mea & voluntas in illius voluntate & vita *abscondita* sit & absorpta.

Gal. 2. Coloss. 3. Psal. 139. Matt. 10.

23. *Domine eripe me ab homine malo, & à viuo iniquo*, id est, propria voluntate *eripe me. Inimici hominis domestici eius*, id est, nostri ipsorum amor. Videte in hodierno Euangelio peruersam scribarum & Pharisæorum voluntatem, dum dicunt, *volumus à te signum videre*. At voluntati ipsorum Redēptor morē non gerit; quinimò idcirco eos *gentem prauam & peruersam* nominauit. Quænam enim fingi maior dariue peruersitas potest, quàm Creatorem sub creaturę velle iura & voluntatem præpostero & inuerso ordine redigere? Vnde bene Euangelij epiphonema habet: *Qui fecerit voluntatem patris qui in cœlis est, ille meus frater, mater & soror est.*

Mat. 12.

24. *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* An non rei huius euidens sponsus noster dat exemplum dicens: *Pater non mea, sed tua voluntas fiat?*

Psal. 7.

25. Canit & orat Ecclesia: *Ab omni mala voluntate libera nos Domine*: adderem ipse de meo, *propria*: est enim

enim hæc vt plurimum mala; eò quòd *sensus hominis pronus est ad malum, ab adolescentia sua, quia caro est,* Gen. 8.
Aiebat ille:

———Video meliora, proboque, Ouid. Metam.
Deteriora sequor.

Et Apostolus: *Non quod volo bonum, hoc facio.*

26. Propriam igitur voluntatem quæ peccati Adami ceu reliquiæ est, voluntatem inquam refractariam & immorigeram abnegemus, & cum Vate Regio dicamus: *Vt immentum factus sum apud te,* quod non suijpsius, sed ductoris & equisonis sequitur nutum & velle. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Rom. 7. Psal. 72. Ibid.

27. Quis hic sibi non timeat fratres, cùm præstans hæc, efficax, & humilis oratio non exauditur. Ipse Iesus orans non exauditur, Dei filius non exauditur? & mirum tibi videbitur peccator, si tuis interdum Deus postulatis non annuat & annectat aures à deprecatione & voce tua? *Clamabis per diem, & non exaudiet, & nocte, & ad insipientiam tibi.* Psal. 87.

28. Benedicam te igitur, Deus meus, tam petita mea annuentem, quàm abnuentem: benedicam *te in omni tempore:* quidquid enim facis, ad maiorem animæ vtilitatem tendit meæ. Sæpè *nescimus* ipsi *quid petamus,* & sæpè Deus, inquit Augustinus, denegat propitius id, quod iratus haud difficulter cócederet. Si vos, ô honorũ, & vos auri cupidi, qui sæpè imprudéter & incautè honores petitis & opes, Deus opt. max. sẽper exaudiret, hæc forsan indulgentiæ sempiternæ vestræ damnationis foret occasio. Quàm ô deuotæ animæ, quæ illa, quę in speciem quidem æquitati consentanea videntur postulatis, nec tamen actorum compotes reddimini, ingentes diuinæ eius bonitati ob hanc denegationem aliquando gratias agetis, quando in vasto diuinæ prouidentiæ libro legitimas non exauditæ orationis causas perspicietis! Psal. 101. Mat. 20. Rom. 8.

29. Interim taciti vobiscũ stupentes perpendite, quãtopere Deus Pater in peccatũ ipsũ indignetur, vt id

punìat, *ne proprio* quidē *parcit filio*, ipſum inter ſe & peccantem ſeruum vt mediatorem interponas. O be-
Rom. 12. nignæ ac miſericordis iuſtitiæ abyſſum! *vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.*

I. 1. Ecce, cariſsimi, quò nos verborū ſanctæ huius orationis examē abripuerit? Ceterū eiuſdē repetitio ſecundū homiliæ punctū conſtituat Notate admirabilē in his gradationē, & audite. Incipit, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*; deinde reſumit, *Nō mea, ſed tua volūtas fiat*; tertiò demū abſolutè ſimpliciterq; ait: *Fiat volūtas tua.* Videte, & paulatim à volūtate exteriori ad interiorem, ac deinde ad ſupereminentem, ceu per gradus quoſdam aſcendatur: *vt ſciamus quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.*

Mat. 15. 2. O Verba cariſsima! quæ, quamuis *decies* imò &
2. Cor. 12. millies *repetita, placebunt.* Mulier Chananæa tertiò
2. Tim. 4. antè orat, quàm poſtulatorum fieret compos, & S. Paulus, vt à ſe carnis ſtimulus auferretur ter Dominum rogans, tandem reſponſum accipit, & Timotheo ſuò ſcribit, *Opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa.* O quàm *valet deprecatio iuſti aſsidua!*
Iac. 5.

3. Miſella illa vidua poſt longas importunaſq; præ-
Luc. 18. miſſas preces, ab iniquo iudice tādē ſecūdū ſe cōtro-
1. Theſ. 5. uerſiā audijt iudicari: quid verò noſtra ad patrē miſericordiæ ſine intermiſsione effuſa nō obtineat oratio?

4. Tametſi is inſtar lapidis obduruiſſet, noſtrę tamen deprecationis ſępius iteratę guttis ad extremum emollitus excauaretur.

5. Suis in poëmatis Poëtæ verſus multos poſt certum carminū interuallū reiterando repetunt, quos intercalares dicūt, & qui carmini venuſtatē conciliāt. Hāc
Pſal. 135. repetitionē ſæpenumerò vſurpat Pſaltes & illam inprimis: *Quoniam in æternum miſericordia eius.*

Iſaia 6. 6. Hinc & Angeli diuinū illud triſagiū idētidē Deo occinūt, *Sāctus, ſanctus, ſāctus Dominus Deus Sabaoth.*

7. Anne quis ex aſsidua quotidianaque panis manducatione nauſeam concipit?

8. Anne ſolis reiteratus & ſemper diem inchoans reditus, cuiquam faſtidium peperit? 9. Hæ-

9. Hæreticorum,fratres,nolite cauillos & impropera morari, dum absurdè & ineptè nimis, vos velut ad dimensum numerũ Deum orare, dum rosarium B. Virginis decurritis, & chordâ semper oberrare eadẽ, & vnum idemq; sonare calũniantur: quibus simpliciter & blandè dicatis velim, ad Redemptoris Iesu id à vobis imitationẽ fieri,qui sic etiã velut ad numerum orauit,& eandem numero & verbis orationem identidem repetijt, & ipse alioquin sat grauis & eloquens foret ad orationem variandam. *Et orauit tertiò.* Ecce numerum *eundem sermonem dicens*, ecce repetitionem.Dicite ijs ergò,Deum vos imitari, qui cũ-
ℓta *in numero,pondere & mensura* creauit, cumque o- *Sap.11.*
mnia seruiant ei, hanc vobis cogitationem incidisse, quæ etiam numeros illi seruire faceretis.

10. Mementote magni Aug. qui quotidie verba hæc
Nouerim te,nouerim me repetebat; tanta tamẽ is erat *Posidon.*
sciẽtia,quanta non horum sannionum quisquam. *in vita.*

11. Nec non S. Francisci, qui multis diebus ac noℓtibus identidem iterabat illud suum: *Quis tu Domine Deus meus? quis ego puluis & vermiculus terræ?* Neq; enim ideo minus pulchri sunt florum fasciculi, nec corollæ minus odoriferæ, quòd ex eodem sæpius inserto florum genere contextæ sunt.

12. Quã porrò egregij flores sunt sanℓti rosarij, quod primariæ fidei nostræ mysteria suis de cædibus cõprehendit; flores inquã qui hæreseos Albigensium virus emori olim fecerunt, eò quòd sæpè salutatur illa,
quæ *serpentis caput conterit*, quæq; *vniuersas hactenus* *Gen. 3.*
hæreses in mundo interemit. O Maria, *benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus vẽtris tui Iesus, Amẽ.*

III.

1. *Et cùm surrexisset ab oratione,venit ad discipulos.* O ardentissimam charitatem, quam angustiarum *aquæ multæ exstinguere non possunt!* Miraminine audi-
tores suos eum cœlos deserere voluisse, quò in ter- *Cant.8.*
ris apparens *cum filijs hominum deliciaretur & lude-* *Prou.8.*
ret, cùm *conuersationem* suam *cœlestem* etiam iam de-
serat quò eos viseret dormientes? *Coloss. 3.*

2. Quid? itane & mortis angore & extremis

doloribus obrutum ac feruentis orationis exstasibus ne absorptum Pastorem illum bonum gregis sui dormientis memoriam & curam non deponere?

Ioan. 10. 2. Cor. 11.

3. Apostolus in tertium etsi raptus cœlum non ideò minus de omnibus Ecclesijs fundatis erat solicitus, nec *instantiam* propterea suam *quotidianam* seponebat, qui enim *alijs praeest, praeest in solicitudine*.

Rom. 12.

4. 8. Bernardus, Claraeuellensi suo egrediens cœnobio, omnem quam in solicitudine habere solebat cõtemplationem ad tempus seponebat, vt negotijs aliquantisper in sæculo vacaret, quo Dei hoc pacto & Ecclesiæ rem interim ageret; Rachelem propter Liam, & Mariã propter Martham sollicitã relinquens.

5. S. Franciscus Dominum in oratione consulens satiusne foret contemplationem, an verò actionem, orationem, an prædicationem colere; actionem potiorem esse audijt. Vndè etiam vita hæc mortalis actioni conuenire, contemplatio verò *vitæ venturi sæculi* reseruata videtur, illa quippè hominem redolet, hæc Angelorum quid spirat.

6. An non S. Antonius vnà cum alijs eremicolis solitudinem desideratam reliquit, quò Arrij sese hæresi obijcerent? Ecclesiæ eos necessitas cauernis & deserto exciebat, quò pro domo & gloria Dei sese quasi murum obijcerent.

7. S. Clara an non suo egressa monasterio est, quò opidum suum, diuinissimũ Altaris sacramentũ manu gestans, ab Saracenorũ furore & inuasu vindicaret?

8. Quotnam Catharina Senensis itinera ab instituto & sexu suo aliena & dissentanea suscepit, quò ad vniuersale Ecclesiæ bonum spectantia negotia plurima exequeretur?

9. B. Mater nostra Teresa quoties è claustri quiete in sæculares sese effudit strepitus, quò tot cœnobia erigeret, & ordinẽ vniuersũ ad primæuũ florẽ reuocaret?

10. Rem adferam è beatæ huius Matris vita notabilem, qua audita prolixas nimis & interdum etiam impertinentes, deuotiũculas exuere eas velim fœminas

quæ

quæ insigne se tũ demũ arbitrantur Deo obsequium præstare, cùm toto in templis agunt die, licet interea res domestica periclitetur, & de victu suis parando parùm sollicitæ sint. Teresæ superiores præceperant, vt aliquem de oratione tractatum (quem ipsum quotidie dum lego, spiritum eius non possum non maximopere admirari) conscriberet, sed hanc ipsa scriptionem à se amoliri contendebat, quòd ab instituto eam suo & sexu alienam & impedire assereret, quò minùs nere ac lanam trahere posset. Videtisne, vt virgo hæc in rebus spiritus in tantum versata, librorum adeò doctorum & vtilium scriptioni fusum & colum præferat? quid ad hoc dicetis vos, quibus ne minima quidem spiritus est mica, & quarum diuturnæ in templis mansiones non tam orandi causa, quàm garriendi & fabulandi suscipiuntur? si garrire vultis, domum abite. Ecclesiam Dei contemnitis, dum in ea de rebus loquimini domesticis; ite domum potiùs, & fila ducite. Vir & fœmina *ad laborem nati sunt*, vt *auis ad volatum* Iterum dico vobis, cùm (præsertim diebus operi destinatis) mane sancto Missæ sacrificio interfuistis, & Deum ex animo estis deprecatæ, domum concedite, maritis & prolibus vos date. Fusum colite, repeto, fusum colite. In eo sita deuotio est, vt quisque quæ muneris sui sunt, & officij ex animo accurateque exequatur. Et *obedientia* hęc *potior quàm sacrificium laudum* vestrarum *&* *labiorum* erit. *Iob. 5.* *1. Reg. 11.*

IV.

1. *Pater si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Abraham diuinam voluntatem perspectam habens, statim ad filium immolandum egreditur, ô obedientiam singularem! *Gen. 22.*

2. In vitis Patrum legitur Religiosus quidam, qui in sæculo vxorem duxerat, & ex ea filium susceperat, eum ipsum, cùm ad patrem visendum in cœnobium venisset, & superior eum à patre in ardentem fornacem calcinariam comici per ludum iussisset, in fornacem nihil moratus coniecisse. Sed, ecce, sospes & integer adolescens inde, velut rore frigido circum-

fuſus educitur. Quo in ſcripto ſexcenta circa obedientes peracta miracula legere eſt.

3. O excellentem reſignationem, quæ corda noſtra quaſi in maſſam farinaceam, velut in terram, in mollem ceram, & tanquam in aquam denique efformas, vaſi ſe, in quod conijcitur, accommodantem!

4. Tu es illa regula perfectionis, ad quam, velut ad normam protuberans & anguloſus voluntatis noſtrę lapis adaptandus eſt.

1. Reg. 11. 5. Tu *melior victimis*, per has enim aliena caro, ſed per te cor proprium ab obediente immolatur. Tu nos ceu agnos mutos & tacentes ad omnia ſuppliciorum genera ſubeunda deducis: martyres quippè

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimoniæ,

eò quòd ad omnia optimè reſignati eſſent: & an non
Pſal. 37. *glorioſus* noſter *rex martyrum* propter te de ſe proloquitur: *Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper?*

7. Martyrio iugulatur corpus, ſed perfecta reſignatione iugulatur anima, atque hoc excellentiſsimum quoddam holocauſti genus eſt.

7. Sic in vitis Patrum Abbas Pambo monachum obedientem alteri prætulit longa continuanti ieiunia, nec non alteri ſilentium quàm ſtudioſiſsimè ſeruanti, alteri denique ſumma in inopia victitanti. Atque hanc opinionis ſuæ rationem dabat, quòd in omnibus hiſce virtutibus propria ſimul latere poſſet volũtas, à vera tamẽ ſui reſignatione hæc maximè abeſſet.

8. Ipſa, ceu Lydius perfecti Chriſtiani lapis eſt ipſa coticula, quæ adulterinum à gemino diſtinguit au-
Heb. 4. rum, quæque *ad vſque diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque, & medullarum pertingit.*

9. Quando vos, ô cariſsimi Bellicenſes, poſt habitas hactenus de Paſsione conciones voluntate adhuc propria plenos video, tam rarò etiam ſacræ Confeſsionis & diuinæ cõmunionis myſteria vſurpantes, etſi interdum lacrymis in auditorio perfuſos, quando nimirum

mirum *voci* suæ in me Dominus dignatus fuerit *dare virtutem*, nec non aliquem verborum meorum piscinæ motum; non inscitè comparare vos posse videor pueris, qui viso paterculum suum saucium sanguine madescere, lacrymas vbertim profundunt, cui tamen idcirco nec pomum, nec crustulum panis, quod in manibus habent, darent. Fletis cùm cruciatus & pœnas Domini Iesu vobis commemoro, at, cùm ad sapidam cordis vestri buccellam illi per Confessionis & Communionis mysteria impertiendam vos exhortor, nihil omninò vultis exequi, nec piè monenti obsequi: *vsquequo* vt *paruuli diligitis infantiam*? Psal. 28. & 67. Ioan. 5. Prou. 1.

10. O crocodilorum lacrymæ! vt quibus oculi sunt ad lacymandum, non tamen lingua ad vos de sceleribus accusandos.

11. Vt porrò huic de resignatione tractationi finē imponam, referam vobis, quod non ita pridem in libro pio à quodam ex ordine Capuccinorum composito legi: quidam orationi inprimis deditus, & in spiritu admodum illuminatus, postquam sæpiùs Dominum ardentissimè orasset, vt quamdam sibi orationem reuelare dignaretur, quæ sibi esset quàm gratissima, hanc tandem didicit, Deo quàm maximè placere, *Iesus amor fiat voluntas tua.* Cùm heri hæc verba meditando ruminarem, multa mihi in eam rem occurrebant, quæ vt vobis hîc referam, otium non suppetit. Hoc vnum vos duntaxat moneo, hæc ipsa vt sæpiùs recogitetis; & magnum inde vos fructum spondeo collecturos, & si interdum, dum orationem Dominicam percurritis, post illa verba: *Adueniat regnum tuum*; duo hæc de vestro adiungeretis: *Iesus amor, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, crediderim equidem fore, vt hæc vos nonnunquam (non dico semper) Sanctis quibusdam erga benedictum nostrum Iesum amoris motibus inflammarent.

Ite, & ex æquo longiori discursu discite, 1. Deum Opt. Max. magna cum humilitate, suauitate, & fiducia deprecari, quia *Pater noster est*. Ipsum itaque pro

pro summo Pontifice Romano, pro Ecclesia vniuersa, & pro aberrantium in viam rectam reductione rogate; & nolite mirari, quòd interdum orantes non exaudiamini, nam diuinæ vos latent prouidentiæ arcana. 2. Orationem Dominicam & Angelicam salutationem, dum rosarium vel coronam virgineam decurritis sæpè, repetite. 3. Postquam orationi incubueritis,
Psal. 126. ad opus vestrum & negotia pergite: *Surgite postquam sederitis.* 4. In Dei vos voluntatem totos resignate. Ecquod porrò nobis intra tua, dilectissime sponse, brachia receptis accidere malum queat?

FERIA V. POST DOMINIC. I. Quadragesimæ.

Sudor sanguineus.

HOMILIA VIII.

Luc. 22. ET *factus est in agonia sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* De agonia hac & sudore sanguineo, quem oratione peracta Redemptor sudauit, iam tractabimus, atque hîc videbimus 1. ecquænam hæcce agonia fuerit, 2. qualis extraordinarius hic sudor, 3. eiusdem excutiemus causas, 4. denique vascula quæremus, quibus pretiosum hunc liquorem includamus.

I. 1. Erga hoc præ reliquis Dominicæ Passionis punctis singulari magnus ille Carolus Borromæus, sanctitate summa vir, deuotione & affectu ferebatur: & sanè non mediocri consolationi mihi fuit, dum eum in vita oculos corporeos, dum animam suam beatam Creatori redderet, in imaginem qua hæc agonia expressa erat, perpetuò defixos habuisse, dum interim oculi animæ in profunda diuinissimi huius mysterij contemplatione fixi detinerentur.

2. Sum-

2. Summoperè etiam sum recreatus, cùm in speculo Exemplorum sanctam quamdam Abbatissam, quę erga passionem Domini tota vita mirificè affecta fuerat, tunc legi expirasse, cùm hic illi agon ab astantibus prælegeretur, itaq; rectà in cœlos euolasse. ô beata lectio, quibus ceu *columbæ pennis* & aquilinis, ad æternam anima quietem euolat! *Psal. 54.*

3. Meminerimus fratres, in mortis, quam omnes subituri sumus, angustijs Dominum rogare, vt per suarum angustiarum meritum misericorditer tunc agere nobiscum dignetur.

4. Ah! quis, obsecro, filius siccis patrem suum agonizantem oculis videat? vel enim illos ad triste hoc spectaculum auertit, aut sanè si intueri sustineat & perstet, lacrymarum hi torrente natant & excæcantur. Quomodo igitur hanc ego dilectissimi Patris & sponsi nostri Iesu Christi vobis agoniam referam, & non pio fletu totus madescam? & quonam vos illam modo siccis ex me oculis audietis? Ne beata illa foret interruptio, aut mei si ex imo pectore erumpentes singultus verba oris abrumperent, aut vestri vocem superantes meam, quoddam illi velut imponerent silentium, vt simul taciti & obtutu defixi in vno, hanc arcam, & hunc sanctum sanctorum, qui sub diuinæ iustitiæ virga sanguinis sui manna exsudat, meditando contemplaremur!

5. Mulier illa Chananæa, quam hodiernum describit Euangelium, præ dolore propemodum emoritur viso filiam suam dirissimè torqueri; quid porrò ipsi faciemus agni nostri mitissimi angustias conspicati? *Matt. 25.*

6. *Recogitate*, ô peccatores, *eum qui talem sustinuit pro peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem.* *Heb. 12.*

7.8. Quid enim, dilectissimi, agonia est, nisi lucta, & quoddam velut animæ & corporis litigium, & spiritus cum carne decertatio? verbum hoc metaphoricum est ab athletis in agone contendentibus deriuatum.

2. Cor. 5. tum. *Qui in agone est*, ait Apostolus, *ab omnibus se abstinet*. Verbo hoc ordinariè supremus ille significari solet conflictus, quem in vltimis vitæ iam fatiscentis
Gen. 25. conuulsionibus homo subire solet, in quo scilicet corpus nostrum, ceu Esau, cum Iacob, id est, spiritu, decertare & luctari videtur, vt nimirum diuulsionem illam, quam tantopere exhorrescit, & priuationem illam, per quam *serpentes, bestias, & vermes hæreditaturum*, & truncus & *telluris inutile pondus* futu-
Eccl. 10.
Gen 35. rum est, qua potest impediat. Hem quàm horrendos caro nostra, misera hæc Rebeccca, hoc in partu, & animæ è corpore emigratione, formam hanc viuificantem amittens, dolores hinc patitur!

9. Occurrit hoc loco menti meæ illa Iacobi cum Angelo lucta; qui iam claudicans antagonistam dimittere suum nolebat, (etsi eum aurora iam vicina
Gen. 32. vt discederet compelleret) *cum Deo* decertans, vt ait sacra Scriptura. Talis eorum esse solet lucta, qui in-
Eccl. 41. uiti moriuntur, quibusque *amara mortis est memoria*, vtpote *pacem habentibus in substantia sua*.

10. Caro cruda & incocta ægerrimè ab ossibus suis
Coloss. 3. reuellitur, cocta haud difficulter, *spiritu* ergò *membra nostra* & carnem *mortificemus*, & faciliori hinc morte decedemus. Ipsa igitur agonia violenta est animæ à corpore diuulsio & separatio, & gladij velut euaginatio, qui dierum ac vitæ nostræ filum abscidit.

Heb. 4. 11. Corporalis hæc lucta spiritualis mihi agonis refricat memoriã, quæ *gladius* adeò acutus est, vt spiritum, teste Paulo, diuidat ab anima, & medullas dissecet à compagibus. Quàm eheu! dirus peccator pœnitens in spiritu conuulsionis lancinatur! quales suis se expertum in Confessionibus testatur Augustinus. Hic
Rom. 7. scilicet ille Apostoli conflictus locum habet, quo *caro militat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*; quæ etiam illam *membrorum* faciunt *legem repugnantem legi mentis*. Horrenda sanè illa sunt cruciamenta, cùm spiritus pernici sua sublatus ala quærit

ea,

ea, *quæ sursum sunt*, & *conuersari* gestit *in cœlestibus*, contra verò à graui corporis mole deorsum ad terram trahitur, vt ibi suas sectetur concupiscentias. Ipsa dein *ratio appetitui* vult prout lex Dei iubet, *dominari*; sed appetitus aduersus rationis dictamen, stimulos subdente principe tenebrarum insurgit. Quàm non erraro, si Penthei discerptioni parem hanc dixero. Hem quæ agonia! Coloss. 3. Gen. 3.

12. Hæc quidem nostra est, fratres mei, cùm mori mundo volumus, vt spiritualiter Iesu Christo viuamus: non hæc tamen est, quam benedictus Dominus noster Iesus modò in se experitur, vtpote quam corporalis mors causatur, cuius ipsum *dolores* iam *circumdant*. Psal. 17.

13 Vel si spiritualiter eam intelligere volumus, est lucta amoris, qui cum ipso, iam inde vsque ab omni æuo decertans, (*charitate perpetua dilexit nos*) vtpote quo impellente è cœlo in terras delapsus erat, quippe ipsum præterea è terra ad vsque limbum detrudere gestiebat, quò Patres eius aduentum quàm ardētissimè desiderantes in libertatem assereret. Videte vt puluerulentus hic athleta, in stadio hoc Oliuaceo solo afflictus sit, qui, dum adhuc præluditur, & maiori sese certamini præparat, iam dum sanguinem sudat, & aquam. Sic nimirum amor ad mortem eum impellit, amor inquam, qui transanimatio quædam est, vti mors quædam est inanimatio. Amor excessus est & accessus, mors verò decessus; amor animæ est à corpore elatio, mors animæ à corpore sublatio & separatio; amor somnus est, mors quies; amor animæ vulnus & plaga, mors corporis: amor verò & mors viribus coniunctis concurrentes, cor simul & corpus sponsi nostri Iesu Christi opprimunt. Ierem. 31.

1. Et sudorem hunc sanguineum exprimunt, quem propiùs iam examinemus & exquiramus necesse est. Potes hîc non immeritò, ô sancte sponse & amasie, illa Epithalamij tui sacri verba repetere: *Veni aquilo*, & potenti & impetuoso flatu tuo *perfla hortū meū*, vt II. Cant. 4.

suum

ſcum aromata mea dent odorem. Neque enim lenes blandique zephyri, non aliæ auræ molliores, ſed violenti triſtitiarum ac dolorum Boreæ rubicundum hunc & aromaticum ex vniuerſo dulciſsimi ſponſi noſtri Ieſu Chriſti corpore ſanguinem, omnibus Arabiæ Felicis odoramentis multò redolentiorem eliciunt.

Cant. 3. 2. Videte, fratres mei, vt præclara hæc arbor *diſtillet myrrham primam*, ſecundam violentèr poſtea flagrorum eliciet aſperitas.

Eccl. 24. Zach. 9. Pſa. 147. Pſal. 62. Iſaia 63. 3. Videte hîc primum & meracum ſanguinis eius puriſsimi profluuium, primum *oliuæ* huius *ſpecioſæ* oleum, primum farinæ *frumenti* huius *electi*, ſed præ dolore comminuti & contriti florem; hic porrò *frumenti* huius *adeps* eſt. Igitur *adipe & pinguedine repleatur anima noſtra.*

4. Videte hîc miſerum illum hominem, cuius *rubra* ſunt *veſtimenta ſicut calcantium in torculari. Torcular*, Ioan. 5. eheu! *calcauit ſolus.* Non enim ſolus ipſe hac in agonia & amaritudine verſatur, *hominem non habens*, qui ſudorem hunc abſtergat?

5. En, vt *ſicut aqua effuſus ſit, & diſperſa ſint oſſa* Pſal. 21. eius, & *cor eius tanquam cera liqueſcens factum ſit in medio ventris* illius. Cur porrò miſera anima mea in benignum hunc Deum non effunditur? quin ſaltem veſtras, oculi mei, lacrymas cum diuino hoc ſanguine ex omnibus corporis Domini mei poris erumpente commiſcetis!

6. Dicitur Alexandri corpus tam benè contemperatum fuiſſe, vt ſudor eius etiam fragrantiam ſpiraret, quid igitur de hoc Ieſu Chriſti ſudore exiſtimandum? Audite, quid de eodem ſpiritu prophetico præ- Gen. 27. Cant. 4. dixerit Iſaacus: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: odor veſtimentorum eius ſuper omnia aromata, genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs.*

7. Si Inſularum fortunatarum rorem fragrare perlubeant, eò quòd in tot odoriferos is decidat flores

ibidem

ibidem excreſcentes, quid de rore hoc ſanguineo, ad radicem montis Olіueti effuſo dicemus?

8. Videte, vt *cataractæ cœli*, *& fontes abyſſi*, Ieſu Chriſti Dei & hominis, copioſum ſanguinis nobis diluuium eijciant, quò à peccatis mundum abluat. Gen. 7.

9. Videte fluxum & refluxum miſericordiarum diuinarum Oceani.

10. Videte hîc, Bellicenſes, fontem illum noſtrum prodigioſum magno noſtro lacui Burgetẽſi vicinum, qui modò ſuperfluit & redundat, modò ſeſe ſubtrahit & fugit, videte inquam, vt per tot orificia & tubos nunc is foras prorumpat, quot in pretioſo Redemptoris Ieſu corpore ſunt pori. Veni, ô inundans Nile, & peccatorum meorum Aegyptum inundando merge.

11. Cùm vehementior mari incumbit tempeſtas, fieri non poteſt, quin ſuas vltra aggeres & littora vndas eijciat. Quàm verò horrendâ Ieſu Chriſti cor tempeſtate agitatur, cùm per vniuerſum corpus eius, ſanguinei fluctus inundent! Magnus eſt *ſicut mare* dolor eius, ſi enim tantum ſanguinis corpus exſudare potuiſſet, quàm infinita cordis eius erat anguſtia, vniuerſum haud dubiè orbem, ſicut olim Aegyptum ſanguine compleſſet. Thren. 3. Exod. 7.

12. Iam ſponſus noſter, adinſtar ſororum illarum Phaëthontis, lacrymatur & ſudat electrum. Ouid. 2. Metam.

Iam *duræ quercus deſudant roſcida mella*, Virgil Eclog. 4.
nam *de petra melle* nos *ſaturat*, ipſe qui robore & ſoliditate quercus eſt, & conſtantiâ petra.

13. Iam, ô ſecunde Adã, *pane* & *cibo* tuo (qui non eſt alius, quàm *facere voluntatem patris* tui) *in ſudore*, non *vultus tui* duntaxat, ſed & vniuerſi corporis, *veſceris*, & quidem in ſudore ſanguineo, ac quali nullus vnquam ſudauit. Pſal. 80. Gen. 2. Ioan. 4.

14. O ſanguinem ſuauiorem & benigniorem, quàm fuit ille Abelis, qui tua erat figura & typus! ille vindictam ad Deum clamabat, at tuus miſericordiam & Gen. 4.

Apoc.5. clamat & impetrat. *Redemisti nos Domine Iesu in san-*
Psal.129. *guine tuo*: & *apud te est misericordia & copiosa redemptio.*

15. Verè inquam *copiosa*: neque enim omnem sanguinem duntaxat fudit, sed & aqueum illum humorem, qui post sanguinem effusum sequi solet. Quàm verò sudor hic nostram aliquando redarguet inertiam & ignauiam, nostram inquam, qui ne minimo quidem commodorum pro Domini gloria & obse-
Heb.12. quio carere vellemus, quique *nondum ad sanguinem restitimus.*

16. S. Lutgardem eximiæ sanctitatis virginem, quadam die ad matutinũ officium recitandum tẽplum iam iam petituram extraordinarius quidam sudor occupauit: cumque lecto se surgere fingeret, quo chorum adiret, ne, si reuera surgeret, valetudinem fortè læderet; illi Redemptor Iesus apparuit sanguinem sudans & aquam, eiusque coarguens imbecillitatem, se ait tametsi sanguine madentem, ad crucem nihilominus, ipsius ergo, properasse. Igitur ipsa, sponsam
Cant. 5. Canticorum imitata lecto quamprimùm exsurgit, sponsum hunc; gratiarum *rorem distillantem* secutura, quem ad templi fores inuenit, crucem suam baiulantem, etsi alioquin sanguine totus madesceret. Quàm acria hæc sunt ad inertes animos excitandos calcaria!

III. 1. At quænam supernaturalis huius exsudationis sunt causæ, vtpote quæ

Nec prima visa est similem nec habere sequentem. Neque enim priora sæcula talem tamque extraordinarium sudorem viderant, nec sequentibus hoc quenquam modo legimus sudasse. Contemplatiui scriptores plurimas illius adferunt causas, è quibus sex sequentes delegi.

2. Prima fuit vehemens orationis feruor: vtpote à
Psal.38. qua ita succensus fuerat, vt dicere posset: *In meditatione mea exardescit ignis.* Interiora quippe eius ceu molendinum erant, per assiduam molarium, cogita-

tionum

tionum inquam eius, collisionem, quæ cor eius *contritum & humiliatum* efficiebat, inflammata. *Psal. 50.*

3. Si calida balnea naturalem corpore sudorem eliciunt, mirumne videbitur vobis, *baptismum* hunc *sanguinis*, quem iam iam subiturus erat, supernaturalem ex Christo sudorem elicere? *Luc. 11.*

4. Ebullitionem hanc sanguinis Euangelista ait fuisse non *fluentis*, sed *decurrentis in terram*, in modum torrentis scilicet, qui suum egressus alueum, per agros non iam fluit, sed rapitur, suæque impetu aquæ altissimas etiam arbores secum trahit. Videre itaque hunc *fluminis impetum, qui lætificat ciuitatem Dei.* *Psal. 45.*

5. In vitis Sanctorum contemplationi deditorum legimus, sæpè eos in meditationibus suis exstaticis à terra sublimes elatos esse, vti SS. Magdalenam, Franciscum, Catharinas cùm Senensem, tum Genuensem, BB. Ignatium, & Philippum Nerium Congregationis Oratorij fundatorem, & alios non paucos. Spiritus scilicet ipsorum vehementia cùm in cœlestia, & quæ sursum sunt, velut ad centrum suum ferretur, corpus à suo, terra scilicet, secum vi quadam abripiebat. Hinc beatos, scriptum est, in resurrectione, *cum Christo in aera rapiendos.* *1. Thess. 4.*

6. Sic videmus, & missilia illa puluere tormentario suffarta, postquam ignem subditum conceperunt, ad vsque nubes euolare.

7. Sic Magnes ferrum sustollit.

8. Sic radius solaris vaporem è terra subleuat.

9. Hoc in Scriptura dicitur *eleuare se supra se.* *Thren. 3.*

10. Si *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*: quid impediat, quò minùs à spiritu corpus eleuetur, sicut in raptu S. Pauli legimus contigisse. Si etiam euectio hæc supernaturalis per vehementem quemdam orationis feruorem fieri queat; cur non etiam ab eadem sudorem hunc sanguineum, è corpore Domini prorumpentem, causa credamus profluxisse? *Sap. 9.* *Act. 9.*

11.12.13.14.15. Secundò, id ab extremo quodam virium defectu & imbecillitate prouenisse crediderim. Videte namque eum, vt primò *ponat genua*, deinde *procidat in faciem suam*, iam verò *factus sit sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrā*. Tu ne igitur, ô debilium confortator & fulcrum, debilis es, & deficis? quonam, ô generose & valide Samson, incredibilis fortitudo tua abijt? vbi sunt *tres* illi *digiti*, quibus *terræ molem appendis*, & vniuersi huius machinam prosternere potes? Quonam ô robur Dei, *ô manus fortis*, ô *brachium potens* decidisti? quis te, ô *turris Dauid è qua omnis armatura dependet fortium*, ita exarmauit?

Iud. 16. Ier. 40. Deut. 5. Cant. 4. Gen. 2.

16. Interim dum in contemplationum tuarum exstasi dormis, ô secunde Adam, roboris à te tui costa aufertur, vt ex ea Ecclesia, coniux & sponsa tua, efformetur, quæ martyres suos lætos & gaudentes, in ignes & flammas ad rotas, gladios, & cruces abire facit. Tua imbecillitas, nostrum est robur; tua defectione ipsi vigoramur; vti & *paupertas* tua, *diuitiæ* nostræ, ignominia tua, nostrum decus & gloria, supplicia tua, nostra redemptio. *Dominus fortitudo mea, & firmamentum meum, & liberator meus.*

2. Cor. 8. Psal. 70. Psal. 37. Psal. 83.

17. Quomodo, eheu! te *dereliquit virtus* (id est fortitudo) tua? *& lumen oculorum* tuorum sublustrium quomodo *non est tecum*? *Quis similis tui in fortibus Domine*? & ecce modò, *cor* tuum *& caro* tua *defecerunt in Deum* tuum; *Defecerunt oculi tui dicentes: Quādo cōsolaberis me, & factus es sicut vter in pruina?*

Exod. 15. Psal. 118.

18. Insignis hic virium defectus hunc è corpore illius sudorem elicit; quod nobis symptoma in ordinarijs nostris deliquijs contingit.

19. Tertiam causam vehementi timoris & amoris febri adscribo: ab his quippe passionibus febrim oriri posse docent medici, in ijs quos occuparunt. Exemplum quidem febris ex amore profectæ euidens est, Antiochus ille ex Stratonices nouercæ amore æger decumbens apud Plutarchum.

Val. lib. 5. cap. 7. Plut. De metrio.

20. Adeò

20. Adeò porrò tritum eſt ex timore febrim enaſci, vt interdum qui alicui timorem incutit, is illi febrim dicatur incutere.

21. Redemptor verò Ieſus duplici hac ardebat febri; non eſt igitur mirum, à febri extraordinaria ſudorem etiam inſolitum, & qualem nemo vmquam mortalium vel audiuit, vel legit, vel vidit, proficiſci.

22. Quarta ſudoris huius cauſa ſtatui poſſet extremus & incomparabilis eius dolor, cui ſimilem aliquem vmquam fuiſſe Propheta negat, vti nec ſudor hic parem habuit. Si colicus dolor & podagrica tormina ſæpè ſua ſudorem vultu eliciunt vehementia; quid ni Redemptor è vehementi diriſsimorum cruciatuum ſibi inſtantium apprehenſione ſudorem emittat? *Thren.* 1.

23. Nioben fingunt Poëtæ, cùm filios ad vnum omnes emori coram cerneret, in ſaxum conuerſam, & hoc ipſum etiam lacrymari interdum. Videte, vt viua hæc petra diuinâ percuſſa virgâ *aquas* emittat *viuentes*, & hæ ipſæ in ſanguinem conuertantur, denique ſanguinem exſudet & aquam. Quàm meas ô aqua de petra, in lympiditate tua clarè euidenterque deformitates contemplor! *Ouid. 6. Metam.* *Pſal. 77.*

24. Mearum enim & omnium, omnium hominum iniquitatum horror (hæc quinta eſt ratio) in cauſa eſt, vt Agnus noſter mitiſsimus tam miro nouoque ſudet modo. Quàm innocenti viro graue & horridum eſt, ſi latronis in modum habeatur! Si Iacob hædinis pellibus, quas illi mater circumdederat, tectus, *maledictionem pro benedictione* verebatur, ne in caput ſuum deuocaret; quomodo iuſtitiæ paternæ fulmina illum metuere filium par eſt, qui *formam ſerui aſſumpſit, & in peccati ſimilitudinem factus eſt*? *Gen. 27.* *Phil. 2.*

25. Dicunt Poëtæ ad Gorgonei aut Meduſæi capitis conſpectũ homines in ſaxa conuerti ſolitos: equidem dicere auſim, non tantùm mortis, non inferni, non diaboli tantam deformitatem, horrorem & turpitudinem eſſe, quanta peccati vnius mortalis. Ipſum enim

causa est, cuius omnia hæc horrida, nõnisi tristes quidam effectus sunt. Quænam erga animæ difformitatem tam suo ingratam Deo in se vmquam admittat! Et miramini iam, Iesum Christum sanguinem exsudare, cùm imminere sibi videt tot peccata iam antè commissa, & post commitenda? O horrorem omnium horrendissimum!

26. Sexta causa est intolerabile & graue pondus, sub quo *gigas* hic, velut *sub aquis* multis, *gemit*: hic in-
Iob. 26. quam gigas, qui *viam suam*, iam inde *à summo cœlo* ad terrã vsque, tã lætè exultanterq; cucurrit, *de thalamo*
Psal. 8. suo, vtero inquã virginis matris, ceu *sponsus* egressus.

1. *Decurrentis super terram*. Proh rem deplorãdam,
IV vt in terram tam pretiosus profluat liquor, itaque dispereat, cuius vel gutta vna, ad decem millium mundorum peccata auferenda & redimenda sufficiat!

2. Huc vasa & amphoras porcellanas, carissimi, huc phialas crystallinas, huc argenteos aureosque afferte catinos imò solido ex adamante vel topazio concinnatos. Corda inquam vestra: hæc mihi postulo; etsi fictilia illa sint, parùm refert, (*vasa lutea*) modo nitida
Psal. 61. & munda sint, liquorem hunc in ea effundam. *Effundite*
Psal. 47. *dite coram illo corda vestra, ponite corda vestra in virtute*, in sanguine inquam illius.

3. 4. 5. 6. Sed hyssopo pœnitentiæ ipsa extergite, &
Psal. 50. cordialibus lacrymarum vestrarũ aquis abluite. *Ex-*
1. Cor. 25. *purgate vetus fermentum*, & parua hæc acetabula ab omni vacuate amaritudine & acore, vt suauem hunc liquorem ijs excipiatis. Ab omnibus affectibus terre-
4. Reg. 4. stribus ea vacua reddite, vt cœleste hoc oleum in ipsa infundatis; quod infusum, mox in immensum dilata-
Psal. 4. bitur. *A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicantur* fideles.

7. Potentiana virgo sanctum Martyrum sanguinem
Marty. Romę spongia collectum asseruabat. Quàm porrò cor
rol. Rom. nostrum spongiosum est! prauos ex ipso humores antè exprimamus, vt ita id emundatum sanguinem hunc Domini effluẽtem, quin imò spissis grumis in terram decurrentem imbibere faciamus.

8. Tu

8. Tu suauissime sponse mi, terram oscularis, quæ pedum meorum scabellum est, cur verò eam ipse non exosculer sanguine tuo irrigatam? Lingamus hanc, anima mea, nostris labris extergamus, dentibus præmordeamus; & teneras hasce montis Oliueti herbas, diuino hoc & verè cœlesti liquore rigatas, ô carissimæ ouiculæ, detondet.

9. Irriga, obsecro, ô diuine sanguis horti animę meę areolas, & desideriorum meorum floribus tantà rubicundum colorem veritate inscribe, quanta veteres vanitate ruborem rosarum sanguini inanis cuiusdam numinis saucij acceptum ferunt.

10. Vinea vino ex se nato irrigata emoritur. Vtinam tibi, ô Iesu vita mea, & sacer stipes, cuius ego sum *palmes*, sic sanguine tuo, qui millies profectò est melior quàm *vna fellis*, & *botri ornatißimi*, quos nequam & malignus mundus propinat, perfusus emoriar. *Ioan. 15.* *Deut. 32.*

11. Ros Calabriæ, manna est, & ruber hic ros, qui in monte Oliueti decidit, *manna* quoddam *absconditum* est. *Apoc. 2.*

12. Sed, eheu! sicut sanguis terram pinguem non penetrat nisi aqua vel suipsius cerussa dilutus sit; sic meis tu ô Domini mei aqua & sanguis lacrymis commisceare, vt ad intimam vsque cordis mei pinguedinem penitùs peruadas.

13. Quin potiùs tu, cor meum, delicijs & luxu incrassatum, per abstinẽtiam macresce; & in talis amoris camino in cineres redactum, sicut cineres sanguinem imbibunt, sanguinem imbibe Redemptoris, qui in terra disperit & consumitur.

14. Vbinam modò es, dolorosa mater in tam pretiosi huius sanguinis iactura, tu quæ, ceu casta quædam Phædra, toties castissimi huius Hyppolyti corpus sudore vndeundique perfusum extersisti? *Senec. Hyppol.*

15. Meministisne auditores, eum aliàs, animas consectandò defatigatum *sedisse super fontem sic*, vt vnam duntaxat Samaritanam ad meliorem frugem reuocaret? *Ioan. 4.*

16. Vbinam tunc eras, pœnitens Maria, & ardens amatrix vt intra pixides tuas alabaſtrinas diuinum hunc ſanguinem ſtudioſè collectum concluderes, *Mat. 26.* multò ſanè pretioſiorem quàm tua fuêre aromata? An non, quod illi mortuo exhibebis officium & obſequium, magno cum fœnore iam rependit?

Pſal 132. 17. En, vt pretioſum hoc vnguentum *Aaronis à capite* eius *in barbam deſcendat*, atque inde ad extremas vſque *veſtimenti oras* diffluat.

Luc 23. 18. Eſto, ò diuine ſanguis, non *ſuper nos*, ſed intra nos, non inquam *ſuper nos*, ad noſtri damnationem & exitium; ſed intra nos, velut beatitudiuis noſtræ ſemen ac germen. Ita namque id ipſe bone Ieſu, iam o- *Ioan. 6.* lim ſpopondiſti: *Qui biberit meum ſanguinem, habebit vitam in ſe, & quidem vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.*

Diſcip. in mirac. B. Maria exempl. 50. 19. O venerande ſanguis, cuius vel gutta vnica pręponderabat, non vnius monachi diſcoli ac diſſoluti, (vti pluribus in B. Virginis miraculis legere eſt) ſed totius mundi peccatis: da mihi igitur vel milleſimam guttulæ particulam & ipſa mihi ſufficiet.

20. Ex hactenus dictis colligite, dilectiſsimi, 1. vt agoniæ dulciſsimi Redemptoris noſtri memineritis, nec non veſtræ, quæ poſt futura eſt; 2. diſcite pretioſum hunc ſanguinem, qui inſolita quadam ratione deſtillat amare quò ſitim veſtram ſpiritualem reſtinguatis, ſi modò ſæpiùs ſacram communionis menſam adire velitis, 3. cauſas expreſsionis huius admirari. ſed 4. inprimis vos commonefacio, & per Ieſu Chriſti ſanguinem, cœli terræque delicium coniuro, ne quem vobis iam prædicaui ſanguinem, in terram infructuoſè cadere ſinatis, ſed ſtudioſè ſoliciteque eum *in cordibus veſtris* aſſeruetis, ipſe in iiſdem viuat & vegetet, & ſic vos in illo viuetis. Amen.

FERIA

FERIA VI. POST DOMINIC. I. Quadragesimæ.

Consolatio Angeli.

HOMILIA IX.

APPARVIT *illi Angelus confortans eum.* Angelicę huius confortationis & consolationis occasione, dilectissimi in Christo Iesu, quoddam vos pietatis genus edocebo, quod in singulari habeo veneratione, cultum inquam Angelorum. Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa V. illorum singularis est cultor, atque ideò libentius ipsum Officium Angeli custodis, quod à doctissimo religiosissimoque viro Cardinali Bellarmino componi iussit, (vt in Romana mea profectione nuper didici) auctoritate sua approbauit. At quoniam materia hæc admodum ampla & diffusa est, statui, ne multum à thematis nostri terminis digrediar, occasione huius Angeli consolantis ostendere, 1. ab Angelis nostras in cœlum orationes ferri, & diuinas inde gratias ad nos referri, 2. eos nos in angustijs & ærumnis consolari, 3. in hac vita dirigere & gubernare, 4. denique morientibus nobis adesse: atque hæc sunt officia, quæ confortans hic Angelus hac hora afflicto Redemptori præstat. *Luc. 22.*

1. Illud vt certissimum in fide nostra fundamentum dicendorum, etsi id hæretici nuperi in controuersiam vocent, præmitto, suum vnicuique tam fideli, quàm infideli, tam hæretico quàm Catholico custodem esse Angelum. Quàm ô cœlestes spiritus, obsequia vestra parum agnoscuntur ab ijs, qui vos sibi negant adesse vel succurrere, quibus omnibus non alia credendi est ratio, quàm quæ videndi! in quo Ethnicis

ipsis multò magis cæcutiunt, qui in vano Geniorum & larium suorum cultu hanc veritatem perspectam habuerunt.

2. Alterum dicendorum fundamentum sit, solum inter omnes homines Redemptorem Iesum Angelo Custode opus non habuisse, vt qui non solùm viator, verùm etiam iam inde à conceptionis initio comprehensor esset. Erat quippe is Rex gloriæ Angelorum, omnipotens, & illorum præsidio non indigens; vnde etiam in tentatione illa, qua in des rto à satana tentatus est, solum eum cum hoste congredi siuerunt & vincere, post certamen verò illi de victoria congratulatum venerunt. *Matt. 4.*

3. Quòd autem Euangelista eum ab Angelo confortatum scribat, non id sic intelligendum est, tanquam hac ipse consolatione opus habuerit; sed primo edocere nos voluit, quanta beati huius spiritus esset erga Dominum suum affectio & studium. Secundò vt nobis ostenderet, se, qui dum viueret, B. Matris suæ, Iosephi, Marthæ, Mariæ Magdalenæ, suorumq; Apostolorũ minimè dedignatus erat obsequia; iã vtpote in hac angustia omni humano subsidio destitutum, humilẽ B. huius ministri, qui sibi in agonia posito compatiebatur, consolationis opem nolle aspernari. Tertiò denique nos docuit esse nobis, cùm nullum prorsus hominum auxilium præ manibus est, in sanctorum Angelorum ope sperandum. *Luc. 22.*

4. Vnico igitur Saluatore Iesu excepto, reliqui omnes Angelos habuêre tutelares, quin imò ipsa Beatissima mater Maria, quasi omnium creaturarum excellentissima, habuit plures; atque ideò ipsa *lectulus Salomonis* est, quem *sexaginta fortes ambiunt omnes ad bella doctissimi*; Sic etiam Apostoli, & reliqui homines. Imò verò, quo cuiusque dignitas & functio maior atque onerosior, eò & Angelos tutelares digniores habent illuminatioresque atque ideò Regibus & Prælatis *magni consilij* adsunt & præsunt Angeli. *Cant. 3.*

5. Ipsum

5. Ipſum Redemptorem Ieſum plurimi aſsiduè ſtiparunt: non quidem, quòd ijs ipſe egeret, ſed quia id perſonæ eius dignitas exigebat & reuerentia; nec non, quod *in* beatum illius vultum ſpiritus illi cœlici ſemper *proſpicere deſiderarent*. Atque hoc eſt, quod Petro poſtea ipſe ait, in Patris ſui cæleſtis poteſtate eſſe, multas ſibi, ſi opus eſſet, Angelorum meriadas ad auxiliandum ſubmittere. *1. Pet. 1.*

6. Sed iam primum ipſorum officium diſquiramus noſtras ſcilicet ad Deum orationes deferendi. Euidenti id exemplo patet in myſtica illa Iacobi ſcala, in qua Angeli aſcendebant, eius ad Deum deferentes ſuſpiria; & Dei è cœlo ad ipſum gratias referentes deſcendebant. *Gen. 28.*

7. Tobiæ dicebat Raphael: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* *Tob. 12.*

8. Dauid poſtquam ſuum lacrymis peccatum eluiſſet, Deumque pœnitendo ſibi conciliaſſet, & ad ipſum orando clamaſſet; ecce, vt Angelus ad eum delapſus, & culpæ ei afferat remiſsionem, & caſtigationis optionem det. *2. Reg. 24.*

9. An non Angelus fuit, qui Zachariæ vota deſideriaque in cœlum detulit; quique illi, dum ad cornu altaris victimas Domino immolaret, exauditas preces nuntiauit, & S. Ioannem Baptiſtam, quem Angelum & Meſsiæ præcurſorem prædixit fore, naſciturũ illi ſpopondit; quiq; eum, dum diuina initianti credere detrectat, linguæ vſu priuauit? *Luc. 1.*

10. An non etiam in Apocalypſi Angelus vnà cum incenſo, ſanctorum Deo orationes offert? *Apoc. 8.*

11. Noſtras itaque illi ad Deum ferunt orationes, & eius ad nos referunt miſericordias. ***Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.*** & Angelicus ille Bernardus, *Noſtras ad eũ portat lacrymas & illius reuehunt ad nos gratias.* *Pſal 65.*

12. Docent nos illi Dei voluntatem facere, Deumque vice verſa inclinant noſtræ vt morem gerat. Verè *Ser. 1. de Angelis.*

enim

Psal.147. enim *Dominus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Sic
4 Reg.20. Ezechiam regem deprecantem ex toto corde exaudijt, & aliquot vitæ ei annos addidit.

13. Quàm verò ô beati Angeli ad bonum hoc nobis officium præstandum prompti estis & expediti! quã, ô fidi interpretes, & Deũ inter & nos mediatores, diligentes, vigilantes & celeres estis? Quis vestram velocitatem verbis exprimat? si enim illam in admirabili illa intelligentiæ primi mobilis cupiditate consideremus, talem eam inueniemus, quæ propè considerari & comprehendi nequeat.

14. Vos frigidarum & tepidarum actionum nostrarum patinas & missus ope & arte vestra tam scitè nostis digerere, vt eas etiã acceptas reddatis, interdum etiam dignas quæ exaudiantur; vos quippe in charitatis vestræ igne eas excoquitis, ne adeò sint crudæ.
Psal.103. *Mittit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.*

15. Facessat hinc fictitius ille poëtarum cum alatis suis talaribus Mercurius. Quid autem fabulosus eius caduceus nos aliud docet, quàm, sicut ille duos virgâ suâ serpentes conciliauit; ita vos, Angeli, duos illos serpentes, hominem inquam vermem illum terræ, cum Deo cuius æternitas ab Aegyptijs in hieroglyphicis, serpente in orbem redacto, & caudam suam præmordente designata est, inuicem reconciliare?

16. Cassianus suis in Collationibus pio alicui religioso visum in visione tradit Angelum, qui, sacerdote verba illa Canonis in sacris mysterijs recitante, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*, hostiam in missa oblatam Deo offerret.

17. Iam, quid Angelus hic in horto faciat, nobis videndum est. Inprimis illam Redemptoris orationem, *Pater non mea, sed tua voluntas fiat*, ad Deum Patrẽ refert; filio verò illud Patris responsum reportat, *fili,*

non tua sed mea voluntas fiat; illa forsitan Isaiæ benedictam Redemptoris animam alloquentis verba addens: *Non vocaberis vltrà terra derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea, quia complacuit Domino in te.* *Isaiæ 26.*
Reliquas cõsolationis eius partes vobis cogitandas & expendendas relinquo; Angeli quippe huius *lingua ignea* & *eloquio ignito* opus foret, vt dignè exprimantur ea, quæ zelus eius Domino suggerebat. *Act. 1.*

18. E primo hoc puncto illud saltem addiscatis velim, vt, cùm iam orationes absoluistis, semper eas Angelo vestro tutelari per breuem aliquam oratiunculam, qua eius opem feruenter exposcatis, ad Dei aures deferendas commendetis. Verbi gratia, Obsecro te mi Angele, vt rosarium hoc vel coronam ad clementissimam Virginem Mariam deferas; hũc Deo meo psalmũ offeras; has ad gloriã eius esse litanias iubeas; miseram animam meam sanctis eius quæso, etiã atque etiam commenda; à misericordia illius hasce mihi gratias impetra, hocce meum *sacrificium cordis contriti & humiliati, sacrificium laudis*, ac *vitulum labiorum meorum præsenta*, ac tum *auditui* eius *dabimus gaudium & lætitiam.* *Psal. 11.* *Psal. 50.* *Osee. 14.* *Psal. 50.*

II.

1. Iam videamus, quomodo nos Angeli hi tutelares in nostris consolentur afflictionibus. *Et apparuit Angelus de cœlo, confortans eum.* Exempla sunt sexcẽta & amplius, sed hæc pauca nobis sufficient. Imprimis Saluatoris nostri Iesu, qui & hac in agonia, & in deserto, post fugatum ab se satanam, Angelos consolatores habuit. *Et Angeli ministrabant ei.* *Matt. 4.*

2. S Antonius generosus ille pugil, post diuturnam cum potestatibus tenebrarum luctam, Angelicam dignus fuit consolationem accipere.

3. B Iacobus Alemannus Ordinis Prædicatorij suis in orationibus plerumque mentis diuagationem patiebatur, quin etiam à diabolo nonnunquam cædebatur. sed cùm hæc tempestas deferbuisset accedebat ad eum ANGELVS Custos, & hunc illi Dauidis versiculum occinebat; *Exspecta Dominum,* *Psal. 2.*
viri-

viriliter age, confortetur cor tuum & sustine Dominum.

Iob.42. 4. A quo alio quàm ab Angelis curatum & pristinæ valetudini restitutum fuisse putamus Iobum à cacodæmone antè permissu diuino vlceribus vndeundique percussum?

Gen.21. 5. Quis Agarem in deserto propè ad extrema desperationis redactum, consolatus est nisi ANGELVS?

6. Concionaturo mihi vobis de Angelis consolationi fuit inter sacrorum celebrationem id occurrisse Euangelium, in quo Angelus, Probaticæ piscinæ aquam mouens virtutem ei efficaciamque ad omne ægritudinum genus persanandum communicare solitus legitur; sic credere par est, parem omnibus consolatorijs Angelorum inspirationibus, virtutem ad internos animorum dolores mitigandos inesse.

Ioan.5.

7. Ita sanè, fratres mei; quamobrem consolamini, consolamini in afflictionibus vestris; si enim *hominem non habeatis*, qui vobis solatio sit & subsidio, Angelū vobis desursum Altissimus submittet, qui pium hoc vobis officium præstet; si modò id ex animo auxilium ab eo petieritis, quin imò ipsemet, vester erit *homo*, qui, etiam sine piscina persanare vos poterit; aut saltem in sanguinis sui, è quinque vulneribus eius, ceu quinq; porticibus effluentis, piscinam merget.

Ibid.

Act. 12. Dan. 14.

8. Hem! quàm verè Angelica virtus est, miseros & inopes (vera dolentis Iesu membra) afflictione oppressos, suis in ærumnis consolari! sic Apostolum Petrum Angelus in carcere est solatus, quin imò eodem exemit: sic & Danielem in lacum leonum coniectum, consolatione sua recreauit.

9. Sic S. Franciscus morbo iam confectus & contabescens, Angelico fuit concentu pristinæ valetudini redditus.

10. Sic B. Ignatium de Loiola dum Manresæ æger decumberet, sæpè Angeli recrearunt consolantes.

11. Sic

11. Sic B. Catharinam Genuensem in extremis suis feruoribus, qui virium defectum, atque animi sæpè illi afferebant deliquium, Angeli corroborarunt & vegetarunt. Quod ipsum & de S. Catharina Senensi legitur.

13. Dum S. Aldegundis audito sinistram de castitate sua plurimos opinionem concepisse, turbaretur, Angelus eam custos monuit, hoc vt opprobrium æqua mente pateretur, idque propter ipsum, qui tantas eius causa tulerat contumelias & ignominias, quique *cum iniquis reputatus* medius inter latrones nuduspependeret. *Isaia 53.*

14. O diuini ac cœlestes Samaritani, qui benignæ consolationis vestræ oleo & vino animas dolore oppressas recreatis & corroboratis! *Luc. 10.*

15. Videte, vt is, quem Euangelium nostrum describit, omnibus neruis comitatur, vt dominum suum ac Deum consoletur, charitatem illi suam & ęternum & immutabile Dei decretum proponens.

——— Graue & immutabile sanctis
Pondus inest verbis, & vocem facta sequuntur.

16. Vtinam illo cum calamo meo præsens loco fuissem quo energica hæc Angeli solatia scripto excipere potuissem! In vestris igitur afflictionibus & angustijs mementote, carissimi, beatarum illarum mentium suppetias implorare: nam illarum, quas vobis inspirabunt, inspirationum, vel vnica non secus atque olei cœlestis gutta, omnes animorum tempestates ilicò compescet & dispellet.

III.

1. Iam vnicam illorum in *gressibus* nostris per Dei *semitas* interim dum in *dirigendis* mortali hac vita ac peregrinatione versamur, solicitudinem dispiciamus. Apertè id in Psalmis suis regius Vates insinuauit, *quoniam Angelis suis*, inquit, *mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te.* Exempla suppetunt plurima. *Psal. 118.* *Psal. 91.*

2. An non TOBIAS iunior ANGELI RAPHAELIS ductu fuit in Rages MEDORVM *Tob. 19.*

sospes

ſoſpes adductus, & inde ad Patrem incolumis reductus?

3.Reg.19. 3. Annon etiam per deſertum Horeb Angelus deduxit, commeatum in peregrinatione præſtitit, & à Ieſabelis, quæ eiuſdem ſitiebat ſanguinem, immanitate vindicauit?

Gen.28. 4. Iacobum annon ab alio quodam fuit Angelo in Meſopotamiam conductus, qui omnibus eum malis eripuit, & à ſanguinarijs fratris ſui Eſau, à quo ad necem conquirebatur, manibus liberauit?

Gen.32. 5. An non ab eodem, quocum luctabatur & à quo nomen Iſrael illi fuit impoſitum, ſoſpes reductus eſt?

Exod 14. 6. An non Angelus vniuerſum populum Iſrael ex Aegypto deduxit, illi, ceu famulus, columna illa ignea, quæ caſtra præcedebat, quaſi accenſa face prælucens?

Matt. 2. 7. An non Angelus ſidus illud extraordinarium, Magis ab Oriente venientibus ceu ducem præmiſit, vt ad Meſsiam in ſtabulo Bethlemitico adorandum per illud ducerentur?

8. S. Omupharium in media ſolitudine locisq; deſertis Angelus cuſtos viſibili ſpecie apparens vt plurimum conducebat, eique pro iucundo comite in via erat. Quantò ergò potiori iure quàm olim Scipio ille Africanus, dicere poterat, nunquam ſeſe minus ſolũ eſſe quàm cùm ſolus eſſet! In ſolitudine namque beatæ illæ mentes priuatim ac familiariter ad cor noſtrũ

Cant.8. loquuntur. *Quis mihi*, Angele mi cuſtos ac *frater* qui tam tenerè beatitudinis *vbera ſugis, det vt inueniam te foris*, clam omnibus te amplectar, tibique cor meum conſignem, vt ipſum ad Ieſum meum deferas! noli me, quæſo, ô peregrinationis meæ comes in tempore hoc malo, in vita hac adeò ærumnoſa & miſera, denique in mundo hoc tot laqueis & captioſis inſidijs refertiſsimo deſerere. Hinc orat Eccleſia: *Mittere digneris Domine ſanctum Angelum tuum de cælis, qui nos foueat, protegat, viſitet atque defendat.*

9. B. Franciscam Romanam, quam Sanctissimus Dominus noster Paulus hodie in sede Petri Ecclesiam gubernans Sãctorum catalogo nuper asscripsit, toto quo vixit tempore Angelus tutelaris, ea qua videri poterat, forma apparens direxit.

10. S. Cæcilia cùm virginitatis suæ custodiam conseruationemque Angelo suo custodi commisisset, eam is solicitè admodum ac zelosè tutatus est: quin imò id à Deo orando obtinuit, vt eum Valerianus sponsus videre dignus redditus sit; quo is viso statim ad Christum transijt, eumque moriendo confessus est.

11. B. Ioanna, de Vrbe veteri è tertio S. Dominici Ordine, cùm matre biennis, patre quinquennis orbaretur, Angelum Custodem tutorem & curatorem habuit, qui, vt ipsa æqualibus pòst retulit, patris illi & matris fuit loco. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* *Psal. 9.*

12. Quis ignorat B. Stanislaum Kostkam illustri in Polonia loco natum Societatis Iesu Nouitium, ex Angelorum manibus diuinissimum Eucharistiæ panem accepisse?

13. Quanta porrò B. Aloisij Gonzagæ ex inclyta Mantuanorum Ducumque familia prognati & eiusdem Societatis membri, fuit erga sanctos Angelos veneratio ac cultus? quam de eis concinnauit meditationem, euidenter satis demonstrat, quàm ijs ipse familiaris existeret.

14. Nihil dicam hìc de singulari illa ope quam beatus ille pater Petrus Faber, Sabaudus, in proxima diœcesi Geneuensi natus, primus inter socios sacerdos, primus item concionator, & primus B. Ignatij, magnæ huius Societatis Fundatoris, socius ab Angelis illorum, quibuscum tractabat, in suis inter hæreticos peregrinationibus se recepisse confitetur; vtpote quas animas illorum & molliores & tractabiliores, & ad salutis quam ipse promulgabat doctrinam admittendam faciliores reddere sentiebat. Quàm porrò benè Concionatores agerent, si, quibus concionantur, illo-

illorum Angelos ita antè sibi conciliarent; quo illorum ministerio maior verbis suis inderetur efficacia, simulque vox sua in *vocem* mutaretur *virtutis*, nec nō vitæ & intelligentiæ verborum diuinorum pane animas possent reficere.

1. Si verò ea sit Angelorum interim dum viuimus
IV. solicitudo & fauor, minimè dubitandum est, quin suum in vltima mortis hora auxilium ac subsidium ingeminent; cùm nimirum diabolus, parum sibi iam superesse temporis sciens, ad nos vel nunquam deinde vexandos, vel iam penitus expugnandos, *ira* qua-
Apoc. 12. dam *magna descendit*, tunc verò illorum nobis auxilium quàm maximè necessarium est.

2. Sic Raphaelem adolescenti Tobiæ succurrere in
Tob. 4. mortis periculis videmus, cùm eum & à ceto, à quo deuorandus erat, & ab immanibus impuri illius Asmodæi, libidinis omnis patroni, qui iam septem sacræ coniugis suæ maritos interfecerat, vnguibus tritatus est.

3. Sic & armati Elisæo in auxilium venêre cùm à
4. Reg. 6. Rege Syriæ, à quo ad necem conquirebatur, in Dothain obsideretur.

4. An non illi Dei sunt milites & castra, quæ vidit
Gen. 32. Iacob è Mesopotamia domum rediens?

5. *Quid videbis in Sulamite*, dicitur in Canticis, *nisi*
Cant. 6. *choros castrorum*? Sulamitis, anima pacifica est, quæ iam moritura, *in osculo Domini* spiritum effluere, *in*
Deut. 34. *Domino mori & requiescere à laboribus suis* vult, *assu-*
Apoc. 14. *mens pennas columbæ & aquilæ*; ac dicere, *In pace in*
Psal. 54. *id ipsum dormiam & requiescam*, vt *fiat in pace locus*
Isaia 40. eius. Tum verò chori Angelorum magno cum gaudio
Psal. 4. illi occurrunt, canentes: *Veni de cubilibus leonum, de*
Psal. 75. *montibus Pardorum, veni coronaberis*. Hinc quippe illam consolantur: atque id repræsentant *chori*; illinc
Cant. 4. verò contra tartareas potestates pro ipsa decertant, atque id indicant *castra*; & quando *vim patimur re-*
Isaia 38. *spondent pro nobis*.

6. O verè amicos fideles & sinceros, qui nos in illis

illis mortis angustijs non deseritis; tum inquam, quādo *nobis est colluctatio aduersus potestates tenebrarum harum, & spiritualia nequitiæ in cœlestibus!* Ephes. 6.

7. Quàm sunt, ô beati spiritus, consolationes vestræ in illo nobis conflictu, opportunæ? S. Ioannes Canonicus Regularis in extremo mortis certamine, Angelum suum custodem conspicatus, lætus & hilaris decessit.

8. Et S. Nicolaus Tolentinas (cuius sepulchrum nuper sum cùm Roma reuerterer, fratres, coram veneratus) miro mentis gaudio demortuus est; suam corona cœlestis exercitus circumcinctus animam exhalans, ad quam cœlici illi stipatores in paradisum deuehendam descenderant.

9. Litteris Societatis Iesu fidei progressum in prouincia Menicana significātibus proditum est, neophytum quendam anno 1587. summâ in mortis articulo consolatione perfusum fuisse, quòd quendam illi beatitudinis iam iam adeundæ radiolum Custos Angelus communicasset.

10. Quid? annon hi ipsi Angeli in supremo iudicio, electos *rapient obuiam Christo in Aëra?* 1. Ephe. 4.

11. Quis Lazari animam in Abrahæ sinum detulit, nisi administratorij illi spiritus? Luc. 16.

12.13. An non S. Antonius, referente Hieronymo, S. Pauli Eremitæ animam in cœlos Angelorum manibus subuehi conspexit? & P. Ioannis Codmij B. Ignatius? In vita.

14. Tu, ô fidelissime amice, solus statim à morte nos ad vsque horrendum ac seuerum *Dei viuentis, in* cuius *manus* Apostolus *horrendum* ait esse *incidere*, tribunal deducis, & stipas: tu pro nobis in causa illa, in qua de æterna salute aut damnatione nostra agitur, intercedis & patrocinio es. Heb. 10. Luc. 16.

15. Quàm igitur posthac, amicitiam tuam interim dū vita durat, seriò studio æquè captare voles, vt me aliquando *in æterna recipias tabernacula.*

16. Tu ad purgatorium quoque animas conducis,

verum iusta hæc tormenta ſuaui tuo alloquio ac conſolatione nonnunquam mitigas.

17. Tu tuum quocumque locorum cœlum ac beatitudinem circumfers, Deumque haud procul à me vides, etſi,quando, ô cariſsime vitæ meæ ſtipator,
1.Cor.13. *facie ad faciem* dabitur *in lumine videre lumen*,quando *eos*
Pſal.35. Deus *reuelabit oculos,ne vnquam* fortè *in morte obdor-*
Pſal.12. *miant*? quando *me liberabis de* carcere *corporis huius*?
Rom.7. quando *medium ſolues parietem*,qui Deum à me inter-
Epheſ.2. ſtinguit? *quando*, ah quando *veniam & apparebo an-*
Pſal.41. *te faciem* eius? *Oſtende mihi Domine faciem tuam, &*
Pſal.19. *ſaluus ero.* Ego verò cœlum adeò vicinum habeo, & tamen non video. quouſque ô miſerum corpus, & infelix cadauer, animo meo ceu velamen & caliginoſa quædam effuſio eris? *Illumina Domine oculos meos, &*
Pſal.12. *conſiderabo mirabilia tua.* Interim,cùm id fieri nequeat,*in conſpectu Angelorum pſallam tibi,adorabo ad tem-*
Pſal.137. *plum ſanctum tuum,& confitebor nomini tuo.*

Vos verò fratres mei paruuli,quotidie manè & veſperi magna attentione veſtrum *Angele Dei* identidem repetite, vt Angelus veſter cuſtos 1. preces veſtras ad Deum deferat, 2. in veſtris vos tribulationibus cõſoletur, 3. in vita dirigat, 4.in mortis hora gratiam vos faciat ante benigniſsimi Domini noſtri Ieſu Chriſti thronum inuenire.

DOMINICA II.

Quadrageſimæ.

Apoſtoli ſtertentes reprehenſi.

HOMILIA X.

Matt.26. Marc.14. Luc.22. INVENIT *eos dormientes, & dixit Petro: Simon dormis* &c. Blanda hac Redemptoris reprehenſione dum benè eam rumino, erui 1. peccatorem omnem

mnem verè ſtertere, 2. quanta à ſuperioribus lenitate & dulcedine inferiores corrigi debeant, 3. quinimò illorum delicta, ſemper imminui & excuſari, 4. cogitabam ipſe mecum quanta Redemptoris Ieſu eſſet animoſitas proditori ſuo & lictoribus vltro obuiam procedentis, cùm ſciret quod

Tempus iamiam infandum aderat fera ſacra parandi,
Et ſalſas fruges, & circum tempora guttas.

Hæc noſtræ meditationis materia futura eſt ſimul & ordo.

1 Peccatorem omnem ſtertere, dilectiſsimi in Chriſto, notum adeò & euidens aſſertum eſt, vt mul- I.
tis ad ipſum probandum minimè opus ſit argumentis aut verbis; Regius ſiquidem vates ſic de peccatoribus cecinit: *Dormitauerunt omnes atque dormierunt.* Pſal 87.
ac rurſus, *ſicut vulneraſti dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.*

2. Audite vt de auaris inter alios loquatur: *Dormi-* Pſal.75.
erunt omnes viri diuitiarum ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis. Si omnia inania mundi bona nonniſi ſomnium ſunt & mendacium, an non verè ſtertunt qui ijſdem effictim inhiant, & qua poſſunt conquirunt?

3. Annon ſuperbus vehementi quodam ambitionis lethargo iacet oppreſſus, qui nullam ei noctu diuque requiem indulget? Voluptatis venereæ aſſecla nonne letali quodam correptus eſt veterno? nonne gulo ſæpenumerò inter dormiēdum ab ingeſta ſtomachi oppletione opprimitur? *ſomno vinoque ſepultus.* Annon inuidia propriè quoddam *vigilantis inſomnium*? Pigrum verò & inertem conſtat *vigilantem ſtertere, illique iam viuo atque viuenti vitam propè mortuam eſſe.* Vnde etiam Seneca deſidiam & ſegnitiem *viui* eſſe *hominis aiebat ſepulchrum. Illumina Domine oculos* noſtros, *ne vnquam obdormiant in ſomno* mor- Pſal.12.
tis.

4. Ne permittas, obſecro, vt interim dum peccati

 morta-

Psal. 87. & 13. mortalis, quod fluctus iræ tuæ ſuper nos attrahit, tēpeſtatibus anima noſtra iactatur, ſecurè vtramque in aurem dormiamus. *Non dabo ſomnum oculis meis, nec palpebris dormitationem, donec inueniam locū Domino.*

5. Lazarus qui peccatorem in inolita inueterataque peccandi conſuetudine demortuum deſignat, à Ieſu Chriſto dictus eſt dormire; *Lazarus amicus noſter dormit, vadam vt à ſomno excitem eum.* Quamobrem *expelle*, Domine, *ſomnolentiam ne pigritantes obruat.* (Ioan. 11.)

6. Ne fortè, Tobiæ adinſtar, interea dum dormimus, excæcemur: ex eo enim quòd in peccatis hæreamus, ſpiritualiter caligare oculi noſtri incipiant. Vnde non immeritò populum quendam malè agendo aſſuetum excæcari à Domino petijt propheta, *Excæca cor populi huius.* (Tob. 2. Iſaia 6.)

7. Peccatum feralis quædam Torpedo eſt, & letalem quendam in oſſa vſque noſtra occultè torporem tranſmittit: ipſum enim in cauſa eſt, vt *derelinquat nos virtus* noſtra, *& lumen oculorum* noſtrorum *non ſit nobiſcum.* (Pſal. 37.)

8. Tale nāq; id benè agēdi nobis faſtidiū ingenerat, vt cuncta pietatis exercitia elanguida quodammodo reddat & mortua. Omnia quippè opera noſtra bona, quam diu in letalis ſtatu criminis aguntur, velut abortus quidā ſunt. Atq; hāc ob cauſam Aug. bonarū inſpirationū ſuarū languorē ac deſideriorū inertiā, ſub initiū conuerſionis ſuę, *conatibus* aſsimilat *expergiſci volentium*, vtpotè qui nondū ſomno ſaturi caput dormitabundum identidem in ceruical reclinant.

9. An non vos tres Apoſtoli dormientes ijdem eſtis, quorum in monte Thabor oculi tam erant ad Chriſti gloriam contemplandam aperti, & iam non poteſtis vel vna hora vigilare, vt Domino veſtro in ſummis anguſtijs conſtituto compatiamini. In Thabor Petrē vt architectum te gerebas, & operis velut auctorem ad tria illa tabernacula conſtruēda: adeò ſcilicet bonū erat te ibi eſſe, vt quidē tibi tū videbatur; & iā cū quid aduerſi tibi ferendū eſt, dormis. Vah amici mundani pares vos eſſe cenſeo turbis illis Dominū in deſerto (Matt. 9.)

tamdiu

tamdiu ſequentibus, quamdiu panem illis tribueret, nec non illi, qui dixit: *Si Dominus dederit mihi panem ad veſcendum, erit mihi in Deum*: quin etiam Iſraelitis Dominum, cùm manna daret, laudantibus, & ad minimam difficultatem vel in caſtris diſſoluendis, vel in aquarum penuria ſubeundam, murmurantibus. Multi quidem Dominum ſequuntur, Sacramentorũ eius dulcedine ineſcati, at pauci eum mortificationis cruce onerati ſequuntur. Certiſsimum tamen me ſuaſore, eſt; non per montem Thabor vos, ſed per Caluariæ in Cœlum peruenturos, & in hoc monte ſua *Iacob figere* debet *tentoria*, & ſua *Iſrael tabernacula*, nec non vnuſquiſque noſtrûm ſua caſtra metari, ſi ad promiſsionis peruenire terram deſideret.

Gen. 28. Exod. 16. Ierem. 6.

10. Hoc ſuam ſalutem modo pius ille vir operabatur, qui ſingulis lecto exurgebat noctibus, vt Domino in horto derelicto & anguſtijs adobruto compateretur, cùm Pſalte dicens: ***Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.***

Diſcip. in Exem. verb. Paſsio. & ſerm. de Paſsio. Pſal. 118.

11. Quàm verò mundus iniquus eſt, qui totas in ludis, in tripudijs, & choreis, quæ vera ſunt ſacrificia Baalim, noctes inſónis traducere poterit; & quidẽ ſępius per annũ: Vt verò ſemel per annũ de nocte ad ſacra natalitia audiẽda cõſurgat, nemo nõ queritur, frigore omnes metuunt ne rigeſcant, nemo nõ tuſsit, nemo nõ vẽtris depromit tormina, nemo nõ cũ Euãgelicis illis inuitatis dicit: *Habe me excuſatum.*

Luc. 14.

12. Vigilemus potius, cariſsima anima mea, & *oculi* noſtri *anticipent vigilias*; Saluatorẽ noſtrũ Ieſũ imitemur, vigilãtem interea, dum ſubditi ac diſcipuli dormiunt; ipſe ſcilicet, *neq; dormitat, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Ipſe, qui *niſi cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Ipſe *virga* illa *vigilans* propheta eſt.

Pſal. 76. Pſal. 120. Pſal. 126. Ierem. 1.

13. Ipſe eſt cui amor, quemadmodum olim Iacobũ Rachaelis dilectio dormire non ſiuit, nullã indulget quietem: nam *res eſt ſolliciti plena timoris amor.*

Gen. 31. Ouid. 1. heroid.

11 1. Ipſe denique ſuorum excubias diſcipulorum obiens, & eos dormientes inueniens, longè mitius agit, quàm dux ille Epaminondas, qui militem in excubijs collocatum cùm dormire vidiſſet, eum in loco interfecit, eo ſe illum in ſtatu reliquiſſe aſſerens, in quo inueniſſet.

Nam nihil eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago.

At quamuis ô inertes Apoſtoli, talem vos caſum pertimere neceſſe non ſit, annon tamen veremini, ne, vt ſi vis illa fructus non ferens, maledictionem in caput veſtrum accerſatis?

Matt. 11. 2. Ne hanc quidem eos metuere oportet: ita quippe in eos animatus erat Ieſus, vt vix eos, quamuis vigilare noluiſſe aut non potuiſſe ipſos cerneret, obiurgare voluerit Petit igitur, *Simon dormis?* Petri nomine eum modò non compellat; vpote qui ſuam ob inertiam hoc conſtantiæ & ſoliditatis nomen mereretur amittere.

3. Quàm ô apis regiæ aculee, temperatus es, quàm multo melle illitus & permiſtus!

4. Quomodo ô myrrha amara, ſed ob gratioſam reprehenſionem ſuauis à peccati corruptione corda noſtra præſeruas! Reſpicite, vt ſponſus hic ſuam *cum* **Cant. 5.** tot *aromatibus myrrham miſceat*, & abſynthium ſuum & rhabarbarum ſaccaro dulcoret. Quàm eius medicamenta lenitiua ſunt, quàm catapotia ſalutaria & **Iſaia 16.** ad ſumendum facilia! Beate *Agne dominator terræ,* **Pſal. 86.** *manſuetudo tua ſuperuenit.* & ecce *corripimur.*

5. Hinc diſcite, Superiores, Apoſtolo ſuadente, dũ **2. Ti. 4. 5** increpatis delinquentes, *obſecrationes* intermiſcere in doctrina *& patientia.* Vndè bene ſapiens quidam ſalem ſimul & oleum neceſſaria eſſe aiebat ei qui alijs præeſt: Hancque ob cauſam Paſtores in Euangelio dicuntur & *ſal terræ*, & *lux mundi.* **Matt. 5.** Atq; vt olei lenitas ſalis mitigat acrimoniam, ſic manſuetudine condiri leniriq; debet reprehenſio, atq; inde fiet, vt quemadmodũ oleum in mare tempeſtatibus agita-

agitatum effusum, amaras vndas compescit; sic animæ impetus & procellæ per suauem lenemque correptionem ad malaciam sint reducendæ.

6. Nam debet illa, quemadmodum in thermis fieri solet, sordes auferre, tum durè confricando, tum molliter abluendo.

7. Atque vt Samaritanus saucium illum viatorem, oleo & vino in vulnera infuso, sanitati reddidit, sic animæ solent vlcera ac vulnera dulcamaro correctionis aculeo adhibito persanari. *Luc. 10.*

8. Audite subtilem paruumque illum Domini reprehendentis aculeum: *Simon dormis? non potuisti vnâ horâ vigilare mecum?* Nihil sic arrogantem & præsidentem animum pungit, quàm propriam illi improperare inertiam, iactauerat sese Petrus: *Etsi oportuerit me mori tecum,* &c.

O socij, neque enim ignari sumus antè malorum, *Virgil. 1.*
O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem. *Aeneid.*

Iam verò audite, vt hunc deinde ictum, infringendo emolliuerit: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* Quàm verè Domine loqueris: *Spiritus meus super mel dulcis, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* *Eccl. 24. Psal. 118.*

9. Hinc etiam est, quòd non in turbine apparere Eliæ volueris, sed in leni zephyri flatu; eum vt doceres, dulces & lenes increpationes & inductiones magis persuadere, quàm clamosas & impetuosas illas obiurgationes. Sicut enim apes sua construere aluearia in ijs non solent locis, in quibus vox reddita resonat, ita nec suauitati esse potest in acerba reprehensione locus. *3 Reg. 19.*

10. Baculo suo puerum exstinctum Elisæus ad vitam non reuocauit, sed eum amplectendo: ita, quidquid volueritis, impetrabitis, Superiores, si lenitatem adhibueritis; si verò rigorem & acorem, nihil effeceritis. *4. Reg. 4.*

11. Hinc etiam pastorales nouæ legis baculi alium vsum non habent, quàm ad leniter suauiterque oues dedu-

Psal.2. deducendas, non verò ad easdem percutiendas. De
Psal. 22. veteri lege scriptum est: *Reges eos in virga ferrea*, de
noua autem dictum: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

12. Solo baculi tactu Moyses aquas è petrâ eduxit:
Num.2. sic quot elicere lacrymas è cordibus petrâ durioribus
suaues exhortationes queunt?

13. Tempore legis illius seruilis & rigidæ Moyses
Matt.10. missus est cum virga: sed in lege gratiæ, Apostoli mittuntur per orbem *sine pera, sine baculo, sine calceamentis.*

14. Quòd tamen *vocati* sint tanquam Aaron, virga-
Hebr.5. rum etiam gestandarum ius habent; sed gratiosa illa esse debet & florida, id est, paterna quadam charitate temperari.

1. Charitate inquam, quę *patiens est, benigna est*, quę
III. *omnia suffert, omnia sustinet*, quæque peccatorem ex-
1.Cor.3. cusat potiùs, quàm accuset. Peccatorem inquam excusat, non verò peccatum, vtpote quod *inexcusabile* est. Atque illi à Propheta etiam coarguũtur, qui *excusant excusationes in peccato*, id est, in peccatum pal-
Rom.1. liare satagunt. Non ita tamen, vt *iniquus benedicen-*
Psa.140. & 10. *dus* sit, nec *in prauis* suis *desiderijs peccator laudandus.* Hoc volo & vrgeo: nostram erga miseros peccatores caritatem, indulgentem, paternam, misericordem, & compaßsione potiùs eò quòd peccârunt, quàm in peccatum admissum paßsione & indignatione plenam esse debere: qui enim furenter peccantibus indignatur, adeò eos non sanat, vt occidat; ad desperationem redigit, non ad emendationem inuitat; desolatio hęc est,
1.Pet.4. non emendatio Nam, vt ait Scriptura, *charitas operit multitudinem peccatorum.*

Euseb. in vita. 2. Eadem nostra erga quoslibet peccatores esse debet charitas, quæ Constatini Imperatoris erga peccantes sacerdotes, propter characteris ipsorum dignitatem ac ministerium fuit, vt nostro scilicet pallio illorum obuelemus delicta.

1.Cor. 11. 3. Verùm longè secus facimus, quàm nobis cõsulit Deus.

Deus. Docet is, vt nos ipſos antè dijudicemus, quàm de alio quolibet iudicium feramus: *Si noſmetipſos iudicaremus,non vtique iudicaremur*.Deinde, vt temerè de alijs nunquam iudicemus: *Nolite iudicare, & non* Luc. 6.
iudicabimini.Quis tu es qui iudicas fratrem tuum? Sed Rom. 14.
vice verſa ſemper in aliena delicta & vitia inquirimus,nunquam verò propria diſcutimus.

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Cùm tua non videas oculis mala lippus inunctis.

Quin potiùs *alienis demus erroribus veniam, vt noſtris impetremus*,vt vetus quidam aiebat.

4. Certum illud eſt,quod vulgò dicitur:*Omnis peccans eſt ignorans*:ſi enim probè perſpecta haberet bona,quę perdit,& mala quæ incurrit,nullum equidem crediderim fore, quin mortem malit quàm peccatum committere.Itaque,quemadmodum corporeis oculis carentium commiſeratione tangimur, ita ſpiritualem hanc cæcitatem ploremus.

5. Sic videbimus, benignißimum Redemptorem noſtrum, iam iam præ ſuppliciorum diritate emoriturum ſuorum inexcuſabilem, licet carnificum erro- Luc. 23.
rem excuſare,quòd ex ignorantia peccarent,*quia neſciunt*,aiebat,*quid faciunt*; & addit Apoſtolus: *Quia* 1.Cor. 2.
ſi cognouiſſent,nunquã Dominum gloriæ crucifixiſſent.

6. Iam itaque adeò non acriter ſtupidam & intolerabilem illam accuſat Apoſtolorum dormientium inertiam, vt etiam honeſtè ſui excuſandi formulam ipſis præeat,ſpiritum promptum eſſe dicens, carnem autem infirmam. Vix vllus eſt,quin bonum in concionibus faciat propoſitum,& meliora cõcipiat,eò quòd ſpiritus ſit promptus; ſed nihil executioni mandatur, quod caro debilis & infirma.

7. Hinc conferri poſſumus cum puero illo qui in emblematis deſcribitur: anima ſiquidem noſtra vnicam habet alam,ſed corpus lapidi eſt alligatum. Nam *corpus aggrauat animam*, præſertim quando *peccati*
pondus circumſtat. Sap. 9.

8. Noſter impetus & volatus ſimilis eſt volatui Heb. 12.
perdicis

perdicis: qui cùm impete quodam ac raptim volitauit, vno ſimul incitu in terram decidit. Sic & nos euolamus, & recidimus, & ſingulis feſtis reſurgimus; prout Sacramenta Confeſsionis ac Communionis rariùs aut frequentiùs iteramus.

9. Mera, eheu, ſumus miſeria! Hãc ob cauſam Deus, qui vnum Angeli præuaricatoris, (qui eſt *ſpiritus vadens, & non rediens*) peccatum noluit ignoſcere nobis, qui millena & millena commiſimus, indulgenter parcit, *recordatus, quia caro ſumus*.

Pſal. 77.

Ibid.

10. Per gratiam ni ſtaret ad ſingulos propè paſſus impingeremus, & prolapſi collideremur, niſi ſuam clementiſsimus Deus ſupponeret manum. *Niſi Dominus adiuuiſſet me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* Sine gratia hac ſe S. Franciſcus omnium dicebat mortalium nequiſsimum.

Pſal. 36.

11. Redemptor nonniſi modicum ab Apoſtolis ſuis ſeiungitur, & ecce ſomno opprimuntur. *Domine ne diſceſſeris à me, nequando dicat inimicus meus: Præualui aduerſus eum.*

Pſal. 21. Pſal. 12.

12. Sed ſtatim redit ad eos, adinſtar nutricis ad paruulum ſuum in gradiendo vacillantem extemplò accurrentis, & intra vlnas excipientis. O vere *nutricie Ephraim*, longanimis & ſummè miſericors!

Oſee 11.

13. Adeò quidem cæcutit amor, vt ſæpenumerò eos eſſe pulchros amans iudicet, quos difformes natura finxit. Nullus eſt pater, quin filium, etſi alioquin monſtroſiſsimum, & ſuum fateatur, & vt ſuum diligat. Nulla etiam mater, quin ſemper indulgeat, & filio peccanti ignoſcat. Ipſe etiam ſponſus ſacer ſponſam, tametſi dormibundam, diligit, imò nec è ſomno quidem eam permittit excitari. Nullus ita filios diligit pater, nulla ita nos mater, nullus in vxorem maritus tam tenero delicatoque amore fertur, quanto in animas noſtras Saluator. Noſtras ille tegit difformitates, næuos & fœditates excuſat, imperfectiones tolerat; paucis, *cùm dilexiſſet ſuos, in finem*, vel potiùs ſine fine, *dilexit eos*.

Cant. 2. 3. 8.

Ioan. 13.

14. Doce-

14. Docemur hîc, alter alterius infirmitates & imperfectiones ferre: portamus quippe *vasa lutea*, *quæ faciunt* sibi *inuicem angustias*: & si quando ad inuicem collidimur, adinstar vitri frangimur, inde nisi condescendentiæ mutuæ stramen intersecamus, nulla inter homines constabit societas aut commercium.

15. Apostolus Paulus, etsi alioquin vir perfectus, Corinthios rogabat, vt *ferrent modicum quid insipientiæ* suæ, nec non Christianos sapientiores exhortabatur, vt *charitate* illa, quæ *omnia sustinet*, alios insipientiores & indiscretos supportarent. 2. Cor. 11. 1. Cor. 11.

IV.

1. Iam, ô charissime animarum nostrarum sponse, ea charitate summè opus habes, quam omnes tormentorum indicibilium quæ iam iam subiturus es, *aquæ nequeant exstinguere*. Hac scilicet animosa virtute actus, ne dicam raptus, obuiam proditori suo, nec non vniuersæ, quam ille ducit, cohorti, quam eminus facibus & gladijs instructam aduenientem conspicit, progreditur. Cant. 8.

2. Verè locum hîc habent illa vaticinia: *Oblatus est quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi. Ecce in flagella paratus sum. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*, &c. Isaia 53. Psal. 53. Psal. 37. Psal. 29.

3. Non aliter nostri causa ad tormenta properat & labores, ac si ad nuptias sese disponeret, sed nuptias cruentas. Quando tandem, eius nomine, aliquas hilari & læta mente mortificationes subibimus? *Hilarem datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.

4. Videte, vt generosus hic dux, solus in certaminis discrimen sese offerat, proque omnibus commilitonibus suis suum periculo caput exponat; vt audax capitaneus ac ductor id exploratum præeat. Et sanè solus ipse conflictum inibit.

5. Generosus hic miles vi in carcerem se rapi trahive non sinit; sed vltrò ac sponte in eundem fine exteriori violentia aut coactione tendit, sed sola interiori amoris actus vehementia.

6. Leo

6. Leo à venatore impetitus, non fugiet, sed venabula potiùs exſpectabit venantium, quàm vt probroſa innatam ſibi generoſitatem fuga dedecoret. Talis quoque eſt leo noſter *de tribu Iuda*.

Apoc. 5. 7. Duellator & pugil ille, qui iam olim dæmonem in deſerto proſtrauerat, cùm illius iam miniſtris cer-
Matt. 4. taturus abit.

8. En, vt Scæuola nouus flammis ſeſe obijciat, Cur-
Liuius tius terræ hiatibus, Zopyrus flagris, Codrus morti:
lib. 2. *Quò fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.*
Dionyſ. 9. Hanc tot milleni Martyres ſunt generoſitatem
lib. 5. imitati, quando vltrò tormenta ambierunt, & ſuppli-
Liuius cijs ſeſe dedicârunt. S. Agatha virgo, ſe ipſa in para-
lib. 3. tum ſibi ignem ſponte coniecit, vt carnifici gloriam,
Oroſ. l. 3. qua ipſam flammis ſe inieciſſe poſſet gloriari, eripe-
cap. 1. ret. S. Laurentius vltrò in craticula ſe extendit. Suam
Herod. li. Petrus & Andreas Apoſtoli amanter complexi ſunt
4. *Iuſtin.* crucem. Sic etiam matres plurimæ ridendo ad martyrium properârunt, ſuoſque eodem paruulos de vberibus etiam pendulos ſecum rapuerunt.

10. An non martyrium Franciſcus inter Saracenos, apud Albigenſes, Dominicus apud Turcos, B. Ignatius ſtudioſè captârunt? & non eorum, quos ſocietas illa, quam hic vltimus condidit, tam paucis annis, & ſæculo hoc ferreo, cœlo peperit, Martyrum numerus admirationem meretur, & propè miraculo ſimilis eſt? An non B. Angela Brixienſis, Vrſulinarum monialium fundatrix, Ieroſolymam martyrij ſpe adijt? ſic B. mater noſtra Tereſa etiamnum puella paruula, hanc amictam inter Mauros quęſitum abijſſet, niſi puerilem eius feruorem parentes compeſcuiſſent.

Cic. 3. *off.* 11. Videte itaque vt noſter Pylades, pro nobis peccatoribus, qui Oreſtæ inſtar inſanimus, mortis ſeſe diſcrimini expoſitum eat.

12. Apoſtolis ſuis ait: *Surgite eamus*; ſicut iam olim
3. *Reg.* 19. etiam allocutus eſt Angelus: *Surge grandis tibi reſtat via.*

Exod. 3. 13. Et vt nouus quidam Moyſes, qui ait: *Vadam & videbo;*

videbo; & ceu filius prodigus, dicens: *Surgam & ibo*. Luc. 15.

14.15. Ad verba hæc expergiſcere peccator, & à peccato reſurge tuo, quò per pœnitentiam Dominum tuum præeuntem ſequaris: *Aut pœnitendum, aut ardendum. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Luc. 13.

16. Itaque ilicò *ſurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Iam hora eſt nos de ſomno ſurgere, iam enim propior eſt ſalus noſtra quàm credimus.* Epheſ. 5. Rom. 13.

17. *Surge, propera columba mea, & veni: iam hiems venit, imber accedit: ſurge, propera, & veni. Egredimini filiæ Sion, & tranſeamus vſque ad* hortum, *& videamus verbum quod factum eſt.* En, commilitones mei, dux noſter in certaminis diſcrimen generosè ruit, qui diligit, eum ſequatur. Cant. 2. Cant. 3. Luc. 2.

Ex hactenus auditis diſcatis velim, 1. peccatum, mortalem quemdam eſſe veternum, 2 ſuauiter blandeque reprehendere eos, qui veſtræ ſunt curæ commiſsi, 3 eorum infirmitatibus compati, 4. per mortificationem Dominum inſigni quadam conſtantia ad mortem vſque ſequi.

FERIA II. POST DOMINIC. II. *Quadrageſimæ*.

De Iuda.

HOMILIA XI.

Ecce *Iudas vnus ex duodecim venit.* Hodie de proditore, cras de proditione loquemur: nam, vt noſtis, fratres, proditor & proditio diſtinctum quid ſunt. Philippus Rex hanc amabat, & illum deteſtabatur. Primò itaq; oſtendemus, quã ad malum patran- Mat. 26. Ioan. 18.

patrandum ſceleſti vigiles ſint & expediti, 2. pluri-
mos peccatores Iudam imitari, 3. atque inprimis fœ-
neratores,4.Redemptorem Ieſum licitè ſpiritualiter-
que emi poſſe & vendi. Argumentum eximium eſt,
quamobrem attentas aures mihi ipſum proſequenti
date.

I. 1. Quî ergo fieri dicam, cariſsimæ animæ meæ, vt
non tam ad benè agendum ipſi vigiles ſimus & expe-
diti,quàm ad peccandum peccatores, *qui peruersè a-*
Iſaia 1. *gere deſinere* nequeunt? Darine infernus poteſt, qui
malorum varietate queat cum piratarum vita com-
parari? vtpote qui tenuis cuiuſdam rapinæ ſpe, nulla
non deuorant pericula & incommoda, quotidie in
præſentiſsimo mortis, tum temporalis, tum æternæ,
diſcrimine agentes:quid verò nos ſacros remiges non
agere par eſt,vt ſalutis ac gratiæ portum feliciter in-
uehamur?

2. Qvæ vita adeò miſera & ærumnoſa eſt, atque
prædonum & latronum in abditis ſiluarum & cauer-
nis ſemper agentium? quam non illi vitæ aſperita-
tem experiuntur,vtpote qui,vti dæmones infernum,
perpetuam formidinem nullo non loco ſecum cir-
cumferunt, in ſpecubus ac luſtris ſubterraneis ſaxo
alicui,aut terreo ceſpiti indormientes,noctu & inter-
diu per vmbroſa & horrida ſiluarum diuagantes, vt
viatorem aliquem incautum intercipiant; quem de-
inde eiugulent,mactent,diripiant:quas moleſtias v-
nâ pecuniolam aliquam alicubi nanciſcendi ſpe to-
lerant.

3.4. Militum gregariorum ærũnis & moleſtijs nul-
la,meo iudicio,par queat excogitari:qui quinque aſ-
ſium in dies ſingulos ſtipendio omnia incommodo-
rum genera æquo animo perferunt: & ſub aſsidua a-
liquam per agros hoſtiles excurſionem depecula-
tionemque exercendi, vel ad vrbis alicuius direptio-
nem perueniendi ſpe, quæ non adeunt diſcrimina,
quibus non caput ſuum obiectant periculis? Non hîc
de generoſis illis loquor militibus, qui vnicum ho-
norem,

norem, Regis ſui obſequium, & patriæ defenſionem præ oculis habēt, quiq; adinſtar Themiſtoclis, vix aureum à terra ſcutum ſuſtollerent; ſed de ignobili illo militū grege, nōniſi prædam direptionemq́; ſpectant, quos verè aues rapaces & vultureios appellare queo, *Plut. in vita.*

———queis more ferino
Collectare iuuat prædas, & viuere rapto.

5. Dicite, obſecro, quibus non artibus & aſtibus ſuam Nouantes, non dico religionem erroneam, ſed cauſam, promouere omnimodis connitantur, quomodo ſemper vlterius brachia extendere, quotidieque præſcriptos fluctibus ſuis ſemper fremētibus & vorticoſis terminos ſenſim trāſilire ſatagāt: vndè ſapiētiſſimè vir quidam prudens huius ſæculi cenſuit, hæreſin, ſi ita à nobis dūtaxat tractaretur ſicut nos illa tractat, breui finem & conſummationem habituram. Sed Dei prouidentię omnia committamus: nouit is è malo bonum educere, omniaq; *ſuauiter ad finem* ſuum præſtitutum *diſponit.* *Sap. 8.*

6. In Euangelio nihilominus *villicus ille iniquitatis* laudatur; & è parabola illa dogma hoc eruitur, *filios* ſæculi tenebroſi *prudentiores eſſe filijs lucis.* *Luc. 16.*

7. Videte, quæſo, quot callidis artibus, quot doloſis adinuentionibus venereus amator puellę alicuius expugnare pudicitiam tentet. Quin, ô Deum immortalem, tanto connitimur, vt ſanctum aliquem affectum concipiamus ſtudio, quanto ille, vt carnali ſuæ cupiditati faciat ſatis? quin tanta ſponſi noſtri cor diligentia lucrari & acquirere ſtudemus, quanta ille vt infelicis virginis honorem & corpus violet: *Sapientes ſunt vt faciant mala.*

8. Cur verò tantus noſter futurus eſt ſtupor & brutalitas, vt, cùm æterna gloria noſter ſit ſcopus, vel minimam eius comparandæ ergò moleſtiam ſubire detrectemus? ſceleſtos alloquens Seneca, plus eos ait moleſtiæ ac laboris in vitijs ſuis ſequendis & fouendis ſubire, quàm ijs, ſi virtutis ſtadium ingrederentur, forſitan perferendum eſſet.

9. Quid dico? an non idipſum damnati, æternum duraturis flammis addicti apud inferos lamentabili voce aſsiduè deplorant? *Ambulauimus vias difficiles, ſeruiuimus dijs alienis, qui non dabant nobis requiem die ac nocte. Laſſati ſumus in via iniquitatis.*

Sap. 5.

10. De gloria cœleſti loquens Auguſtinus, omnia quæcumque cogitatione fingi poſſunt ſupplicia, ſeſe eius cauſa perpeti paratiſsimum teſtatur: *O filij hominum vſquequo graui corde!*

Pſal. 4.

11. Mercatorum ſaltem diligentiam & indefeſſum conatum imitemur, qui vt vile aliquod lucellum comparent, *æſtu vrgentur & gelu, fugitq; e ſomnus ab oculis* eorum Nullum iter eſt, nulla moleſtia aut periculum, quod non adeant, vbi *doloſi ſpes aſſulſerit nummi, per mare pauperiem fugientes* & per terram?

Gen. 32. Horat. Odis.

12. Cuncta hæc in Iuda videre licet; qui vt triginta lucretur denarios, vigilat ſeſe torquet, actitat, diſcurrit, piratam, furem, latronem, prædonem agit. Ah quàm vile pretium, & quidem ex domino ſuo vendito redactum! Interim dum hæc peraguntur, reliqui Apoſtoli, profundo quodam ſopore ſepulti, ſtertunt, aut ſi expergeſiunt, expergeſiunt vt fugam ineant. *pedibus timor addidit alas.*

II. Ceterùm perfidus, infamis, ac ſceleſtus hic Iudas multos ſui ſequaces & imitatores, quos mundus habet, repeſentat. quos vbi allocutus fuero, non deerunt credo, qui dicēt, *mutato nomine de me fabula narratur.*

1.2.3.4 5 6.7.8. Quare lingua mea nouacula non eſt, vt perfidum hunc & ſceleſtum abradat? cur non malleus, vt conterat; cur non baculus, vt contundat; cur non ignis, vt conſumat; cur non gladius, vt tranſadigat; cur non torrens, vt ſubmergat; cur non ſaxum, vt comminuat; cur non tonitru, vt affiet & ſideret? aſt Verbum Dei an non *gladius* quidam *anceps* eſt? an nō *malleus conterens petras*? an nō id *virga & baculus* eſt? an non *eloquium ignitum*? an non *gladius ex vtraque parte acutus*? an non *vox aquarum multarum*? an non *vox de medio petrarum*? an non *vox tonitrui in rota*? Eia igitur

Hebr. 4. Ierem. 23. Pſal. 22. Pſal. 118. Apoc. 1. Ibid.

igitur *arcum tendamus, & paremus eum, & ponamus* Psal.103.
in eo vasa mortis, &c. *In matutino interficiam omnes* Psal. 76.
peccatores terræ. Psal. 7. Psa. 100.

9.10. Indignus es Iuda, vt meam in te manum extendam; tu siquidem tui ipsius futurus es carnifex. Sed ad asseclas tuos descendo. An non, vos adulatores, Iudæ quidam estis; cum adulationibus vestris magnates proditis? Vnde nõ inscitè vetus ille philosophus asserebat, inter belluas nullam esse adulatore magis noxiam aut periculosiorem; nimirum *à quo inopinata sequitur*, vt quidẽ Seneca scribit, *pernicies*. Hanc ob causam Iura cẽsent grauius esse quem veneno quàm gladio occidere, &, qui veneno enecat, ob crimen, longè grauiorẽ pœnam promereri. Addebat & Philosophus ille, inter animalia domestica & mansueta adulatorem omnium videri perniciosissimum; vtpote qui, simiam imitatus, enecat amplectendo, & aspidum in morem qui semper dentem paratum habent ad mordendum eos qui cum ipsis colludunt, serpentes scilicet sunt, quorum adeò glabra & leuis est pellis, sed lingua virulenta & mordax, quorum videlicet *molli-* Psal. 54.
ti sunt *sermones*, sed *iacula sunt*.

11 12. Qui alios sese mentiuntur, quàm reuera sint, an non etiam Iudæ sunt, vtpote qui specioso & amico amicitiæ prætextu decipiunt proximum: quos Paphlagoniæ perdicibus, qui duplex habere cor dicuntur, persimiles censeo. *Væ duplici corde. Os bilingue de-* Eccl. 2.
testatur Dominus. Monstro simile esse censeas, alios in Prou. 8.
arbore fructus nasci, quàm radix significet aut truncus; multò verò monstrosius si cuius animus à corde discrepet, & aliud in corde clausum lateat, aliud ore depromatur.

13. Mũdus ad hęc totus nouus quidã Iudas est, qui specioso honorũ suorũ fulgore, inanium diuitiarũ apparẽtia, & venenoso voluptatũ melle & illicio nos in laqueos pertrahit, aculeũ melle oblitum nõ aliter cordi infixũ nostro relinquẽs, quã virulẽtę Heracleẽses apes solent. Tu nos, ô perfide Iuda, nihilo vanitatula ac vo-

luptatula vna vendere, & in tartareorum ſatellitum manus tradere allaboras.

14. Hæreticus etiam non minor eſt Iudas, qui ſcripturam ſacram, vt apparet, officioſè exoſculans, perfida quadam interpretatione eam prodit, & in phantaſticarum expoſitionum ſuarum manus nequiter conſignat.

15. Ipſe quoque hypocrita iudaizat, ipſas, vt quidem exteriùs apparet, deroſurus imagines, nullam tamen corde pietatem fouet: vnde eſt ceu pomum vernans, & flaueſcens, ſed intus verminans ac putiſcens.

16.17.18. Luxurioſus verò & carnalis quàm verè Iudas eſt! Iudas enim Dominum Ieſum prodens, magiſtrum eum nominabat, dicens: *Aue Rabbi*; & ille virginem deflorare volens, dominam eam ſuam appel-
Oſee 7. lat. Ergone ô *columbæ ſeductæ, non habentes cor*, triginta denarijs, parui pretij cimelijs, vilibus munuſculis, riſu affectato, volaticis iuramentis, alijſque id genus inanijs, leuitatibus, ac nugis honorem veſtrum prodetis? honorem inquam ſanctum, vita ipſa pretioſiorem, *quo ſolo ſidera aditu*. Ah! quàm vili margari-
Gen. 25. tum hoc pretioſum pretio diuenditis? quàm multa ſtatim poſt commiſſum ſequuntur ſuſpiria, & incaſſum fuſa lamenta! quoties rem infectam pœnitendo nolletis! Nunquam ſua tam vili pretio primogenitura iura Eſau, nec tam nequiter vẽdidit. Hem quantis ſtultæ & inanes illæ ſpeciei naturalis laudes oculos veſtros replent inanijs & offucijs! quibus, niſi ſedulò aduigiletis, fiet, vt honoris ſitis veſtri iacturam facturæ. Iudas dictus eſt *Iſcarioth*, id eſt, laus & filius occiſionis. Videtiſne, vt inanes illæ laudes pudorem veſtrum euertant & ſubruant? quamobrem, ſi modò ſapitis, quandò verſuti illi ſerpentes ineptiarum ſuarum virus auribus veſtris inſibilabunt; eaſdem ad illicia hæc fraudulenta, vnicum veſtrum exitium ſpectantia occludite. Impudica quoque fugite oſcula, è quibus ruinam veſtram totalem colligere & præſagire poteſtis.

19. Vul-

19. Vultisne & alios videre Iudæ fratres? Videte improbos & nequam sacerdotes. Nihil in mūdo, fratres, sacerdote bono fingi potest dignius, nihil excellentius, qui enim eiusmodi est, angelus est carne vestitus, *sol est terræ, lux est mundi, lucerna ardens & lucens, Dei legatus, sacerdos* & sacrificus *Altissimi*. Sed quàm è contrà nefandum & abominabile quid est sacerdos nequam! Inter Angelum ac diabolum nullum datur medium. Atque inde fit, vt Iudas, qui de duodecim Apostolorum erat numero, *diabolus* esse dicatur. Quam, obsecro, abominationem, quæ horrenda scelera non committat is, qui quotidie diuinis abuti audet Sacramentis, & pollutis eum contingere manibus, ad cuius nutum cœli simul & terrę cardines supplices & venerabundi prosternuntur.

Matt. 5.
Ioan. 5.
2. Cor. 5.
Gen. 24.
Ioan. 6.

20. Huc referamus, licet ficus illas bonas & malas, quas Propheta conspexit. Non aliter in sacerdote bono, & improbo se res habet. Primus nulli non bono prælucet exemplo, alter omnibus offendiculo est, & scandalo, vt qui ex sapidissimo & optimo vino acetum efficiat acidissimum. En, vt Iudas ex Apostolo fiat apostata, adinstar præuaricatoris Luciferi, è summo cœlorum fastigio ad profundissimam decidens inferni abyssum, & de gradu Episcopali ad latronis deturbatus infamiam. *Et Episcopatum eius accipiat alter*.

Iere. 24.
Psal. 108.

21. Vultisne & alios Iudæ sectatores? videte nefandos illos Simoniacos, qui non minori Ecclesiam sponsam perfidia diuendunt, quàm scelestus ille mercator, sponsum eius Christum venumdedit.

22. Audire vultis & alios? respicite abominabiles illos Cōfidentes, & Confidentiarios, pestes & flagella Ecclesiæ. Videte vt alter alterum in infernum exosculando deturbet, ac sese inuicem ad præcipitium rapiant. Confidens quippe equus vel asinus clitellatus est, equitem, id est, Confidentiarium, qui, vt plurimum vir nobilis & Eques, (cæteroquin sæcularis) & nonnunquam etiam femina; vel etiam, proh scelus & probrum!

probrum! hereticus, fel, paucis vt dicam, persona laica & profana est, sustinens & portans: *Venerunt gentes in hæreditatem* Dei; quodque longè deterius: *Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt, & firmauerunt sibi sermonem nequam.*

Psal. 78. Psal. 9. Psal. 63.

23. Quid si & alios notem hoc sæculo Iudas? eos scilicet, qui sua malè confessario aperiunt, sacrilegè ac scienter scelera aliqua eum celantes: *Hi posuerunt in cœlum os suum*, & *nequitiam in excelso locuti sunt dicentes: Quomodo scit Deus, aut si est scientia in excelso. Os eorum locutum est malitiam*, & *lingua eorum concinnauit dolos.* Verùm cur Ananię & Sapphiræ sortem ac casum non verentur?

Psal. 72. Psal. 79. Act. 5.

24. Hos immediatè sequuntur illi, qui indignè diuinissimi Eucharistiæ Sacramenti participant: cùm enim confessionis *probatione* & igne fraudulenter abusi sint, probatæ monetæ & genuini inueniri nequeunt, cùm iam ad Lydium & viuum sacratissimæ Eucharistiæ lapidem affricantur. Crastina die plura de hoc proditionis genere loquendum erit.

1. Cor. 11.

III.

1. In tertio hoc membro pluribus & acrioribus inuehi verbis in alios quosdam Iudas constitui, qui, velut harpyiæ immundæ & rapaces, mundum hunc non mediocriter inficiunt, ipsos inquam vsurarios.

2. Id genus nebulonum homines expiscatur & crumenas, hi tenuibus commodati muscis, magnos quosdam fœneris pisces attrahunt, quin imò *vncta absorbent patrimonia*, & integram tenuiorum deuorant hæreditatem.

3. Quos proinde sanguisugas, & cucurbitulas malè ominatas dixero, omnem inopum sanguinem ac substantiam ad sese exsugentes.

4. Quibus non artibus miseros hosce seruos in suos pellicere laqueos, quibus non machinis simplices illos & innocentes debitores in suos pertrahere satagunt casses? Videtisne, vt in turbida alienorum incommo-

commodorum aqua ipsorum dependeat hamus? quo, non vilem aliquem pisciculum, aut rem paruam, sed integrã attrahant prædia, vasta agrorum iugera, domos, horreaque refertissima. Mutuo & commodato quidem tibi nummos dabunt, sed intolerabili cum fœnore redhibendos, teque quà possunt circumueni- *Isaia* 59. re allaborabunt.

5. Telas texunt aranearum, quibus campestrium apicularum, id est, miserorum agricolarum, opera ac rem familiarem si non intercipiant, saltem implicent. Pedicas illis ponunt, vt eisdem induantur & *Psal.* 139. constringantur (*iuxta iter scandalum ponunt*;) la- *Psal.* 56. queos quoque tendunt, quò eos ære alieno, quo explicare se nequeant, implicent, (*parant laqueos pedibus eorum*) & nummorum suorum, in speciosarum amplarumque sponsionum ac promissionum speculo fulgentium splendore illos, ceu incautas auiculas decipiunt. Hæ porrò tenaci ac viscoso glutine sunt superductę, cui dum miseri commodatarij adhęrescunt, tandem in exitium ruunt.

6. Fictis fucatisque inopem verbis adinstar Iudæ, *Psal.* 9. exosculantur, quem deinde quasi prompta pecunia diuendunt. Atque hinc fit, vt, *dum superbit impius, incendatur pauper.* *Ibid.*

7. Ne verò *in consilijs* suis, *quibus cogitant*, à quoquam fortè *comprehendantur*, furuas noctis sectantur tenebras, (& sanè à furuo descendit vox *fur*) lati- *Ioan.* 3. bula conquirunt, (nam *omnis, qui malè agit, odit lucem*) chirographa & syngraphas pro libitu cudunt, quas etiam pro beneplacito, & prout magis sibi lucrosum fore persuadent, immutant & innouant Non tot spiris coluber lacessitus conuoluitur, quot calli- *Isaia* 10. di hi fœneratores artes decipiendi vsurpant. *Parant* *Rom.* 13. *sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro.* Sunt quippè *opera tenebrarum.*

8.9.10. Hesterna die terribilē de fœnatore quodam

historiam legi, quā vobis enarrare constitui. Hic cùm ad vitæ extrema redactus esset, confessarij ad iniquè partorum restitutionem exhortantis consilijs parere renueret, ecce adstantes cacodæmones tali hominem furore repentè adimplent, vt sua ipse dentibus brachia discerperet, linguamque quàm poterat longissimè exsertam præmorderet; itaque de salute desperans sua propemodum vt Iudas alter, infelicem animam remisit. Infortunatum huius vsurarij exitum dum recogito, polypodi pisci fœnerator hic comparari posse videtur sua deuoranti brachia, cùm fame vrgente aliud quod concedat non suppetit. Tandem verò multa quoad hoc meditanti occurit, suo pœnam hanc aliquatenns delicto respondisse, vt per quæ miser peccârat, per illa & plecteretur. Lingua enim (vt nostis) fœnerator abutitur, ad fraudes & dolos concinnandos, atque idcircò Psaltes *vsuram & dolum* ceu par conuenientissimum combinat, hac eum ipse illaqueat, illicit, circumuenit, vti callidus ementito sibilo auceps incautam decipere nititur auiculam: multa siquidem spondet, sincerè promittit, sanctè iurat. Atque hanc ob causam aiebat Psalmographus: *Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Brachia porrò certum est chirographa consignare, & nummos enumerare. Adeò vt fœnerator ille, suam præ rabie detruncans linguam, brachiaque dilanians, iusto Dei vindicis iudicio in illa sæuierit, suijpsius tortor factus, membra, per quæ deliquerat.

Discip. in exemp.

Psal. 14.

11. Vtpote qui, dum viueret, sepiæ pisci marino fuerat similis. Hic enim sub arena delitescens, paruas quasdam capitis, quas habet excrescētias, ceu cornua in littore exserit; quas dum alij pisciculi arrodere conantur, ipse derepentè prodiens eos inuadit & deuorat. Sic suam vsurarius occultat nequitiam, quò inopem illaqueet ac absorbeat. Itaque *gloriatur in malitia qui potens est in iniquitate; tota die iniustitiam*

Psal 51.

cogitauit

cogitauit lingua eius, & cor eius *rapinas concupiuit.* *Psal. 61.*

Iam ſatis ſuperque, fratres, ſatis inquam, de perfidis hiſce Iudæ ſequacibus locutus ſum, antequam tamen huic finem homiliæ imponam, piam aliquam, ſpiritualem penitus & ſanctam, Redemptoris & vẽdendi & coemendi rationem me proponere neceſſe eſt. Quid dicetis ſi ipſa Iudæ prodituri ad Iudæos verba in bonum interpreter ſenſum, voſque omnes interrogem: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* IV.

1. Huc adſitis ergò. Quis veſtrûm ſibi beneuolentiam & bonam benigniſsimi Ieſu gratiã emere vult? equidem eam vobis ſincerè & quidem vili pretio vendam. Ioſeph à fratribus diuenditus fuit; ſed illius venditio in ipſorum commodum ceſsit. Non dico hic, fratres, quantum nobis è Iudæ venditione ſecutum ſit bonum, ipſa inquam noſtrûm omnium redemptio; hoc dicere volo, Chriſtum Dominum in rem noſtram ſe & vendere & emi ſinere. *Gen. 39.*

2. Non hîc à vobis exigo, vt Goliath gigantem proſternatis; non centum Philiſthæorum præputia, quæ à Dauide exigebat Saul, antequam filiam Michol illi in vxorem traderet, depoſco: Dei quippe gratia meliori viliorique pretio comparatur. *1 Reg. 28.*

3. Eamne vultis? eia triginta depromite denarios ſed quales? en illos paucis ſupputatos: inprimis decem Dei præceptorum obſeruatio: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: nec non quinque præceptorum Eccleſiæ; quinque ſenſuum naturalium cuſtodia, ſeptem virtutes ſeptem vitijs capitalibus oppoſitæ, tres demum virtutes theologicæ, horum rationem ſimul abducite, & triginta denarios reperietis, quos ſi impendere volueritis, gratiam Ieſu Chriſti haud dubiè vos habituros ſpondeo. Sed heus quoſdam eminus *loquentes labijs, & caput mouentes*, conſpicio, ac dicentes hoc pacto ſummam me ab omnibus perfectionem exigere, neq; enim omnibus tantas ſpirituales opes eſſe. *Matt. 19.*

 4. 5. 6. 7. 8.

4.5.6.7.8. Sed audiant. Paratus sum præstitutum pretium minuere: & è triginta, quos petij, denarijs viginti & octo defalcatis, nonnisi duos in vniuersũ
Matt.22. exigo (an non vile id gratiæ pretium?) amorem scilicet Dei & proximi, *in quo omnis lex pendet & Prophe-*
Marc. 11. *tæ.* Hæc sunt illa *æra minuta duo*, quæ paupercula vi-
Luc.2. dua in Gazophylacion coniecit, nec non duæ illæ columbæ, quas in filij redemptionem Deipara, dum eum
Leuit.12. Domino sisteret, obtulit: sunt quoque duo hirci ex-
Leuit.14. piationis peccatorum, nec non duo passeres in leprosorum mundatione offerri soliti. Multi dicent etiam hos duos denarios nimios esse.

9.10. Quid ô inopes! anne minori venundari gratia pretio queat? sed adeste, etiam *ex vno, denario conue-*
Matt.20. *niam vobiscum.* vno scilicet Dei gratiam vobis denario vendam, sed probatæ monetæ is sit oportet. scitis iam tum accedo quid velim: *fili præbe mihi cor tuum.*
Matt.22. sed nummum videamus: *ostendite mihi numisma census*, aut si malitis *sensus.* cor siquidem omnis sensus est principium. Inspiciamus, *cuius sit superscriptio & imago*, si enim mundi, si carnis, si diaboli sit imago, tale munisma reijcio; id quippe nummi genus apud inferos, non in cœlo notum est & probatum. Vtinam corda inueniam, quale sancti Ignatij Antiocheni fuit, quibus diuinum IESV nomen reperiatur insculptum! sed cùm hæc prisci æui munismata sint, rarissimè talia hocce nostro sæculo reperiuntur.

11. Ostendam tamen vobis, *brachium Domini abbre-*
Isaia 59. *uiatum non esse*, quò minùs tales in cordibus hominum faciat mãsiones. Missus ad me hesterna die libellus quidam pius à persona spirituali, vt quid de eo sentirem, liberè indicarem. Liber autem singularis est, & qui ab omnibus legatur dignus, auctorem habet quendam ex Ordine Cappucinorum; continet autem breuem Deiparæ matri seruiendi methodum. Vt primum librum aperui, incidi casu in exemplum, quo

non

non parum intrinsecus sum commotus, est autem huiusmodi. Virgo Itala, illustri orta genere, & beatissimæ Virgini addicta cū primis virginitatis perpetuæ concepto voto, in paternis agens ædibus, ardentissimo pueri Iesu ea forma, qua in ætate infantili erat, in suauissimæ matris suæ brachijs considentis videndi inflammari cœpit desiderio. Pridie ergò feriarum natalium, cùm iam multis hanc sibi gratiam exhiberi petijsset annis, hæc magno quodam feruore verba repetens, *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis ostende, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria*, suorum tandem fuit votorum compos reddita. Beata namque mater plurimis stipata Angelis, illi se videndam dedit, pusionem hunc Iesum vlnis gestans; quem illius mox brachijs, vt eum dissuauiaretur, inseruit. Hæc, puelli pulchritudine, fulgore, & gloria extra sese rapta, verbum præ gaudio eloqui non poterat, puellum hunc tantum tacitè admirans, *adorans & laudans in silentio*. Petenti ergò puero, num ab ipsa diligeretur, *etiam Domine, plus te*, inquit, *quàm me ipsa diligo*. Rursus rogata, num se amaret, *Etiam Domine*, ait, *& quidem plusquam cor meum*, quo dicto cū tota amoris diuini incendio liquesceret, pectus diffunditur; cor in duas medium partes dissecatur, beatamque animam *in osculo Domini* exhalans, cœlestibus illis comitata turmis, ad cœlica volat gaudia. Illius demortuæ cordis dissecti parti vtrique vltima illa verba insculpta apparuerunt, *Mi Iesu amo te plusquam me: Mi Iesu amo te plusquam cor meum.* O finem optabilem! ô mortem penitus admirabilem!

Psal. 64.

Deut. 34.

11. Si id genus denarios haberetis, fratres; quàm meam citò mercem haberetis! viuat amans illud cor in tempus & in æternum

12. Quid porrò faciemus? si ne hunc quidem denarium habeatis, num cum merce mea non vendita, ad propria reuertar? vidimus, eheu! nimis quàm

multos,

multos, qui Iesum nequiter diuendunt, neminem ve-
Num. 21. *Psal.* 105. rò inueniemus, qui sanctè eum velit emere? Anne Is-
Iob. 19. raëlitas imitati nauseabitis super manna sapidissi-
mo, & *pro nihilo habebitis terram desiderabilem lacte & melle manantem*, vbi *petra fundit riuos olei*?

13. Benignissimus hic Iesus adeò à vobis eum optat, vt vobis, vti olim Diogenes, venalis expositus, inclamet: Quis suum sibi emere magistrum cupit?

14. In omnes sese adinstar Prothei induit formas,
Zach. 9. quò à vobis ematur. Vultisne frumentum? en, vt *fru-*
Psal. 147. *mentum electum* sit, imò & *adipes frumenti*. Vinumne
Zach. 9. vultis? videte *vinum germinans virgines*. Anne car-
Ioan. 6. nem? *Caro eius verè est cibus*. Anne hydromeli? *& san-*
Ibid. *guis eius verè est potus*. Anne terram? *Benedixisti Do-*
Psal. 84. *mine terram tuam*, ipse etiam terra Chanaan & pro-
Ioan. 2. missionis est. Anne ædificium? de suo ipse corpore pa-
Apoc. 1. làm ait: *Soluite templum hoc*. Anne vestimentum? *Ipse*
Isaiæ 53. *vestitus pondere* est, & *Agnus*, qui *coram tõdente se obmutuit*. Anne flores habere auetis? Ipse se ait *florem*
Cant. 2. *campi*. An fructus? Ipse *benedictus fructus ventris* vir-
Luc. 1. ginei. Eumne vultis comedere? *Qui manducat eum,*
Ioan. 6. *viuet propter* eum. Vultisne oleum? *Oleum effusum no-*
Cant. 1. *men tuum*. Anne bonum omne? *Ostendam tibi omne*
Exod. 33. *bonum*. Vnde illa insignis S. Francisci oratio: *Deus meus, & omnia*. Anne honores cupitis & diuitias? *Glo-*
Psal. 111. *ria & diuitiæ in domo eius*. Anne voluptates? *Torrente*
Psal. 35. *voluptatis potabit* vos. Anne mel? *De petra melle satu-*
Psal. 80. *rabit* vos. Denique *Deus est cordis nostri, & pars nostra Deus in æternum*.

Psal. 72. 15. Video quid sit: eum gratis habere vultis. benè habet: etiam gratis eum vobis dabo, & pro nihilo, non quidem abominabili illo nihilo peccati, quod
Ioan. 1. quotidie committitis, (nam *sine ipso factum est nihil, quod factum est*.) sed ipse mihi persuaserim, tam eos etiam rebus spiritualibus egentes fore, vt ne illud quidem Nihilum, quod à vobis exacturus sum, egregium scilicet & eximium illud nihilum humilitatis, habituri sitis. Equidẽ, si hoc mihi Nihilum dederitis, Iesum

Iesum vobis tradam. Dixit enim iam olim, *super quē requiescam, nisi super humilem*?& scriptum est: *Humilibus dat gratiam.* hac humilitate impellente *semetipsum exinaniuit.* hęc nos humilitas in nihili abyssum demergit. *Substantia mea tamquam nihilum ante te. Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* O beatissimum Nihilum, quo adiuuāte Omnis possessionem adimus! Deipara Mater cùm sese humiliando *ancillam* diceret *Domini*, ecce, vt ipsa abyssus Omnis quamprimum ad hanc abyssum Nihili feratur, *abyssum abysso inuocante.*

Isaiæ 66. *Iac 4.* *Philip. 2.* *Psal. 38.* *Psal. 72.* *Luc. 1.* *Psal. 41.*

16. Sed ô Iesu bone, etiam ne adhuc viliori pretio, & minoris quàm nihilo, te vendam oportet? quid? minoris eum etiam facitis quàm nihilum est, & eum vt *peripsema, lapidem reprobatum, abiectionem* & *opprobrium* contemptissimum habetis, quasi si corpus eius pretiosissimum insecuti valoris merx non foret, non *thesaurus absconditus*, in Margarita Euangelica, non *manna absconditum.* O tanto vos bono indignos! *ecce conuertimur ad gentes.* Indiam petimus & Iaponem, quo loco à neophytis illis maiori merx nostra ardore quæritur & comparatur *facientibus prodigia super terram*

1. Cor. 4. *Psal. 117.* *Psal. 21.* *Matt. 13.* *Apoc. 2.* *Psal. 45.*

17. Eia dum venite, dilectissimi, venite ad confessionem, ibi gratia diuendetur; diuinam communionē adite, & sacrum eius corpus in ea vobis gratis communicabitur. *Gratis venundati estis, gratis redimemini.* Gratis quippe te, peccator, & pro nihilo, pro sordido inquā quęstu, pro honore, pro momētanea voluptatula, pro breui choleræ efferuescentia diaboli addixisti, ac vendidisti. nam hæc omnia nonnisi vmbra sunt, & *præteriens figura mundi huius*; ita etiam pro nihilo & gratis redemptus es.

Isaiæ 52. *1. Cor. 7.*

18. *Venite & emite absque argento lac & mel* gratis *haurite de fontibus Saluatoris.* solum cor vestrum qualecunque id fuerit adferte quod si sordidum fuerit, hic expurgabitur; si deforme, conuenustabitur; si vnguinosum, defricabitur, si obtusum, sublimabitur & acuetur

Isaiæ 52. & 55.

acuetur; si graue, alleuiabitur; si exiguum, adaugebitur; si malum, malitiam exuet: *Tantum id valet, quantum es tu; date, & habebis illud.*

18. Eia adeste fratres, vobiscum stipulabor. Centesimam tantum propter DEVM, propter cœlum, propter æternitatem, propter illam gloriam, quæ, teste AVGVSTINO, *comparari potest, at verbis non exprimi*, facite partem eorum, quæ propter mundum, propter terram, propter temporanea facitis; & *ego Iesum vobis tradam.* Modicum tantum ieiunate, sanctis hisce diebus vel parum vos ipsos mortificate, sancta sacramenta vsurpate, & statim *Iesum vobis tradam.* Ipsi *honor, laus, virtus & gloria in sæcula. Amen.*

Hæc ex homilia discite, 1. tanta in bonum contentione incumbere, quanta flagitiosi in malum, 2. adulatores, dissimulatores, mundum, hæreticos, hypocritas, venereos, improbos sacerdotes, simoniacos, Confidentiarios, sacramenta indignè vsurpantes, IVDAE proditoris sectatores & imitatores esse, 3. nec non vsurarios, 4. memineritis, me, cùm DOMINVM nec triginta denarijs, nec duobus, nec vno, imò ne nihilo quidem emere à me volueritis, eum tandem aliquo quod minus quàm nihilum sit, venum exponere coactum fuisse. Cur mihi non licuit eum vobis vel commodato dare, & quidem sub conditione eius numquam deinde reddendi! Quàm *sponsus* hic *sanguinis sufficeret vobis & nobis!* equidem saltem *anathema esse pro fratribus meis cuperem.*

Exod. 4. Matt. 25. Rom. 9.

FERIA III. POST DOMINIC. II. *Quadragesimæ*.

Traditio per osculum.

HOMILIA XII.

IESVS *processit, & dixit, quem quæritis? Responderunt illi: Iesum Nazarenum.* Quatuor in traditione hac notabimus circumstantias, 1. Iudæ eiusque sequacium, retrorsum prolapsum, 2. infidū eius osculum, 3. Redemptoris Iesu cum ipso colloquium, 4 huius in sese tradendo de Apostolis solicitudinem. Videamus iam singula propius. *Ioan. 18.*

I.

1. Historicam narrationem, fratres, prolixitatis vitandæ causâ, hîc prætermitto. Cuius ea summa & epitome est, Redemptorem Iesum generosa quadam & interrita constantia traditori ac lictoribus obuium prodiisse, illorumque interrogationem præuertendo dixisse: *Quem quæritis?* mox illos respondisse, *Iesum Nazarenum*, & illo replicante, *Ego sum*, ipsos retrorsum prolapsos esse. Viden vt Dagon ad arcæ præsentiam in pedes nequeat consistere, & vt *dracones hi contribulentur in voce aquarum multarum*? *1. Reg. 5. Psal. 93. Apoc. 1.*

2. Hic nomen *Iehoua* (id est *qui est*) per ipsummet IESVM effabile redditum est; vtpote qui dicat, *Ego sum* ad nomen suum * humanitatis suæ humilitatæ; adiungens iota. ** Gallicè acutius; ad nomen Iesus additur iota, dū dicitur Ie suis, idest ego sum.*

3. Porrò vti nomen illud sacrum & tetragrammatum in silentio à summo sacerdote, in terram prostrato, in sancto sanctorum proferebatur; ita

æquum

æquum erat, vt ad ei ſdem prolationem ſceleſti hi miniſtri in terram prociderent. Quid? annon ſcri-
Phil. 2. ptum eſt, *in nomine Ieſu omne genu flectendum*, cùm *cæleſtium & terreſtrium*, tum *infernorum*? cur igitur
Ioan. 10. Iudas, qui dictus eſt *diabolus*, & omnis eius cohors diabolica, ipſo audito non proſternantur?

4. Videte hîc, vt nouus Adam cœleſtis, quò terre-
Gen. 3. ſtris Adæ præuaricationem repararet, ſe iam non abſcondit, quia *peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt*
1. Pet. 2. *in ore eius*; verùm vocari nolens, *Adam vbi es*? interrogantes præoccupat, & percontatur: *Quem quæritis*?

5. Si ô peccator, vox hæc Agni, Agni inquam, qui vltro ad lanienam properat, in victimam ſeſe offert,
Iſaiæ 53. & *coram tondente* vno excoriante ſe, iam iam obmuteſcet; vox inquam, *Ego ſum*; ſi blandus hic balatus ferocientes haſce tigres in terram deijcit; quid futurum quando in terribili iudicij ſui die, vindictam de peccatis tuis exerciturus, inclamabit & dicet: *Ego*
Gen 45. *ſum frater veſter, quem vendidiſtis*? Igitur iam nunc
Luc. 23. *montes cadite ſuper nos, præuenite nos in die afflictionis*.
Pſal. 17. Sed quo lynceos illos oculos modo effugiemus, illos
Pſal. 138. inquam qui intimas penetrant abyſſos? *Quò ibo à ſpi-*
Zach. 12. *ritu tuo*? Tunc ſcilicet Iudæi, tunc ſceleſti *videbunt*
Ioan. 9. *in quem confixerunt*.

6. Quid? S. Hieronymus, vitæ auſteritate aſsiduáque pœnitentia exhauſtus, nunquam non ſupremam
1. Theſ. 4. illam tubam *& vocem Archangeli* ad iudicium euocantis, auribus ſuis inſonantem audire ſe credebat; hinc ſemper pauidus tremiſcebat. Vnde etiam S. Pe-
1. Pet. 4. trus ait: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius vbi apparebit*?
Luc. 23. ſi *lignum viride* ad inſtar ſtraminis ardet, *de arido quid fiet*? Et canit Eccleſia:

Quid ſum miſer tum dicturus? &c.
Proſa Eccleſiæ in Miſſ. pro defunct. *Iuſte iudex vltionis*, &c.
Recordare Ieſu pie,
Quod ſum cauſa tuæ iræ,
Ne me perdas illa die.

Hem!

Hem! quàm horrendum erit, fratres, Iudicis huius ira & furore inflammati, & gladium ore exerentis *Apoc. 19.* vultum cernere? O vultum Solis instar fulgentem, noctuis quidem, dæmonibus, ac damnatis grauem & formidabilem, at electis blandum & arridentem, vtpote qui *rapientur obuiam Christo in aera misericordias Domini in æternum cantantes!* quin & damnati ipsi *1. Thes. 4.* media in desperatione ac furore suo canent: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*, vtpote pro- *Psal 88.* *Thren. 3.* bè cognoscentes, meruisse vt prorsus annihilarentur. Quàm tunc horrendum erit audire vocem illam *tonitrui in rota*, aut potius illud fulmen furoris: *Ite maledicti in ignem æternum!* *Psal 76.* *Mat. 25.*

Rex tremendæ maiestatis,
Qui saluandos saluas gratis,
Salua me fons pietatis.

7. Hem! quomodo hisce commouemur, vt *descendamus in infernum viuentes*, per meditationem scilicet; & *præoccupemus faciem* Iudicis huius *in confessione. Hodie itaque si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, & huius commonitionis terrorem in vestrum commodum conuertite; vt si *in funiculis* charitatis ad pœnitentiam duci nolitis, ad eandem in catenis Adæ saltem vos tradi sinatis. *Psal. 113.* *Psal. 94.* *Osee 11.*

8. *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Quidam sæculi nostri scriptor huius occasione lapsus acutè satis obseruat, bonos dum è fragilitate peccant, in faciem cadere, & statim haud difficulter resurgere, quòd videant nimirum quonam prolapsi sint; sed reprobos *datos in reprobum sensum*, retrorsum procidere, atque ideò calamitatem, in quam lapsi sunt, non intueri, ideoque ægrè admodum resurgere. Hoc scilicet modo HELI Pontifex auersus collapsus est, & fractis ceruicibus exspirauit. Sic quoque damnati retrorsum in æternum præcipitabunt; sic etiam Apostatæ ANGELI è summo cœlo- *Coster. in Passione.* *Rom. 1.* *1. Reg. 4.*

rum ad profundissimam tartari abyssum retrorsum prolapsi sint.

Exod. 15. Psal. 26. 9. Hic itaque, anima mea, *cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem deiecit.* Per Prophetam Dominus aiebat: *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Ipsi* Psal. 90. *alligati sunt, & reciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.* Dicamus ipsi sponso nostro: *Cadent à latere tuo mille*, &c.

Psal. 113. 10. Videte, vt etiam Iudas cum vniuersa cohorte sua in terram deijciatur, & *Iordanis ille conuersus sit retrorsum.* E quàm sublimi, perfide Iuda, gradu de- Psal. 101. turbaris! & *eleuatus allisus est.* Surrectio tua lapsum fecisse videtur grauiorem. Qui eras Apostolus, factus es apostata, & illum iam magistrum deseris coram quo te vnà cum alijs spoponderas Apostolis Psal. 11. & 119. in mortem abiturum: sed *lingua dolosa* & mendaci.

Ouid. Heroid.

Xanthe retro propera, versæq; recurrite lymphæ,
Sustinet Iesum deseruisse Iudas.

Quid porrò aliud, ô peccatrix anima, cùm aduersus creatorem creaturæ adhæsura, insurgis, agis quàm flumen ad suum retro fontem reducere, quamobrem Psal. 39. ocius, ô misella, *è lacu miseriæ, & de luto fæcis* resurge.

II. 1. Adeò verò Iudas hac in terram prostratione non perterretur aut mutescit, vt quasi nouus Antæus ad peccandum resurgat potentior & animatior. Igitur nihil moratus, Redemptorem Iesum hostibus prodere aggreditur. Huc adeste, quotquot morbo graui ad solũ afflicti, tot tamque bona emendatius viuendi Psal. 17. Hebr. 10. proposita concipitis, *doloribus* scilicet & *terroribus mortis* circumsessi, metuque exanimati, ne *in manus Dei viuentis incidatis*; sed qui deinde statim ac valetudinem recuperastis, omnes hasce cogitationes obliti veluti canes ad vomitum reuertimini. An non vos Iudæ sectatores estis?

2. Progreditur igitur (ô hominem perfrictæ frontis!) ad Iesum exosculandum & ait, *Aue Rabbi.* O pignus amoris, proditionis iam & perfidiæ illius signũ factum! Hîc itaque verè locum habet hæc Psalmistæ prophetia: *Homo pacis meæ*, (id est, homo osculi, quod signum est pacis) *in quo speraui, qui edebas panes meos* (erat enim œconomus; & haud ita multò antè Venerabilis corporis Domini factus fuerat particeps) *magnificasti super me supplantationem.* Prô IACOBE, *primogeniti omnis creaturæ supplantator!* *Psal.* 40. *Gen.* 27. *Coloss.* 1.

3. Semper osculum pacis habitum fuit symbolum: hinc concordiam Alciatus duabus columbis inuicem osculantibus in Emblematis significauit. Videte itaque hîc, vt *iustitia & pax* sese mutuo *osculentur*, rigida inquam æterni Patris iustitia pacificum Regem Iesum amplexetur & osculetur. *In Embl.* *Psal.* 84.

4. Initio nascentis Ecclesiæ primogenij Christiani alter alterum in eodem sexu, dum sacra celebrarentur mysteria, exosculabantur, idque in charitatis, dilectionis & vnionis signum; atque id est, quod toties ab Apostolo *osculum sanctum* appellatur. Huic osculo laudabilis illa successit ceremonia, qua tabella pacis in Missis, interim dum canitur, *Agnus Dei*, osculanda porrigitur. *Rom.* 16. 1. *Cor.* 16. 2 *Cor* 13. 1. *Thes.* 5.

5. Sed videte vt proditor hic, omnem rationis ordinem inuertens, osculum vt suæ perfidiæ signum adhibeat in apertum commutans bellum, id quod euidentissimum pacis est argumentum. O pestilens & virulenta aranea, quæ rosam in venenum conuertis.

6. Dicitur hyæna, animal cruentum & immane, aberrantis ouiculæ halatum imitari, vt eo excitum pastorem & foras progressum deuoret. Audite vt reiectitius ille Esau Iacobi vocem iam imitetur, & dicat, *Aue Rabbi*, an non simplicem eũ innocuamq; ouiculam crederetis? cruenta tamen tigris *Gen.* 27.

Ioan. 10. eſt, vnicum innocentiſsimi Ieſu, qui *bonus eſt paſtor*, ſanguinem ſitiens.

7. Patiamini me, obſecro fratres hîc in perfidos illos inuehi oſculatores, pudoris virginei prædones, ſuam ab impudicis oſculis proditionem incipientes. Quàm vos ô oſcula proditoria, ſalutationes Gallicæ gentem noſtram apud exteros infamem & probroſam redditis!

8. Quærunt Iuriſconſulti, *an oſculo pudicitia delibetur*, & affirmantem tuentur plerique. Quàm ô caſtitas tenera, fragilis, delicata virtus es! corpora humana vitrum ſunt, hinc ad minimam inuicem colliſionem ea videas perdi ac frangi.

9. Tu quoq;, caſtitas, lucidum ac fulgidum quoddam ſpeculum es, in quo ſe caſtus animarum ſponſus contemplatur; ſed minimus oris anhelitus te offuſcat & conſpurcat.

10. Quàm ô candens & vernans lilium, paruâ reculâ intemeratus candor tuus inquinatur & deperit! an non vſu ipſo noſtis, cariſsimi, florem, tam inſignem dum cauli ſuo inſiſtit, flacceſcere dum contrectatur.

11. Ipſa etiam poma & alios fructus, etſi integerrimos, ſcitis, vernantiam amittere naturalem, ſi vel minimum contingantur.

12. Corui putiſcentibus cadaueribus paſsim roſtra infigunt, ac nullum caſtæ columbæ ad oſculum ſuum admittunt, quàm illum qui *ſpecioſa oliua camporum* appellatur. *Eccl. 24.*

Cant. 4. 13. Annon ſancta illa in Canticis ſponſa *labia* habet *vittâ* reuincta, vt oſtendat non alia ſe, quàm caſta ſponſi ſui oſcula admittere?

14. Omne oſculum, præter id quod in matrimonio vſurpatur impudicum eſt & peccatum includit; excipienda tamen ea quoque ſunt, quæ nimia noſtratium in ſalutationibus licentia, licita quodãmodo & tolerabilia reddidit: in quibus lex quodãmodo peccato ſuffragata videtur, & id quod publicum & com-

mune est, vt licitum admisisse. Sed quid? ita se hîc res habet, vt olim in diuortio, à Moyse Iudæis nonnisi *ob duritiam cordis* ipsorum concesso; *sed ab initio non fuit sic*. Hodie in tantum per dationem nostram quoad hoc, abusus inualuit, vt mera & vera sit *abominatio desolationis*. Quàm, ô lasciuæ, inhonestæ & infernales salutationes animas simul & corpora per os nequiter intoxicatis! *Matt. 19.* *Matt. 24.*

15. Benè quidem, dicet nonnemo: sed nullum, dum osculor malum intendo aut specto. Concedo, at diabolus aut quis tertius loco tuo malum cogitat. Quàm multos reperire est, qui deliberata determinataque voluntate, (atque idcirco mortifera) malum cogitant, tamen ipsum non admittunt? sic etiam vice versa, quàm multi committunt malum, ipsum non aduertentes, qui idcircò non minus peccant, cùm ipsorum ignorantia crassa sit. O DEVM immortalem! *delicta quis intelligit? ab occultis munda me.* *Psal. 18.*

16. Si lympidam in vitro aquam serpens degustarit, ipsa quamprimùm aliam speciem induit & corrumpitur. Quàm multæ *simplices columbæ* à subdolis vafrisque corruptæ sunt *serpentibus*, quàm illarum integritas facili negotio distincta & vitiata. *Matt. 10.*

17. Qui in nequam Sodomis tam continens erat Loth, in desertum veniens, inscius incestum, quod à filiabus se suis constringi lasciuè fouerique sineret, commisit. *Gen. 19.*

18. Omne tactus genus remis velisque fugite, castæ animæ, nec à quoquam vos etiam per iocum aut ludentis speciem, tangi permittite; &, si inuitas insciasque vos quis tetigerit, indignari vos vultu verbisque ostendite. Quis adeò futurus impudens, vt ad vos accedere præsumat, viso vos tanta pro honore vestro ac pudicitia generositate decertare; & minaci & irato ostendere vultu, quantopere perfida Iudarum horum oscula execremini.

1. Sed iam singillatum ipsa Redemptoris ad Prodi- III.

 torem

torem hunc verba, quò eum ad sceleris agnitionem detestationemque pelliceret, expendamus. *Amice.* ô suauitatem & adorabilem & admirabilem! illumne vocitare amicum, qui iuratissimi opus agit inimici! Consolare, peccator, consolare, etiamsi peccatis sis inquinatissimus, vitæque desperatissimæ; siquidem benignus & mitis hic amator semper amorem erga te gerit, tuamque salutem semper quàm ardentissimè concupiscit.

2. Hem suauia iacula, suauia illicia, blandos radios! sed quomodo fieri dicam, vt saxeum hocce cor non perfringatis, quomodo frigus hoc non liquefaciatis?

Ioan. 15. Rom. 8. 3. *Amice. Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* non habemus amplius *spiritum seruitutis in timore.*

Psal. 40. 4. *Amice si inimicus meus maledixisset mihi, &c.* quæ prophetia ad litteram de Iuda traditore intelligenda est. Apis, ob mel suum, omnium est muscarum dulcissima; sed ob aculeum, nulla etiam eâ amarulentior. Nulla sunt vulnera & iniuriæ grauiores, quàm quæ ab amicis aut consanguineis irrogantur, & ipsorum offensæ eò acerbiùs offendunt, quò longè alia ab ijs expectanda sunt.

Nullæ sunt inimicitiæ nisi amoris acerbæ.

Quàm graue maritali cordi vulnus est, vxoris prostitutus pudor & adulterium! adeò quidem vt (prout iam hominum sunt iudicia) nulla ipsum arte persanari posse videatur.

5. *Ad quid venisti?* Rei ipsius ex ore criminis elicere vult confessionem, vti olim ex Adamo Deus, vt

Gen. 3. si crimen modò agnosceret, ipsum confitenti ignosceret.

6. *Ad quid venisti?* in hunc secessus & orationis meæ locum, in locum precibus meis consecratum? Videte

Psal. 77. vt scelestus hic, qui *factus est in arcum prauum*, & *in*

Rom. 1. *sensum reprobum*, nulla vel temporis vel loci, quo minus perfida sua molimina exequatur reuerentia tanga-

tangatur. *Cùm in profundum venerit impius, contemnit.* *Prou. 18.*

7. An non sanctus Carolus suo in oratorio sclopeto à perduelle quodam fuit impetitus, qui licet vestes eius penetrasset, prodigiosè tamen ne externam quidem eius cutem læsit. *1. Reg. 2.* *Mat. 24.*

8. Nonne ipso in templo S. Thomas Cantuariensis à Regis Angliæ fuit præcursoribus interfectus?

——*Pastorem obtruncat ad aras*
Impius.

9. An non item in templo sua filij Heli sacrilegia & abominationes commisêre, perpetrantes *abominationem desolationis in loco sancto?*

10. Quàm multos etiamnum hodie IVDAE sectatores reperire est, qui suis oculorum nutibus & ictibus, huc illucque euagantibus, deprædantibus & inflammantibus templum, quod *domus orationis est, speluncam faciunt latronum*: quos oculos proinde basiliscorum oculis nequiores censeo, venenum in visu habentium. An ergo ô pestes, cùm diuini huius verbi, quod *in ore meo* Deus *ponit*, flagellum & virgas intentare exibitis? quousque peccata vestra *cornibus aræ* insculpetis? *Marc. 5.* *Luc. 19.* *Ierem. 17.*

11. *Osculo filium hominis tradis?* Obstetrix hæc peruerso huic qua potest, ad *spiritum salutis* enitendum, & ad graue illud partus viperei, proditionis inquam suæ onus eijciendum *obstetricatur, nam parit iniquitatem, & concipit dolorem.* *Iob. 26.* *Isaia 76.* *Psal. 7.*

12. Non morieris, ô infortunate Moses, *in bono osculo Domini*; sed *pœnas dabis in interitu* æternas *longè à facie Dei.* *Deut. 34.* *2. Thes. 1.*

13. *Osculo.* Non tantum statim post, lictorum & militum sputa clementissimo Iesu horrorem & nauseam afferent, quantum proditorium hoc discipuli sui osculum.

14. *Osculo.* Non desinis ô benignissime Iesu, nos perfidos, quotquot sumus, occultis quibusdã inspirationi-

bus in corde osculari, vt ad bonum nos non dico pertrahas, sed etiam violenter rapias.

Cant. 1. 15. *Osculo.* Cur ô scelesté Iuda osculum cor tuum non immutat, in tale cor quale habuit illa quæ dixit: *Osculetur me osculo oris sui?*

16. *Osculo.* Venit hîc mihi in mentem S. Ioannes Euangelista: qui audito, quendam è discipulis suis in siluis cum latronibus latrocinari, ipsum adijt amiceque eum amplexando, saluti asseruit, vt & vniuersam illam, qua cum agebat, latronum cohortem. Hac autem in parte, Domino suo Iesu felicior exstitit, vtpote qui lenitate sua & dulcedine cordium raptrice, Iudam vnum inflectere non potuit nec emollire. Nam postquam indignè corpus Domini in cœna sumpsit, ipsum satanas inuasit.

Ioan. 13. 17. Cauete quàm potestis diligentissimè, auditores, ne sacramento pœnitentiæ abutamini, ac consequenter ne ipsum Eucharistię ad iudicium & damnationem vestram sumatis sed candentem hunc carbonem, è sancto Altari, nonnisi aurea forcipe, id est, luculenta quadam vestra probatione præmissa, accipite. *Probet autem seipsum homo* &c.

Isaie 6.

1. Cor. 10.

Exod 16. 18. Manna diuersimodè Israelitis sapiebat, prout sancta vel vitiata illorum erat conscientia; pijs enim & sanctis delicias & mellita continere videbatur, scelestis verò erat insipidum: sic Eucharistia *sanctos sanctificat*, scelestis verò & improbis ad damnationem est; quibus proinde ipsum desipit, sunt morbidis & malè affectis etiam lautissima fercula.

Apoc. 22.

1. Reg. 5. 19. Arca quæ Israëlitis adeò erat salutaris, notum est, quàm in Philisthæos acriter sæuierit. Indignè porrò communicare, aliud reuera non est, quàm Iesum osculo tradere.

Psal. 72. 20. *Quàm bonus Israel Deus*, fratres, *his qui*
Psal 77. *recto sunt corde*; cùm tam benignus & beneuolus sit ijs, quorum *cor non est rectum eum eo*, nec *fideles*

fideles habiti sunt *in testamento eius*! Quin etiam hoc
in facto exemplum illius nobis dat regula: *Benefaci-* *Luc. 6.*
te his qui oderunt vos, vt qui illorum, qui *retribuebant* *Psal. 34.*
illi mala pro bonis, vinceret in bono malum. *Rom. 12.*

IV.

1. Quibus verò verbis, sat dignis & æquiualentibus, extremam illam sponsi nostri exprimamus charitatem, qui sic osculo proditus, & à *leonibus rugientibus paratis ad escam* circumdatus, de seipso nihil omninò laborans, de sola Apostolorum suorum est incolumitate sollicitus? Videte vt gallina hæc & perdix, accipitris & milui sese vngulis obijciat, quò pullos suos protegat.

2. Videte, vt aper hic in venabula & gladios militares vltrò sese induat, quò paruulos sospitet ac protegat.

3. Videte, vt delphinus hic tempestate atroci sæuiente, fœtum suum intra viscera readmittat *Nemo au-* *Ioan. 1.*
feret eos *de manu eius.*

4. Videte, vt amans hic pater mortis se discrimini- *1. Cor. 12.*
bus obiectet, quò filiorum vitam tueatur; vt *libenter impendatur & superimpendatur pro eis*, vt clamet:

Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum. *9. Aene.*

5. Hem nos beatos, quòd sub tam potentis & beni- *Luc. 12.*
gni protectoris vmbraculo ac tutela agamus! *Nolite* *Psal 90.*
timere pusillus grex scapulis suis obumbrabit tibi, scuto *Psal. 50.*
circumdabit te veritas eius. Sub vmbra alarum eius *spera, donec transeat iniquitas.*

6. Gallina pullos habens, macrescit & propè contabescit, escâ sibimetipsi eripiens, quò in pullos conferat: sic hoc loco Redemptor de discipulis seruandis magis quàm de seipso satagit.

Ioan. 10.

7. O *Bonum pastorem*, quòd *pro tuis animam ouibus ponas*, dum lupis te in prædam obijcis, quò illæ incolumes euadant!

8. Tigris mater, quò catulos tueatur, nihil non tentat & perfert: si quem è raptis venator illi insequenti & efferascenti obiectet, hunc, quantumuis ingentem ad cunabula refert, & ea quidem velocitate,

acsi nullum sentiret onus. Si de Iuda, qui ex agno iam factus erat tigris, conuertendo adeò anxiè Iesus laborauit, quid ni in extremo hoc discrimine de reliquis Apostolis suis laboret? Hinc etiam militibus inclamat: *Sinite hos abire.*

9. Paulò antè, vt vera quædam nutrix, sua ipsos pauit substantia, & ipsis dormientibus peruigil excubauit; iam verò morti proximus, de ipsorum magis incolumitate, quàm de sua angitur vita.

10. *Quid faciam tibi, ô custos hominum?* Quid porrò ei nos faciemus, si non, vt illi quam de nobis omnibus (nobis inquam, quos vt *pupillam oculi* sui caros habet) in Apostolorum suorum persona, habet, sollicitudini ex æquo pari sollicitudine respondeamus, saltem vt eam prout oportet expendamus?

Iob.7. *Zach.2.*

11. Vxor Tigranis, audito apud Cyrum, illum & regiam libertatem, ac vitam vxoriam quolibet redimere pretio paratum esse, toto se vitæ tempore hocce maritalis spopondit amoris testimonium recordaturam: quid verò deuota anima pro illo nō faciat sponso, à quo & *desponsata*, & *redempta*, & è seruitute peccati educta, denique à satanæ manibus, sanguinis ac vitæ propriæ impendio, liberata fuit, vtpote qui regnum suum cœleste deseruit, vt miseram in terris vitam ageret? ***Dilexit me, & dedit semetipsum propter me; lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; Languores nostros tulit, & dolores portauit, omniaque mihi donauit.*** Si quidem aliud facere non possumus, animæ saltem nostræ perpetuam eximij huius beneficij memoriam insculpamus. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris: ipse enim dedit animam suam pro te.*

Xenoph. in Pœdia Cyri l. 3. *Osee 2.* *Galat. 2.* *Apoc. 1.* *Isaia 53.* *Eccl. 29.*

12. Hîc ad litteram adimpleta illa prophetia est: *Ex his quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Quando ô miser Episcope, in mortis articulo, tot tibi animarum, custodiæ tuæ concreditarum, quas ipse vix noscis, erit ratio reddenda, quid respondebis? Domine *si interrogaueris, quis respondebit tibi? Quis sustinebit si obseruaueris? quid dicam, aut quid respondebo?*

Ioan. 18. *Iob.9.* *Psal 129.* *Iob:31.*

Hîc

Hîc conturbor, carissimi mei, hîc conturbor, & pauido mihi arma excidunt, oneris Episcopalis grauitatem pondusque perpendenti. *Sub paribus aquis gement gigantes*, & sub pondere & fasce hoc ipsi etiam Angelorum humeri fatiscerent, vt sacrum loquitur Concilium. Quid verò nos in omni spirituali vigore pygmæi, hîc faciemus? *Domine salua nos, perimus. Venimus in altitudinem maris, ne absorbeat nos profundum. Qui saluasti Petrum in mari, miserere nobis.* *Iob. 20.* *Concil. Trid.* *Matt. 8.* *Psal. 68.*

13. Vitæ vestræ probitate, dilectissimi ac dilectissimę, onus hoc nonnihil subleuate. Suos Mamuci (animal id est Indiæ Occidētalis) paruulos tergo gestare perhibētur; & parentes suos præ senio deficientes ciconiæ: ergò alter alterum subleuemus; vos qua potestis, indignum Pastorem vestrum iuuate, vt queat saluari, cùm quantum in se est, ipse vicissim bono vobis ad salutem prælucere studeat exemplo.

14. Defectibus & imperfectionibus meis compatiendo ignoscite, & eos in exemplum nolite æmulando trahere. Ceterùm, cum Samuele dicere ausim, neminem vestrûm à me (quantum equidem memini) læsum aut iniuriam passum esse. Itaque *oremus pro inuicem, vt saluemur.* *1. Reg. 12.* *Iacob. 5.*

E primo homiliæ huius puncto, salutarem diuinorum iudiciorum, quoad hanc ministrorum in terram prostrationem, timorem concipite: è secundo impudica & parum honesta oscula cauere ac detestari discite: è tertio benignitatem Redemptoris Iesu & admirari & sequi: è quarto, ingentes illi ob singularem illam, qua animas nostras, (quas *magno sanguinis* sui *pretio* assertas *emit*) saluari cupit, solicitudinem, gratias agere. Cui sit honor, laus & benedictio in sæcula sæculorum. *1. Cor. 15.*

Amen.

FERIA IV. POST DOMINIC. II. Quadragesimæ.

Redemptoris Iesu comprehensio.

HOMILIA XIII.

Ioan. 10. *VIdentes discipuli dixerunt: Domine, si percuti-*
Matt. 26. *mus in gladio?* In hac sponsi nostri cōprehen-
Marc. 14. sione, quatuor mihi examināda occurrebant. 1.
Ioan. 18. S. Petri percussio, 2. Malchi curatio, 3. Christi Iesu cō-
prehensio & vincula, 4. discipulorum fuga. Hæc lati-
ùs paulò deducamus.

1. Sapienter scriptum est, fratres: *Nolite ambulare*
I. *in feruore:* vt enim canum catuli, dum nascuntur, cæ-
1. Pet. 4. cutiunt, sic suo in exortu desideria nostra cæca esse
solent.

2. Tam ad bonum scilicet, quàm ad malum. Primi
motus parum solidi plerumque sunt, vbi & parum
Psal. 80. prudentiæ habent Nolite, ô animæ deuotæ, in *deside-*
2. Cor. 11. *rijs cordis vestri*, nec in pijs *adinuentionibus* vestris
confidere: sæpè namque diabolus in *Angelum lucis* se
transfigurat, vt mendacibus, speciosis alioquin vobis
prætextibus imponat. Obedite, alios consulite, consi-
Prou. 10. lijs datis acquiescite, & *ambulate simpliciter*, vt *am-*
Eccl. 4. *buletis confidenter. Melior* lōgè *est obedientia quàm vi-*
1. Reg. 11. *ctima*, & ieiunium, alio prudentiore iusta ex causa
dissuadente, intermittere, quàm proprium sequendo
iudicium, imprudenter & plus æquo ieiunare.

3. In malo verò, quàm noxia est præcipitantia &
feruor, ac præsertim in iracundia!

Horat. ——— *Qui non moderabitur iræ,*
epist. 5. *Infectum volet esse, dolor quod suaserit aut mens,*
lib. 1. *Dum pœnas odio per vim festinat iniquo.*

Quàm multi alium enecant, non aduertentes quid
agant,

agant, quos postea, dum factum expendunt, pœnitet!

4. Vindicta omnis puncturis apum persimilis est, *animas in vulnere ponentium.*

5. Aries, animal adeò placidum est sine dolo, dum furit ira, & capite ferit, ipsum comminuit, & sibi ipsi pessimus est.

6. *Abominabilis coram Deo* omnis, *qui* sitit & *fundit sanguinem*, ait Scriptura sacra, & Dauid rex, quòd *vir sanguinis* fuisset, templum Domino vetatur construere, quod opus Salomoni Regi pacifico reformabatur: qui nonnisi sanguinem & cædem spirant corda sua in *Spiritus sancti templa* efformare nequeunt. *2. Reg. 16.* *1. Cor. 6.*

7. Apostolus Petrus, quòd suum temerè nimis secutus esset feruorem à Domino corripitur, vti & antè correptus fuerat, dum dissuadere conatur ne Ierusalem abiret mortem oppetiturus. Iam itaque illi ait: *Mitte gladium tuum in vaginam*: quorum verborum auctoritate nixa Ecclesia, benigna illa mater, quæ *sanguinem nescit*, Ecclesiasticos vetuit arma tractare.

8. Hanc etiam ob causam Imperator ille Arianus excommunicatus fuit, quòd monachos, quos plurimos varijs in cœnobijs Oriens habebat, in milites conscribere constituisset, quos secum ad bellum duceret. Quocirca benè S. Bernardus, ob persecutiones aliquas, quibus suo tempore Ecclesia diuexabatur, ingemiscens ait: *Arma alia non habemus quàm lacrymas.*

9. S. Thomas, Cantuariensis Præsul, ipso in templo à sicarijs impetitus, Clericos suos vim vi noluit repellere: *Dei Ecclesiam more castrorum defendendam esse* negans.

10. Omnibus quidem in genere Christianis dictum est, vobis tamen potissimè, fratres mei Ecclesiastici: *Non vos defendentes, carißimi, sed date locum iræ, sustinentes, si quis in faciem vos cædit.* Væ autem illis, qui sacram Scripturam irrident, dum in ea legunt, *si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram:* *Rom. 12.* *2. Cor. 11.* *Matt. 5.* *Luc. 6.*

teram: & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit, mille passus vade cum illo, & alia duo. Itane, ô Christiani, qui supremam sanctæ fidei vestræ perfectionem exploditis, Iesum Christum, prototypon & *exemplar* vestrum imitemini? itane exsibilatis, quod Spiritus eius sanctus per sacros Euangelistarum calamos nobis scriptum tradidit? (Ioan. 13.)

11. Paulum Apostolum audite, qui fustigationibus, vinculis, flagris, pro Iesu Christi nomine toleratis apertè gloriatur. (2. Cor. 12.)

12. Quomodo igitur illatas iniurias vlciscemur & rependemus? patienter ferendo. Et Dei vltionum nomine, ipse vobis spondeo eum, si illius in gratiam ipsas æquo feratis animo, cœlos simul & terram *contra insensatum*, à quo hæc vobis irrogata est, *armaturum*. Ipse namque dixit: *Mihi vindicta, & ego retribuam*. Hic quippe casus illi reseruatus est. Quamobrem caueamus, ne illius temerè auctoritatem vsurpemus, & de vetito hoc fructu comedamus. (Sap. 5. Rom. 12. Heb. 10.)

13. *Frontem* ille nobis dabit *adamantinam*, duriorem quidem ad mala sustinendum, quàm aliorum futura ad inferendum & percutiendúm manus. (Ezech. 3.)

14. Nostrum est, sicut & arundinis resistere cedendo. An non videtis, vt globorum bombardicorum vis & impetus infringatur, dum in mollem impingunt lanam?

15. Hinc Apostoli missi dicuntur, *sicut oues in medio luporũ*, vt lupos hosce in oues cõmutarent, *animasque* suas *in patientia posiderent*. Ne passim cuilibet *credamus spiritui*, inflammatæ cuiusdam iræ efferuescentiam caueamus, atque inprimis vindictam euitemus: *Hanc pœnis, hanc tu compesce catena*. (Mat. 10. Luc. 21. 1. Ioan. 4.)

16. Hæc porrò Christi Domini ad Petrum verba: *Mitte gladium tuum in vaginam*, etiam mihi singillatim dicta existimo. vt hinc nimirum discam, eos à tribunali meo spirituali reijcere iudices, qui ob minoris

momenti

momenti delicta passim excommunicationis ensem à me exseri cupiunt. Quàm, ô miseri, parum de fratrum vestrorum animabus solliciti estis, dum me *oportunè & importunè* adeò vrgetis, vt *tradam eas Satanæ*! O iniqui *redemptionis* ipsarum & pretij quod est ipse *filij Dei sanguis*, æstimatores! Illas ipse tot laboribus & supplicijs redemerit, & ego, velut per ludum has iugulabo, quò desiderijs vestris sanguinarijs faciam satis? Tu potiùs, ô importune & friuole vindictę exactor, excommunicatione feriendus es. An non te ipse, in nugatorio tuo libello, condemnatione dignum prodis? 2. Tim. 4. 1. Cor. 5. 1. Pet. 4.

17 Non sic fratres, non sic, quin potiùs cum antiqua illa virgine Vestali dicam: *Non veni huc, vt cuiquam maledicam, sed vt manuum, in sacrificijs meis quotidianis, eleuatione omnigenas in capita vestra benedictiones cœlitùs deuocem.*

18. Ignitum fateor, gladium manu gesto, vt illo rebelles & peruicaces Adamos, terrestri militantis Ecclesiæ paradiso expellam; sed ex hoc die in ijs tantùm casibus à me ille euibrabitur, in quibus manifestum sit, eos qui excommunicabuntur, & anathema erũt *verbo* iam dudũ ipso fuisse facto. Hunc ipse seruabo modum, & à meis seruari volo. Gregem quippe, quem meæ summus ille Pastorum princeps curæ concredidit, sanare volo, nõ necare; curare, non iugulare; *in loca pascua conducere*, nõ eodem præcipitem compellere; illius, si possim saluationem procurare, *pro Christo legatione fungens*, non autem damnationem, eum custodire, non in prædam dare; verbo & Sacramentis pascere, non Satanæ dilaniandum dare, gladium denique hunc in summæ continentiæ vaginam volo recondere, eumque adinstar medici, non verò tortoris vsurpare. Gen. 3. Psal. 22. Ephes. 6.

II.

1. Petrus itaque cùm gladio seruo cuidam, cui nomen Malchus, auriculam præsecuisset, Dominus eam statim loco suo adaptat & sanat. O extremam bonitatem! O dulcedinem ineffabilem, amicum coarguere,

guere, & inimicum sanare! agnum ferire, & leoni parcere! feruorem accusare, & scelestum excusare! An non hic

Dat veniam coruis, vexat censura columbas?

Matt.18. Cur iustus sugillatur & acriter increpatur, iniustitia
Luc.15. verò propugnatur? *Nonaginta nouem oues* relinquuntur, vt tu errans ouicula, quæraris. Verum igitur est, clementissime Iesu, adeò te peccatis nostris ad iracundiam non prouocari, vt tuam potiùs prouocent misericordiam. An non tibi metuendum, ne hoc pacto & probos piosque à tuo alienos amore & obsequio, & improbos ad te offendendum excites? Hoc ipsum comprehendere Propheta Regius non poterat, ideoque *penè motos* suos *pedes* testatur, vt colligere est è
Psal. 72. Psalmis, quorum initia sunt: *Quàm bonus Israel Deus,*
Psal.36. &; *Noli æmulari in malignantibus,* &c.

2. Nec miraculi huius conspectu, nec superioris (vnico scilicet vocis sono infernalem hanc cohortem solo affligere) sensu, efferascẽtium harum belluarum animus factus est mansuetior, aut quidquam de cœpto furore remisit. Vnde liquidò patet, nulla vel concione, vel vitæ sanctitate, nulla denique re peruicacem & obduratum in scelere peccatorem posse conuerti. Laterem lauat, & surdo fabulam narrat, prout prouerbio dici solet, qui illius emollire & emouere cor desiderat.

3. Certissimum porrò est, purum id fuisse miracu-
Exod. 8. lum, & *digitum Dei* hîc esse cooperatum. Præsupposito enim, iuxta Philosophorum placita, nullam naturaliter à priuatione ad habitum dari conuersionem posse, certum est, cùm auris hæc à capite præsecta, & separata fuerit? illi eam nonnisi supernaturali operatione denuò coniungi & adnecti potuisse.

4. Idem nempè est digitus, qui cæcis visum, claudis
Ioan. 5. gressum, surdis auditum restituit, quippè tot aliàs in Iudæa prodigia operatus erat; cùm præter Deum nemo huiusmodi operari opera possit.

5. Auris hæc restituta alia etiam secreta continet, quæ

quæ vobis iam pandam, ſcilicet, *ſine fide*, quæ Dei eſt donum, *impoßibile eſſe illi placere* Hancque ob cauſam orat Eccleſia: *Quia tibi ſine fide placere non poſſumus*. Ceterùm, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*: quia, *quomodo credent, ſi non audiunt? & quomodo audient ſine prædicante*. Deum obſecremus, fratres, vt hanc nobis aurem à contagioſa Hæreticorum conuerſatione commercioque mundam conſeruet, vtpote quorum *ſermo vt cancer ſerpit*, & *quorum os loquitur vanitatem*. Heb. 11. Rom. 10. 2. Tim. 2. Pſal. 143.

6. Auris item hæc obedientiam mihi repræſentat. *In auditu auris obediuit mihi. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam*, &c. *Dominus aperuit mihi aurem, & non contradico*. Pſal. 17. Habac. 3. Pſal. 39. Ibid. Iſaia 50.

7. Inprimis verò hinc eruo, quemadmodum hoc auris ſceleſto huic reſtitutæ ſub initium paſsionis ſuæ miraculum Redemptor patrauit, ita nullum adeò obduratum & peruicax cor eſſe, quin tam pio argumento, quale eſt ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsio, ſuam libenter aurem accommodet. Hic ſcilicet *ſurdorum aures patebunt*: & qui *nolunt intelligere*, vt benè *agant*, & *habent aures, & non audiunt*, (eò quòd *duri ſint corde*) in doloroſa hac materia *aures audiendi* acquirunt, ſalutaribus quæ hinc colligunt documentis, condeſcendentiæ & compaſsionis aurem accommodantes. Iſaia 35. Pſal 35. Pſal. 134. Act. 7. Matt. 11.

8. An non, ô ciues Bellicenſes iam ſeptem ſunt anni, ex quo obſequio cœpi veſtro me impendere? an non iam quinta voluitur quadrageſima, qua in hac concionor Diœceſi; & quarta, qua in hac Cathedrali? ſæpè vobis per diem occurrentia expoſui Euangelia, & iam biennium effluxit, cum vniuerſa doctrinæ Chriſtianæ capita, catechiſta veſter factus, explicaui. Omnia quidem hæc fidem & ſpem (fateor) veſtram non mediocriter cõfirmârunt, ſed nihil reuera magis pietatem & charitatem veſtram accendit, quàm hæc

ſancta Ieſu Chriſti paſsio. Adeò verò id manifeſtum & euidens eſt, vt cæcus & ſtupidus ſit oportet, qui ipſum non agnoſcit & perſpicit. *Flores apparent in*
Cant.2. *terra* veſtra, ſed exſpecto, vt è floribus ſequantur fru-
Ioan.4. ctus. Video *regiones albeſcere ad meſſem*, ſi modò ino-
Cant.4. pina quædam tempeſtas pretioſam hanc cordium meſſem non deſtruat & euertat: *Veni dilecte mi, & comede fructus pomorum tuorum.*

III. 1. O dulces amaritudinis, in quam iam ingredimur, fructus! Hic namque, tandem aliquando, ſatellites & miniſtri ſacrilegas in mitiſsimum hunc agnum manus inijciunt, & Philiſthæi arcam noſtram
1.Reg.4. furiata mente inuadunt.

Venit ſumma dies & ineuitabile fatum.

Hæc ſunt quæ in diei huius Euangelio ab ipſomet pa-
Ioan.10. tiente Ieſu prædicuntur: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, vbi filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum, & condemnabunt eum morte.* Hîc quoque reipſa
Pſal.217. iam adimpleta ſunt illa oracula: *Circumdederunt me*
Pſ.11.a. *ſicut apes, & ſicut ignis in ſpinis. Circumdederunt me*
Pſal.68. *vituli multi. Veni in altitudinem maris, abſorbebat me profundum,* &c *Inuenerunt me viri abſque miſericordia:*&c.

Cant.5. 2. Iam idipſum contingit, ſponſe, quod ſibi contigiſſe commemorat ſponſa: *Inuenerunt me cuſtodes, percuſſerunt me, vulnerauerunt me.*

Pſal.136. 3. Hîc iam *filij Edom* vociferantur: *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in eo.*

4. Si vrbem aliquando diripi atque vaſtari vidiſtis, (ô horrendum ſpectaculum!) in qua ſcilicet nihil præter ſanguinem, lanienam, cædes, direptionem, incendia, mulierum & virginum compreſsiones, vociferationes, blaſphemias, eiulatus, cędes, confractiones, lytri ſtipulationes, (denique quas non alias hoſtilitates?) cernere eſt:

Nil faciunt hoſtes capta crudelius vrbe.

Iſaia 9. Cogitate, illam huius Domini Ieſu comprehenſionis imagi-

imaginem esse: *Sicut victores capta præda dum diuidunt spolia.*

Incensa Danai dominantur in vrbe. *Iud. 16.*
Hostis habet muros. *Gen. 31.*

5. *Philisthijm super te* hîc, ô generose Samson. *Psal. 68.*

6. Iam, ô innocens Ioseph, iniquissimè constringeris, & in carcerem abriperis: *Iniustè quæ non rapui tunc exoluebas.* *Iob. 1.*

7. Ecce, vt miser Iob, horum incarnatorum dæmonum potestati traditus sit.

8. Beata Maria, Scotiæ Regina, suo in martyrio eatenus sese mortificare non potuit vt à tortore se vinciri componique sineret, quò sibi ceruicem præscinderet, sed hôc ipsamet officium insigni quadam constantia in se subijt. Et sanè triste ac ferale spectaculum fuit videre, Principem ac Reginam tam illustri natam loco, & Regis Galliæ viduam, tam probrosè & ignominiosè haberi. Sed, quid de Rege nostro regum dicemus, qui à sexcentis sese (tot enim cohors viris constabat) tortoribus vinciri & comprehendi patitur?

9. Hi ergo dulcissimi agni nostri manus confestim vinciunt, sed nexibus tam arctis, vt nerui eius essent confracti. O dulcia Domini mei vincula, cordis mei catenæ! Quis, ô Domine, mihi det, vt ijsdem tam arctè charitati tuæ colliger & connecter, nihil & me ab ea vmquam separet! *O vinculi charitatis!* ô *funes* noui *Adam!* ô sacræ manicæ; quæ sponsum nostrum vinxistis! qui sese ligari ideò constringique passus est, vt sibi voluntates nostras rebelles colligaret. *Rom. 8.* *Osee 2.*

10. Eia dum sensus mei omnes adeste, vt huic vnico amoris mei obiecto vos adnectam. Vos, oculi mei, nihil post hac aliud respicite, *quàm Iesum crucifixum:* vos aures, soli *voci* & verbis *eius* intendite: aliud nares non olfacite, quàm perfectionum eius *atomata:* non aliud lingua degusta, quàm mannæ Eucharistici delicias: non aliud, ô manus, operemini, *1. Cor. 2.* *Cant 4.* *Cant. 5.*

quàm quæ ad obſequium eius referuntur : non aliò concedite, pedes, quàm ad ipſum: de ipſo ſolo meditare, cor meum: eius ſolùm beneficia reuolue, ô memoria: tu mirabilia eius conſidera, intellectus: totam te amore eius ſuccende, voluntas: meum Meum ſit ipſius eſſe; vnicum gaudium meum ſit illi placere, vnica formido, diſplicere, vnicum deſiderium, ipſum amare, totum denique exercitium meum, ipſum adorare, Amen.

V. 1. *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Panicus

Mat. 26. quidam terror eos inceſsit ; omnes diſperguntur, *non eſt vſque ad vnum*, qui apud Dominum remaneat.

2. Petrus ſe ſubducit metuens ne *gladio moreretur*, eò quòd *gladio percuſſiſſet*, prout illi antè paulò Redemptor dixerat.

3. Ioannes in Bethaniam properat, vt triſte hoc filij comprehenſi nuntium Deiparæ matri allaturus: de qua re craſtina die loqui conſtitui; vosque auditores, Deum orare velim, vt mihi in materia tam pia & tenera ſanctos aliquos conceptus inſpirare dignetur.

4. Denique & reliqui omnes perterriti & conſternati, alius huc, alius illuc, fuga diſtrahuntur. An non

Zach. 13. id Prophetæ olim prædixêre? *Percutiam paſtorem*, &c.

Pſal. 37. & rurſus: *Omnes amici mei dereliquerunt me. Elonga-*

Pſal. 87. *ſti à me amicum & proximum. Longè feciſti notos me-*

Ibid.

Thren. 1. *os à me. Non eſt, qui conſoletur eum ex omnibus charis eius.*

5. Vti tempeſtate per aëra ſæuiente, vel denſa ingruente grandine, omnes qui in agro ſunt ſeſe ſubducentes tectum aliquod quærunt: Sic denſo ſatellitum nimbo in Saluatorem Ieſum ſe exonerante, & ictuum grandine ingruente, Apoſtoli omnes fugam capeſſentes in tutum ſeſe recipiunt.

6. Videte, ô amici mundani, amici *vſque ad aras* duntaxat, quomodo porci, ſi quando aliquis de ipſorum grege iugulatur, clamore, excitu & grunitu illuc accur-

accurrant, at illo iam mortuo, ſecedant: Sic quando ad mortem vſque aliquis in ſæculo ægrotat, accurrunt amici vndique & noti, dolere ſe caſum ipſius voce teſtantes: quem ſi etiã exſpiret, ad ſepulchrum vſque comitantur, dicentes: *Requieſcat in pace.* Et aliud præterea non præſtant. Pauci verò illorum in ſtatu gratiæ ſeſe conſtituunt, quò ſuæ pro defuncto effuſæ preces maioris ſint efficaciæ, pauci pro eo pœnitentiã aliquam aut mortificationem ſubeunt (quod ab Apoſtolo dicitut *pro mortuis baptizari*) pauci ſacram communionem adeunt; pauci in eius gratiam Indulgentias lucrantur; pauci denique piacularem pro animæ defuncti refrigerio victimam offerri curant. 1. Cor. 15.

——Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre iugum pariter doloſi.

7. Quàm multi, Deus bone, Dominum inſenſibilium deuotionum dulcedine ſequuntur, in deſolationum verò ſpiritualium atque ariditatum amaritudine eum deſerunt, & in tentationum tempeſtate derelinquunt. *Paratu, ô filij Ephraim,* arma veſtra, ſed dum conflictus ineundus, tergum obuertitis. Pſal. 77.

8.9. Vbinam modò es, Maria Magdalena? crediderim equidem tua te fugitiuis hiſce viris pudorem incuſſuram fuiſſe conſtantia, & in denſiſsimos prorumpendo cuneos, ante dilectiſsimi magiſtratus pedes te interfici paſſuram, & cæco quodam impetu ruituram fuiſſe:

Quò gemitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.

Vel, Carthaginenſes matronas (quæ in vrbis ſuæ obſidio è crinibus ſuis arcuum neruos contorſerunt) imitando, futurum fuiſſe, vt è brachijs tuis arcum, è crinibus neruum, ex oculis ſcintillantibus *iacula potentia & acuta* ad *corda inimicorum Regis* gloriæ configenda, concinnares. Pſal. 44. & 119.

10. Adeſte hîc omnes, qui quadrageſimale ieiunium tam impatienter fertis: An non quid cum Ieſu

Christo pati subterfugitis? pudeat tam vos inertes esse, tantamque præferre ignauiam, quam tamen in ipsis carpitis Apostolis.

11. Apostolis inquam, qui tandem, vbi hæc tempestas deferbuit & pauor, è fuga collecti suam nimis quàm amarissimè deplorârunt inertiam. Petrus quippe præ verecundia propè emoriebatur, nec non Philippus & Iacobus, qui adeò sese iactarant. Hem! quantam iacturam fecistis Apostoli? sed quis item ob eamdem vester est dolor? Hinc ergo omnes resumpto animo

——Per tela per hostes
Vadunt haud dubiam in mortem, mediæque tenebant
Vrbis iter, nox atra cauâ circumuolat vmbra.

Psal. 41. Petrus autem constanter sequitur, sed, sicut *abyssus abyssum inuocat*, ita ipse probrosam fugam priorem turpi triplicique Domini negatione coronauit.

12. Iam itaque è magnitudine iacturæ suæ colligere incipiebant, quàm bonum Dominum habuissent; at, velut è profundo quodam somno repentè excitati, in quàm extremam iam prolapsi essent miseriam, probè intelligere nequibant.

13. Sed vt ij qui ex animi deliquio, quod grauis quidam casus attulit venientes, eò grauiores sentiunt dolores, quò magis sibi redduntur præsentes: ita miseri nostri Apostoli ingentes in animo patiebantur conuulsiones dum vident, quòd eum eripi sibi passi sint Deum hominem, cuius commercium ac conuersatio mille esset vitarum impendio emenda.

Isaiæ 1. Ierem. 2. 14. Huc adsis miser peccator, ac dicito, quàm amarum sit *dereliquisse Dominum Deum* tuum, *dereliquisse fontem aquæ vitæ*. Quàm dura animæ sensibili mors est, sine gratia in terra viuere! Gratia quippè vita est. Vnde præclarè Theologorum omnium coryphæus: *Mortem*, inquit, *plangimus eorum, quorum est anima à corpore separata; &, eheu! animam non plangimus quæ à Deo suo per peccatum disiuncta est.*

15. Suma-

15. Sumamus nihilominus animos, peccatores, & Apostolos imitemur, quos iactura hæc non ad desperationem, sed ad maiorem eius quærendi diligentiam adegit. Nam etsi nunc quidem fugiant, aliàs pugnabunt, vt de se Orator ille Græcus aiebat, cùm ad Thermopylas abiecta turpiter Parma fugisset.

16. Hanc ob causam Lacedæmones in prima sequentis conflictus acie collocare solebant eos, qui in primo fugam cepissent: nam, vt probrum superius repararent, animosè leonum in morem eos certare oportebat. Sic ex vndecim hisce fugitiuis videbimus olim, hunc quidem excoriatum, illum cruci affixum, alium ignes patientem, alium caput amittentem, nonneminem etiam vngulis discerptum, alium denique serra dissectum. Quàm, Deus bone, crimen hoc generosè expiabunt! *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* *Psal.126.*

17. Tum demum hos ipsi imitabimur, cùm præterita peccata velut calcaria adhibebimus, vt eorum recordatione ad pœnitentiam exstimulemur, dicentes: Ecce *ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* nec non: *Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non dignus vocari,* &c. *Psal. 37.* *Luc.15.*

Edocti estis 1. non debere vos vestro feruori credere, sed iram comprimere, & iniurias tolerare; 2. credere & obedire; 3. vos Domino deuincire, 4. post tot fugas, ignauiæ testes, ad clementissimum Dominum reuerti, eumque tam arctè constringere ac *tenere*, nunquam eum vt *dimittatis.* *Cant.3.*

FERIA V. POST DOMINIC. II. Quadragesimæ.

Nuntius comprehensi Redemptoris ad beatam Virginem allatus.

HOMILIA XIV.

INFALLIBILIS spiritualium Scriptorum traditio, dilecti in Domino fratres, supplebit ea quæ sacra subticent Euangelia. Contemplatiuorum itaque omnium communi suffragio sententia est, statim post Christi à satellitibus comprehensionem, & Apostolorum dispersionem, Ioannem Apostolum rectà in Bethaniam, vbi Deipara mater tum versabatur, properasse, eiq; filium suum dilectissimum comprehensum & captum esse nuntiasse. Quatuor hoc in capita distinxi: tu Domine, quatuor ex his mucrones confla, quibus horum corda transfigantur. Primò inquiram, per quot B. Virgo modos & vias hanc filij captiuitatem discere potuerit, 2. aliquatenus eius dolorem exprimere ac depingere conabor, 3. quemnam Magdalena, Martha, ac Lazarus, & duæ Mariæ sorores Deiparæ inde dolorem conceperint, 4. quomodo sanctus hic manipulus Ierusalem venerit, vt coram Redemptorem patientem cerneret, eique in tormentis compaterentur. Attentis, oro, auribus estote.

1. *Isaia 6.* *Isaia 53.* 1. Ausimne *pollutis labijs*, & ore temerario, hoc discursu meo, non dico, patris Iphigeniæ immolandæ, vultum, sed dolorosam matris eius, qui *vir dolorum* est, faciem, quam Scriptores Euangelici tam prudenter silentij velamine obtexerunt, retegere?

2. Mate-

2. Materiam nobis pia ſuggeret traditio, verbum ſcilicet Dei, non ſcriptum: imò verò ſcriptura ipſa, quod, teſte Apoſtolo, aliud eſt quàm *traditio*? *2.Theſ.2.*

3. Etſi autem hanc ſecretariorum ſuorum calamo ſpiritus ſanctus compaſsionem non dictarit, cur cum *vſque modo operetur* in Eccleſia, linguæ & auribus hominum non communicet quod atramento & chartæ olim committere noluit; vt qui cupiat deuotionẽ hanc *tabulis cordis carnalibus* eorum qui cultui virginis Deiparæ addicti ſunt, inſcriberet. *Ioan. 4.* *2. Cor. 3.*

4. Quod olim Magnus Gregorius, de Magdalenæ pœnitentia prædicaturus, dicebat, malle ſe flere quã loqui, eiuſque potius lacrymas imitari, quàm verbis adumbrare: id nos multò potiori iure in hac materia dicere poſſumus, quòd Maria pœnitens, quantumuis amore æſtuarit ardentiſsimo, nimium quanto ab innocente Maria diſtet interuallo.

O quàm, virgo dolens, *memorem te*? hoc dicam quòd *tibi nulla laborum*, *1 Aene.*

O Virgo, noua nunc facies inopinaue ſurgat. *6. Aene.*

5. Noueritis enim oportet, cariſsimi, Ioannem primum non fuiſſe, qui paſsionis huius Deiparæ Matri nuntium attulerit. Iam enim, eheu! à triginta & tribus eam annis præſciuerat, quotidie ſe ad *calicem* illum *amarum* hauriendum, & illum *doloris gladium*, quẽ in filij ſui præſentatione, quadrageſimo à partu die, Simeon illi prænuntiarat, perferendum diſponens, &, quoniam ipſa ſancta hæc *verba conſeruabat in corde ſuo*, vt primum filius Ieſus fari potuit, hinc ante omnia eum rogauit, vt hanc ſibi prophetiam is exponeret: quam etiam ipſe matri, ob ſingularem, qua eam proſequebatur, reuerentiam & obedientiam exponere non dubitauit. *Iſaia 57.* *Luc.2.* *Ibid.*

6. Quis ſcit verò, an non ipſe cũ in templo, ætatis anno duodecimo repertus eſt de paſsione ſua locutus ſit, vti poſtea cùm in monte Thabor transfiguraretur, de eadem cum Moſe & Elia locutus eſt? *Luc.2.* *Matt.19.*

7. Quoties etiam putatis, totis illis triginta annis,

quibus eum domi suæ habuit, ab ipso de vniuersa vitę sequentis mortisque serie singillatim edoctam? Secre-
Gen. 18. tum aliquid Abraham *amicum* suum *celare non potuit* Deus, & filius hic aliquid à matre sua abscondet?
8. Adhæc quis ignorat, inter reliquas, quibus sanctissima hæc mater plena fuit, gratias eam & Prophetię donum habuisse? quomodo enim Luna hęc non
Luc 1. illuminetur, quæ *solem orientis* sibi tam vicinũ habet?
9. Communis insuper spiritualium omnium sententia est, Redemptorem Iesum, antequam postremum pascha, quod *desiderio desiderauit* cum discipulis suis *manducare*, celebraturus Ierosolymam abiret: amicè benedictæ matri suæ vale dixisse, omniaq; *quæ sibi ventura erant*, communicasse: cùm & Apostolis hæc prædixerit dicens: *Ecce ascendimus Hierosolymam.*
Luc. 18.
Psal. 17.
Cant. 4.
10. Sed, eheu! suauis hic filius, *sapiens* inquam ille *incantator*, verbis suis *lacte & melle* quæ *sub labijs* habebat dulcioribus, sanctæ Virginis, quem è suppliciorum eius enarratione conceperat dolorem, ita le-
Sap. 8. nierat, *disponens nimirum omnia suauiter*, & suæ cum diuina voluntatis vnionem semper commemorans, vt ipsas etiam lacrymas eius fluere inhibuerit, ore duntaxat suspiria, & pectore singultus elicuisse contẽtus.
11. Tu autem à medica lingua, quæ blandis conso-
Matt. 8. lationibus tuis corda desolatione tabescentia recreare potes: *tantum dic verbum* cordi meo, *&* ilicò *sanabitur anima mea* & saluabitur. *Sonet vox tua in au-*
Cant. 2. *ribus* nostris, quia *dulcis* est, & *dulciora eloquia tua su-*
Psal. 118. *per fauum & super mel ori* nostro.
12. Quàm, ô perite chirurge, manum habes duram, delicatam tamen & subtilem! lædis, vt tamen nemo te lædere sentiat dum aciem ferri gossipio obuoluis, oleum vnà cum ferro, & cataplasma cum nouacula applicans.
Psal. 91. 13. O *cornu vnicornis*, quod cum vulneras, simul sa-
1. Reg. 2. nasti! ô lenis *cordium* homicida, qui eadem vales & *mortificare & viuificare*, *ad* infernales *abyssos dedu-*
cere

cere & inde reducere, occidere & resuscitare, eorumque vulnera aut insensibilia reddere, aut torpida, vt non sentiantur: Quæso meum accipe & contere. *corda* namque *contrita non despicis*, & è contritis comminutisque sapidum panem tuum conficis, *hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* *Psal. 50.*

At pius Aeneas, quamquam lenire dolorem
Solando cupit, & dictis auertere curas. *Aene. 4.*

14. Dum tamen instantes sibi cruciatus apud matrē commemorat maternum cor amor simul & obedientia miris lancinabant conuulsionibus: hinc quippe caro luctabatur, illius spiritus promptus erat, siquidem eum vt suū intueretur filiū amor cruciatus hos videbatur impedire velle; si vt Deum, voluntati eius se ostendebat obsequentissimam. O profundam ac prodigiosam resignationem! Rei itaq; huius filius eam anticipando certiorem fecerat.

15. Adhæc ipse Spiritus sanctus sponsus eius (*concepit* siquidem *de Spiritu sancto*, & *Spiritus sanctus obumbrauit ei*, vti olim nubes obūbrabat tabernaculo) an non inanibus vnctionibus suis eam consolatum venit? vnde etiam *Paracletus*, id est consolator, dictus est *Luc. 1. Exod. 40.*

Consolator optimus
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.

16. Si spiritus hic pauló prædixerit vincula, carceres & ærumnas, quas *Hierosolymis pro nomine Iesu* passurus erat; cui non piè cogitemus, ipsum filij dolores piæ matri proposuisse, sua eos suauitate mitigando; animositatemque illi ad eosdem coram intuendos suggerendo? *Act. 20.*

17. Addo hîc & aliam, qua nos nosse potuit, viam, instantaneum plurimorum Angelorum ministerium vtpote quibus *lectulus* hic *Salomonis* nunquam non *ambiebatur*. Minimè quippe dubitandum est, quin de momento in momētum ad eam venerint, de singulis, imò vel minimis circumstantijs eā edocturi, adeò vt *Cant. 3.*

quot

quot suo Redemptor verbera excipiebat corpore, tot in Beatæ eius matris cor de eorum repercussione audirentur.

18. Non tu ô Gabriel, qui illum in ipsa vitam accepturum, olim nuntiasti, idem & ipsius in illo mortem nuntiatum venisti?

19. Legitur Pythagoras rationem & artem excogitasse, qua amici procul licet distantes, in luna legerēt, quæ illis ipse nuntiata vellet, idque sanguinis in speculis cristallinis effusi mutilatione. An non ô Iesu, ô
Sap. 7. Maria, ô *specula sine macula*, dum ad rutilam & fulgentem noctis illius dolorosæ lunam, tu quidem sanguinem exsudas, tu verò sanguinem lacrymaris, dolores inuicem in ea legebatis? an non propterea, ô *lu-*
Apoc. 6. *na, facta es* rubra *sicut sanguis*?

20. Quis hic verò suaues illas exprimat consolationes, quibus cœlestes illi tabellarij amaram illam
Isaia 6. tot horrendorum casuum commemorationem mitigando leniebant? Te, ô Angele hîc opus haberem qui olim Isaiæ labia sacro carbone mundasti Vtinam mi-
Act. 1. hi in os *linguam* insereres *igneam*, qua consolatoriam
Psal. 103. *ministrorum* illorum *ignitorum* orationem hîc possem referre!

21. Crediderim, fratres, matrem hanc, quæ in omnibus sese imagini filij sui conformabat, in cunctis eum doloribus & cruciatibus, imitari conatam esse; & illum Hierosolymam abeuntem, si non corpore, saltem animo secutam. Mihi equidem persuadeo ipsam, cùm pedum Apostolicorum illi ablutio nuntiaretur, filij humilitatem summopere obstupuisse; cur non etiam ex Angelorum manibus sacrum filij corpus iam cibum factum susceperit, cùm tot postea vtriusq; sexus sancti hanc prærogatiuam acceperint? In vitis enim Patrum plurimos è veteribus illis Anachoretis, Angelorum legimus ministerio corpus Dominicum suscepisse; nec non in Bauma sua Magdalenam, Mariam Aegyptiacam in deserto, Onuphrium, Franciscum, Gertrudem, Catharinas Senensem & Genu-

Genuensem; & nostris diebus B. Stanislaum sanctæ Societatis Iesu nouitium.

22. Quàm in transitu illo, quo filius torrentem Cedron transibat, anima eius ingentem *dolorum torrentem* pertransijt! è fugę Apostolorum prædictione, magnum etiam credibile est ipsum dolorem sensisse, filio orante minimè dubium est, quin etiam orationi euidenter institerit, & imitatione eius dixerit, *Pater si possibile est.* In voluntatem Patris suam filio resignante, resignabat & ipsa suam. Illo in genua se abijciente, imò in terram procidente, prosternebat se & ipsa, sanguineum sudorem emittente, lacrymas etiam illa sanguineas emittebat. Illo contristato, angebatur & ipsa, si mortis ille metu consternabatur, illius ipsa morte perterrebatur, si in agonia constitutus ingemiscebat, deficiebat & ipsa; si ab Angelo confortabatur, confortabatur & ipsa; si suos Apostolos dormitabundos excitabat, suos ipsa sensus languore oppressos; si à Iuda prodebatur, dolebat; si tradebatur, flebat; si comprehendebatur & vinciebatur, suspirabat; si Ioannes cuncta quæ contigerant nuntiatum venit, nouit illum in via esse & haud procul distare. Psal. 123.

23. Quàm verè Iesus meus ceu magica quædam matri huic imago fuit! illius enim sudores hanc liquescere faciebant, illius puncturę ipsam compungebant, illius malis enecabatur, illius passio corporis quædã erat compassio cordis huius. O Iesu, ô Maria ô Iesum Mariæ, ô Maria in Iesu! O sol! ô luna! ô Gemini in dolore pares, ô gemina poma Armenię, quorum vnum si transfiguratur, punctura pertransit ad alterum! O admirabilem filij & matris vnionem! ad Iesum ite, fratres, per Mariam; nam *inuenietis Iesum cum Maria matre eius.* Amoris horum vnio ne morte quidem ipsa dissoluetur. Matt. 2.

24. Ecce autem Ioannes vix sui præ stupore compos & anhelans è cursu, castelli portam pulsat: iam tum præsaga mali mens Lazaro, tribus Marijs, & Marthæ

nescio

nescio quid sinistri portendit, ex agonia matris filij discunt angustias, & ipsa pœnitentium amantium Regina amoris sui pressa solicitudine nescio quid infortunati augurabatur.

Aene. 4. *At regina dolos (quis fallere posset amantem?) præsensit.*

25. Iuueni ergo huic discipulo, an timor gressus pennificarat, (vt qui talis imminere lictores credebat) fores de nocte aperiuntur, magno is auens impetu rectà ad materteræ suæ, scilicet Deiparæ properat cubiculum: eam dum pallentem & dolore confectam videt, ei dolor increscit, & loqui non valens neue eam solari, ad eius pedes defectis viribus semianimis procidit, vt quidem deuotè pius meditatur Bonauentura Hui! quàm triste hoc nuntium! hîc Lazari gemitus, illic Mariæ Iacobi Ioannis Matris lamenta, Mariæ Salomæ ac Marthæ planctus alia parte exaudiri. Quid verò tu non agis, Magdalena? omnia scilicet, quæ agere suadet furor, cùm sensibus prædominatur. Vos porrò gemitus, vos lamenta, in

Ierem. 17. *inscrutabilibus cordis* mei cauernis sonate & resonate.

26. O sublimem contemplationis materiam! hic te,

Thren. 3. anima mea, *leua super te*, & matrem hanc incomparabiliter plus ceteris dolentem considera, considera in-

Prou. 31. quam quomodo *mulier* hæc verè *fortis*, quam describit Sapiens draconis (doloris inquam, à quo deuorabatur) domitrix (DEVS bone quid hoc rei est?) turbam hanc afflictam & prostratam solari & lenire incipiat, illorum animos ad suaue diuinæ voluntatis iugum subeundum inducendo.

27. Tu, ô rupes in medijs maris, quod *omnes fluctus*

Psal. 87. *suos induxerat super te* fluctibus sita, es quidem impetita & oppugnata, sed non expugnata. O cor omnium cordium fortissimum, ô rupem constantiæ, ô columnam soliditatis, ô incócussibile fidei, spiritus, & amoris statumen! Et verè. videte enim, vt ipsa prior manum porrigat, quò cognatum Ioannem à deliquio animi

animi, sibi restituat, vt triste eius nuntium præoccupet, & vt rem omnem ex ordine, omnesque eiusdem inconstantias ipso teste oculato melius enarret. *Audiebant cœli quæ* virgo hæc *loquebatur, & terra* omnia *verba oris* eius, quæ in animos afflictos & deiectos nō aliter distillabant, quàm *vos super herbam*: & pluuiæ *stillæ super gramina*. Quid igitur verear te inposterum, ô clementissima Virgo, in hisce filij tui doloribus inuocare, cùm eos mei causa ipsa in suauitates ac delicias conuertas? *Benedicta* itaque *tu* esto in æternum *inter omnes muli res*. Amen. *Deut. 32.*

28. Credebam profectò supremo hoc nuntio ita crudo ac malè digesto generosum hunc animum Virginis percellendum, vti Regis illius quem siccis ferunt historiæ, cum & filij & vxor ab aduersario à quo superatus erat, in conspectu eius obtruncarentur, oculis immobilem perstitisse; at, cùm è domesticis famulis vnum flagris cædi cerneret in lacrymas ilicò prorupisse: priores siquidem dolores eum obstupefecerant, & leuis hæc plaga posterior expergefecit: nā, vt vulgò dicitur, dolor exiguus solet mouere, ingens obstupefacere. At nihil horum in Virgine nostra generosa locum habuit: tam enim *super pauca fidelis* est, quàm *super magna, benedicens Dominum in omni tempore*, & *paratum cor* eius erat *ad faciendam* sanctam *voluntatem* eius. *Matt. 25. Psal. 33. Psal. 107.*

I. Eiusne ergo anima ad ingentes hasce plagas & concussiones omnis erat sensus expers? Nequaquam: quinimo omnium & tenerrima erat & sentientissima. sed vt incredibilem interius in animo sentiebat cruciatum, ita summum exterius modestiam & æqualitatem præferebat: in hoc lauro dissimilis, quòd ardere nosset & tacere, & non crepare. II.

2. Quàm verè cum lamentante dicere PROPHETA poterat: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* vt enim eos quos inebriauit absynthium, stupor quidam occupat, qui mente *Thren. 3.*

qui-

quidem ipſos alienat, ſed omnem è corpore ſenſum tollit; ſic ſancta hæc Virgo foris quidem apparebat immobilis, grauiſsimos tamen intrinſecus patiebatur cruciatus.

Prou. 31. 3. Poteſt te, *ô mulier fortis*, malum quidem extremè affligere, nullum tamen dolentis è te geſtum extorquere. O vera Niobe, præ triſtitia lapideſcens, lacrymas quidem ſanguineas emittis, minus tamen immobilis & inconcuſsibilis es. *Ouid. 6. Metam.*

4. Videntur, ô benigniſsime Redemptor, corporis tui dolores, adeò tamen viſibiles, palpabiles, ſenſibiles, meos detinere quidem oculos poſſe, etſi alioquin ſpiritus meus illorum infinitatem comprehēdere nequeat: ſed bona cum venia tua dixero, cordis ſanctiſſimæ matris tuæ cruciatus, planè mihi inſcrutabiles videri: ſicut enim vt quis de materno amore dijudicet, mater ſit oportet; ſic quoque de materno dolore loquatur.

5. Et eius quidem matris, quæ

Nec primam viſa eſt ſimilem, nec habere ſequentem.

Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Siquidem quoad corpus, ipſa, Redemptoris erat ſimul & pater & mater; adeò vt, dum illum ipſa amitteret, duplicem ſentiret dolorem. Erat adhæc mater Dei, quæ infinita quædam erat dignitas: erat ergò dolor eius infinitus, ſi modò cadere in creaturam infinitum quid poſset. Talem quoque amittebat filium, qualis nullus vnquam exſtitit, nec qnoad corpus, nec quoad animam. Huius igitur amiſsio extremum dolorem naturalem inuoluebat. Erat inſuper Deus atq; ideò & ſupernaturalis eius dolore amiſſo extremus erat. Vlterius ne progrediare temerè euolans cogitatio: ſed hic ſiſte? Anne enim vltra diuinitatem euolare vis? *O vos omnes qui* hîc præſentes adeſtis, *videte ſi eſt dolor ſicut dolor* eius: vt quæ & incomparabilis eſt mater, & ob eum dolet filium, cui *non eſt qui ſimilis ſit.* *Thren. 1.*

6. Pro-

6. Propheta quispiam dicit, *Planctum vnigeniti fac* Ierem. 6.
tibi. qui vt summum quendam dolorem exprimat;
patris aut matris in vnigeniti filij, qui senectutis decrepitæ atque vltimæ vitæ futurus esset baculus, morte plangentis similitudinem adhibet. At quàm omnia hæc parua & indigna sunt, vt cum MARIAE quis dolore qui incomparabilis est (*insanabilis est plaga eius*) ea comparare audeat? Ierem. 30.

7. O Mara, ô Maria, ô amara! lignum crucis adeò non has angustiarum *aquas animam* tuam *intrantes* Exod. 15.
dulcorabit, vt etiam maiorem ijs amaritudinem sit Psal. 68.
additurum.

8. Verè non amplius iam Noëmi es, sed Mara, cùm Ruth. 1.
amaritudine ita te *repleuerit omnipotens.*

9. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque* Cant. 2.
camporum; vos inquam, animæ piæ, & vos inprimis; fratres & sorores, qui sodalitati Rosarij Virginei nomina dedistis, per insigne studium, quo erga communem hanc matrem omnium nostrûm ferimini, coniuro, vt eius doloribus compatiamini. Nulla vnquam talis constitit mater, nec talis filius; neque talis visa amaritudo est.

10. Sed quo pacto id facere poterimus? aliquod scilicet, quod in filij eius obsequium referatur, sacro hoc pœnitentiæ tempore opus faciendo; nam *testimonium amoris, exhibitio est operis*. Manu enim *diligendus* est Deus, *non* modò *lingua & verbo*, ait Apostolus. 1. Ioan. 2.

11. Si, ipsa tametsi Dei mater, grauissimè & plus ceteris in filij passione afflicta fuit, & per spinas has ad rosas gloriæ peruenit; nostrane ea futura imprudentia ac temeritas, eam vt viliori nobis pretio dandam existimemus? nequaquam fratres; *si non compatimur,* 1. Tim. 2.
non corregnabimus.

1. Matris huius afflictæ dolor, fratres, adeò (vt verũ III.
fatear,) magnus est, vt dum eundem excutio, limites meos excedam, eiusq; nec exitum, nec finem, nec ter-

minum inuenire queam: deinde cùm ipſa eius excellentia prorſus Angelica ſit, Angelorum linguæ conuenientiorem hanc materiam iudico: vt tamen aliquam ſeligamus, in qua, vtpote tenuitati noſtræ commenſurata, tutò hærere poſsimus, non incongruum fore videtur; ſi ipſos pœnitentis Mariæ dolores & animi amaritudinem deſcribamus. Quos vt rudi quodã modo intelligatis, fingite vobis, ſpõsũ aliquẽ, in vrbis direptione, è ſponſæ & amatæ & amantis brachijs violẽter ab hoſte ingruẽte abripi & abduci. Talẽ itaq; peccatricis noſtrę iam cõuerſæ plãctũ & ſenſum fuiſſe exiſtimatote, audito eũ iam vi comprehenſum & abductũ, qui vnicus cordis ſui erat amor & obiectum.

2. Vbinam aiebat, mi lucidiſsime Sol, in tetra duri huius deliquij caligine colluces? ecquas vtiliùs iam tenebras, quàm haſce negligentiæ meæ illuſtrares?

3. Non tibi is erat (próh miſeram te!) in Phariſæi menſa, ſed in ſupremo hoc caſu ſequendus: ad illius immolari pedes, & honeſta occumbendo morte ardentis fidei tuæ ſignum dare debebas. Quàm *glorioſum hoc ſepulchrum* mihi foret, quàm carum martyriũ, quã ſuauis ille *baptiſmus ſanguinis*, in quo ſordes & inquinamẽta mea emũdarẽtur! mihi igitur occaſio mei in eo demergenda irremediabiliter elapſa eſt.

Luc.7.

4. Quàm mihi animus graue hoccemalum ſæpè præſagiebat! memini Poëtæ dicentis,

Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet. &c.

Virgil. 1. Aeneid.

O iucundi fulgenteſq; magiſtri mei oculi! ô affectuum meorum ignes! quid impedit quò minus benigni illorum influxus in me deriuentur! Tu ad mortem tendis, vt me ſalues; & ego ſine te viuere potero, te inquam in quo *vita* mea *abſcondita eſt*?

Coloſſ. 3.

5. Ah infelix *columba*, iam nullum *cor habens*, quæque iam cares eo qui par non habet! quamprimum itaque iam extabeſce, & nonniſi *iuxta fluenta* lacrymarũ tuarũ reſide: omniſ tua poſthac reſpiratio, ſint ſuſpiria, verba, ſingultus; & vox, lamentabilis quidam gemitus.

Oſee. 7. *Cant. 5.*

6. Ipsa igitur, vt furibunda quædam Mœnas, & entheo ardore correpta, in crines suos inuehitur: Superiores vestræ, proh scelesti crines, vanitates ceu canalis sunt, è quo funes torquentur quibus Iesus meus vincitur. Vah, Apagite malè fortunati titiones, animarũ malè prouidarũ incendiarij cordium incautorum reticula & illicia: apagite pedicę & laquei, vos quippe maledicti effectus vinculorũ horũ causa estis.

7. Deinde pectus tunsionibus onerans, sic infit: Tu ô nequam pectus, cuius apparatus & molimina impuritatis omnis olim fuêre officina; tu inquam abominabilis caro, & impuræ deliciæ tuæ, in causa sunt, cur tot dulcissimus meus Iesus pati verbera & contũsiones cogatur. Tuæ, ô nefarium cor, cogitationes parum castæ, ipsum tradiderunt. Deinde brachia contorquens, Quin iam ô manus, ô nefanda brachia, quæ fœdis olim *seruistis* amplexibus & *immunditiæ* in hac comprehensione *seruitis ad sanctitatem & iustitiam*? quin hoc loco hîc adfuistis, ad dilectum meum protegendum, vel ad immanium horum militum enses in me prouocandos, quò gloriosa quadam nece corpus hoc detestabile occumberet! *Rom. 6. Ephes. 4.*

8. Finem non inuenirem, fratres, si huc adferre vellem, quæ feruens sanctarum amantium Reginæ ardor menti suggerit meæ:

9. Fingite videre vos auiculam matrem: videte inquam quomodo cernens pullos suos etiamnum implumes è nido ab immiti direptore tolli, fremat in singultus, rostro quà potest concrepet, vocula sua frẽdeat, & quamuis corpore exigua vix ouum excedat, ira tamen turgeat instar bouis. Similitudinem hanc Heliodorus mihi suggessit. In qua vt in succinctis, paucisq; mẽbris comprehensa imagine, amãtis huius mulieris affectus expressos videre vos putate, dum illum sibi cernit eripi, quem corde, oculis ac vita sua cariorem habebat. *Lib. 3. Carid.*

1. Itaque, ira simul & amore succensa, signo velut dato omnes exciet, & omnibus conuocatis, IV.

Ioan. 11. carum hunc magiſtrum conquirendum, & *cum eodem moriendum* monet. Ipſa ſuadente, aſſentiunt alij. quis enim non cum Ieſu mori velit?

2. Eia dilectiſsimi, eamus & cum benedicto hoc ſacroque manipulo, derelictum vinctumque Saluatorem indagemus. quis non vnà cum Maria nauem hanc argonautarum, ad aureum vellus conquirendum velit conſcendere?

3. Quonam ruis ſancta cohors? funus eheu! comitatum quodammodo & ſtipatum abit, Chriſtum ſcilicet ad montem Caluariæ & ad ſepulchrum vſque ſecutura; abit vt ei commoriatur & conſepeliatur, ſi fieri poſſet. Apoc. 14. *Beati* illi *qui in* DOMINO *moriuntur*. 2. Cor. 5. Beati, qui *non ſibi iam* amplius, *ſed* Ieſu *Chriſto viuunt*.

4. Hoc itaque agmen ducit Maria Deipara, latus eius cingunt Ioannes & Lazarus (non is ſcilicet Lazarus, qui hodierno in Euangelio deſcribitur, quem iam dudum Abrahæ ſinus habebat; ſed vir ille nobilis, Bethaniæ Dominus, à Redemptore Ieſu vitæ redditus.) Ponè ſequuntur Maria Iacobi, & Salome; Deiparæ ſorores, & materteræ Chriſti. Proximè veniunt Maria pœnitens, eiuſque ſoror Martha. O ſanctam piamque turbam ſupplicantium! quis ei non velit accedere?

5. Aues hæ, luce gaudentes, omnes inquam aquilæ *ſolis orientis* per horrendas noctis tenebras itineri ſe accingunt; &, quamuis vel minimus eas venti turbo perterreret, præ amoris tamen æſtu cuncta obſtacula perrumpunt.

6. Vidiſtiſne vrſas vnquam ablatis ex incunabulis à raptore catulis, fremitu horrendoque boatu omnia circum loca replentes, huc illucque curſitantes, omnes ſiluarum & montium vi imbrium angulos & receſſus peruagantes, vt catulos, quos toties lambendo & identidem relambendo figurarunt, recuperent, talem fingite vobis Mariam Matrem, quæ tot laboribus & moleſtijs cariſsimum hunc filium paruulum educarat,

rat, cum eo in Aegyptũ concedendo, quiq; toties ludibundus vlnis eam amplectendo constrinxerat. Talẽ etiam Ioannem, qui tot eius è pectore arcana deprompserat: talem Lazarum qui ab ipso vitam iam sepultus recuperarat, talem Martham, quæ tot officiosa: illi prẽstiterat obsequia: talem denique Magdalenam, vrsam illã præ amore furẽtẽ, quæ tã amanter & toties eũ vnxerát, lauerat, pedes absterserat. Ecquos verò sãctæ hæ mẽtes ex imo pectore depromũt singultus?

7. Auscultate, quomodo iam Hierosolymam ingressæ ab obuijs petant, *Num, quem diligit anima nostra vidistis? filiæ Sion si inueneritis dilectum* nostrum, *renuntiate ei, quia amore languemus.* Quàm verò diuersimodè ad postulata hæc à varijs responsum est! alij quidem comprehenso Domino compatiebantur, eiusque matri afflictæ condolebant, alij è contra tam illum quàm hanc contumelijs proscindebant, & filiũ æquè ac matrem vt malæ arboris malum fructum calumniabantur. Qui *dolorũ gladij animam* eius transadigebant. Cant. 3. Cant. 5. Luc. 2.

8. Hinc discito, frater mi, omnem mundi æstimationem & laudem parui ducere, illi enim, quem antè sex dies summo cum plausu & gratulatione exceperant, iam passim vt latroni & sicario maledicunt; ipsa etiã Deipara, vt probrosa quædã mulier, conuicijs oneratur. *Beati cùm maledixerint vobis homines.* Sinite mundanos id de vobis sentire, fratres, quod libet; si peccastis, irrisiones & sannas eorum in peccati punitionẽ excipite, si culpa vacatis, hæc ad Redemptoris & sanctæ matris eius, quæ ipsamet erant innocentia, imitationem æquanimiter sufferte. Marc. 11. Matt. 5.

9. Scriptor quidam contemplatiuus sanctam hanc turbam per ea sibi meditando fingit trãsisse loca, in quibus cruces & claui, cùm Redemptori Iesu, tũ duobus latronibus suffigendis adaptabantur. Quã crudele amãtissimæ id matri fuit spectaculum, dum mortis filij sui videret instrumenta! Magdalena verò, pia & zelosa quadam curiositate inquirens, cuius hæc in vsũ

adaptarentur, tribus ea prædonibus & sicarijs (ô horrendam blasphemiam!) inaudit parari, quorum princeps ac nobilissimus Iesus dicebatur Nazarenus. Quàm porrò id graue huic Mariæ fuit vulnus & cordolium! Blasphemas, nefanda lingua, blasphemas; etsi alioquin veritatem nesciens, proloquaris. Duo enim horum corporum sunt prædatores & facultatum; sed Saluator meus Iesus, sanctus est cordium & animarum deprædator. Meum, quæso, Iesu dulcissime, cor deprædare, tibiq; id seruans, mihi illud reddere posthac noli.

Hic filum abrumpamus, carissimi, & nobis colligamus, 1 quotnam Deipara rationibus carissimi filij sui comprehensionē scire potuerit; 2. dolori eius extremo condoleamus; 3. aut saltem peccatricis illius pœnitentis dolorem gemitusque imitemur, 4. statuamusque, & incipiamus *sponsum* nostrum *sanguinis*, ad montem vsque Caluariæ, per varias cruces & supplicia sequi, & dolenti eius matri adhærentes, ex corde illi dicamus:

Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere
Donec ego vixero. Amen.

FERIA VI. POST DOMINIC. II. Quadragesimæ.

Deducitur Iesus ad Annam.

HOMILIA XV.

Ioan. 18. ET *duxerunt Iesum ad Annam primum*: In secūda hac Redemptoris nostri patientis statione quatuor notanda occurrunt. 1. eiusdem conductio aut potius raptatio ab horto vsq; ad Annę domū; 2. interrogatio qua sacrilegus hic Pontifex Dominū interrogauit; 3. huius responsio, & 4. infamia, quæ ex nefa-

nefaria illa alapa, quam ibidem minister illi infregit, secuta est.

1. *Ecce igitur manibus iuuenem post terga reuinctum* I.
Pastores magno ad regem clamore trahebant. *Aene.2.*

Hæc magni Poëtæ verba mihi visum præmittere, vt accommoda è quibus violentam, qua lupi illi famelici Agnum nostrum raptabant conductionem aliquatenus intelligatis.

2. Ecce (cogitabam & dicebam ipse mecum) magni illius patrisfamilias filium, quem agricolę, prout in hodierno legitur Euangelio, ad mortem inferendam abducunt. *Matt. 21. Luc. 20.*

3. Ecce Ioseph, qui in cisternam, fratrum suorum inuidia, detruditur, vt in Epistola refertur. *Gen. 37.*

4. Fingite vobis, fratres, cogitatione maleficum, commisso graui aliquo scelere probrosè crati impositum ad patibulum raptari; dein dicite ne vmbram quidem hoc esse raptationis eius, qua magister noster à scel stis illis sicarijs abducetur. Nam cùm id hominum genus ad supplicium ducitur, naturaliter etiam ijs compatimur, siquidem ducuntur curru, & non procedunt pedites, equus vehens virga percutitur, non ipsi; at Redemptor noster pedes incedit, vinctus, & contunditur ab ijs ipsis, qui eius sunt carnifices & accusatores.

5. Dixit olim Comicus: *Dij quasi pilas nos homines habent*, quod in plurimis, qui homini accidunt, euentibus videre est. *Plaut.*

6. Maximè verò id habere locũ comprobatur in vicissitudinibus illis, quas in aulæ & curiæ rota conspicimus, vbi proceres & magnates asseclas suos vt pilas habent. Hîc verò vice versa fieri videas vt *homines Deum quasi pilam habeant*, Saluatorem nostrum Iesum prout effrenis dictabat furor, trudentes, pulsantes & repulsantes.

7. An nõ carissimi, feruẽs hic amator adeò delicijs, quas sibi *esse* dicit *cum filijs hominum*; infatuatus est, vt se etiam ceu pilam, tam ab amicis, quàm inimicis *Prou 8.*

micis in mysterio Eucharistico moueri & agi sinat! Quàm, ô sacerdotes, excellens vestra dignitas est, vt quoties libuerit, ore consecretis, & manibus vestris contrectetis sacrum illud corpus quod ab Angelis cœlestibus adoratur, in quo nimirum Deiparæ Matri persimiles estis.

8. Nimis quàm multis opus foret verbis, ad horribiles illas vobis exprimendas insolentias & indignitates, quas canes illi immanes ceruum nostrum exhaustum & anhelum insectantes, Redemptori Iesu irrogarunt: *Per tela, per hostes, vadit non dubiam in mortem*. Quodque omnium grauissimum est, ipsorũ Iudas rabiem & truculentiam verbis exstimulat: *Victorque si non incendia miscet*; oleum quodammodo in furoris illorum ignem coniectans.

Aene.2.

Psal.68. 9. Per opprobria hæc eum sequamur; & hæc ipsi, ceu peccatorũ nostrorum flagella, excipiamus, dicentes: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

10. Ipsa itidem temporis circumstantia iniuriam hanc non parum aggrauat: siquidem velut fur nocturnus comprehenditur & ligatur. O verè furem

Isaia 26. nocturnum! *Anima mea desiderauit te in nocte. Nox*
Psal. 138 *illuminatio mea in delicijs meis. In tenebris straui le-*
Iob. 17. *ctulum meum, Quia tenebræ non obscurabuntur à te.*
Psal. 138. Quando, ô sancte fur, cordis mei cistam in tuas consignabo manus, vt de ea pro libitu tuo statuas? quando illud diripiendo tibi tolles, vt in cœlum sustollatur & euolet, *quæ sursum sunt sapiendo, non quæ super terram*?

Coloss. 3.

11. In ipso torrentis Cedron transitu notat contẽplatiuus quispiam scriptor Saluatorem Iesum in eum
Psal. 21. à malignis his (*concilium malignantium obsidebit eũ*) coniectum esse, illo Prophetico nixus oraculo: *De tor-*
Psal.109. *rente in via bibet, propterea exaltabit caput*, etsi per hunc vulgo interpretes torrentẽ tribulationes intelligi velint: Quidquid de rei veritate sit, pia saltẽ consideratio est, cygnũ nostrum hyeme perfrigida in aquã illam coniectum, & madidum & lutulentum inde emergere videre.

12. No-

12. Notabitis hîc quoque, è Gethſemani (quod pinguem paſcuam ſonat, in qua nimirum hoſtiæ immolandæ impinguari ſolebant) illum abduci; vt diſcamus hinc, eſſe ipſum, *ſalutarem hoſtiam*, pinguedine & cœleſtis gratiæ adipe repletam, *holocauſtum medullatum*, & victimam piacularem, quæ ſola noſtri poterat redemptionem operari. Pſal. 65.

13. Diſcetis hinc rurſum vos, qui panem viliſsimum pauperibus datis, frumentum ac vinum peſsimum in decimas reſeruatis, Iudæos hos in die iudicij aduerſum vos inſurrecturos, dum vos, qui in veritatis lumine iam viuitis, in pietatis operibus vinci vos ſinitis ab ijs, qui nonniſi in tetra figurarum agebant nocte.

14 Quanta, ô anima mea, eſt inter ingreſſum hunc nocturnum in Ieruſalem & illum, quo ſex antè diebus vrbem hanc, triumphans & ouans, palmiſque prælatis inuectus eſt, diſsimilitudo! In illo clamabat populus, *viuat Rex*, in hoc, *crucifigatur* proditor; in illo plauſus & lætitia, in hoc cernitur dolor; tunc erat clara dies, iam nox; tunc ei acclamabatur vt Regi, iam negatur; tunc omnes eum admirabantur, modò blaſphemant; tunc honorificè, modò ignominiosè habetur; tunc omnes eum venerabantur, modò tundunt & trudunt; tunc veſtimenta illi ſua ſubſternebant, iam illum proprijs ſpoliabunt; tunc aſino inſidebat, nunc it pedes; tunc denique dicebatur *benedictus*, iam maledicitur. Quàm citò, ô munde, Deo tuo diſparem & alium oſtendis vultum! Idipſum & in feſtis paſchalibus videre eſt. Die vno atque altero miram quilibet ſanctimoniam præſeferunt; adeò reſipuiſſe videntur; non multò poſt tamen velut *canes* ad *vomitum reuertuntur*, & *Deum* rurſus deteriùs quàm antè *crucifigunt*. Apage igitur honores, laudes & plauſus mundi, cùm tanta ſit eorum inconſtantia & breuitas. Luc. 20. 2. Pet. 2. Hebr. 6.

1. Vt primum ſponſus noſter Pontificis huius ædes ingreſſus eſt, magno ille gaudio exultauit, quòd ſibi II.

iam, quam dudum quæsierat, praua, quæ ad *circumueniendum iustum*, & eum *ab oculis* suis amouendum, & ad *lignum in panem eius*, quò eum enecaret, *mittendum*, cogitârat, molimina exequenti occasionem oblatam cerneret.

Sap. 2. Ierem. 11.

2. Ipsum ergò malitiosè & captiosè de discipulis, deque doctrina interrogat, & quidem ordine præpostero (ira quippe præceps sensus ac mentem turbârat) quòd doctrina faciat discipulos; vtque omnibus nobis hinc pateret, quàm *spirans* esset *minarum & cædis in discipulos*. In quo pares illi sunt, quicumque aliquem exosum habentes, omnes etiam illius amicos, & quotquot illi fauent, exosos habent: quod ad mundanos ita passim iam locum obtinuit, vt quicumque aliquem habere amicum voluerit, *inimicus inimicis* eius simul necessariò sit oportet, quod magna iniustitiæ species est.

Act. 9.

3. Interrogatio hæc cornuta & dilemmatica, duo simul complectens capita disparata, me docet, periculosum quoddam instrumentum esse scientiam, in homine scelesto. An non enim apprimè noxium & malum est, idcircò tantùm medicum callere, quàm ad alios intoxicandos; iurisprudentiam, quàm ad vitilitigandum; & Theologiam, quàm ad hæreses procudendas?

4. Scientia, bonus quidam ignis est, dum ea legitimè riteque vteris; vt noxius, dum abuteris, gladius est in manu amentis; si quando peruersam animam occupârit, ipsa eum docet malè agere & eò peccare perniciosiùs, quò dexteriùs & subtiliùs.

5. Polypodis caro in stomacho malè affecto & cathexia laboranti non digeritur, & mira excitat phantasmata; ita scientia in animo peruerso nouas inauditasque opiniones producit. hanc ob causam dixit Aristoteles, dum nimis multa scire volunt homines, de multis rebus dubitare incipere.

Ioan. 5.

6. Nunquam eam scientiam suspicite, fratres, quam nulla sequatur & foueat probitas. *Lucerna ardens & lucens* simul sit oportet. 7. Dæ-

7. Dæmon, idem est quod sciens & doctus; adeò vt τò vir sciens, idem sit quod vir dæmon, & verè. Nam vt vir probus & doctus, verus est Angelus, cuius scilicet partes sunt purgare, illuminare, perficere; ita doctus & improbus, verè diabolus est incarnatus.

8. Non sic quærenda scientia est. Sic omnes hæresiarchæ docti fuêre quoad intellectum, sed in voluntate fuêre deprauatissimi; & eò venêre insolentię, vt suam tandem scientiam doctrinamque ad veritatem Rom. 10.
oppugnandam, Spiritui sancto contradicendam conuerterint.

9. Bona Philosophia hominem doctum reddit, at Coloss. 2.
vana & sophistica, vt loquitur Apostolus, imponit & illaqueat.

10. Scientia itaque cibus quidam inflatus & vento- 1. Cor. 8.
sus est: *Scientia inflat*. Ipsa est quodammodo sublimati superbiæ quinta essentia.

11. Sed sicut *iuuenes vt femina compti* luxus suspecti Ouid.
sunt; atque vt fucus & leuiculus mulierum ornatus, Heroid.
illarum indicat impuritatem; ita nemo est quin intelligat, ac videat, eloquentiæ lenocinium, & curiositatis in sciendo nimietatem ac fucum spiritualem quendam luxum esse. Quis verò non plangat, dum hodie castum, nudum ac simplex Dei verbum indignis adulterinisque coloribus passim à sciolis videt conuestiri, & matronam illam pudicam meretricio indui schemate. Audite disertorum horum vanitatem: *Dixerunt, linguam nostram magnificabimus*, &c. Psal. 11.

12. Facesse igitur scientia, quæ non habes conscientiam. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*, Psal. 118.
aiebat Psaltes, bonitatem & humilitatem illi vt fundamentum & basin assignans.

13. Viuat itaq; *scientia Sanctorum*, illa inquam, quæ Sap. 10.
benè doceat viuere potiùs, quàm benè loqui: atque illa verè *donũ scientiæ* est à Spiritu sancto dari solitum: Isaia 11.
hinc etiam id donò pietatis proximè adnexum est. Psal 93.
Hanc Deus *hominem docet scientiam*, quia *scientiarum Dominus* est, sed *scientiarum ædificantium*, & cum 1. Reg 2. 1. Cor. 8.
charitate coniunctarum.

14. In hac Pontificis interrogatione Hæreticorum item morem agendi notate, ſemper interrogantium & petentium, *quomodo*: adeò nimirum lapidem Lydium, illorum dogmata metuunt, vt ſemper ipſi primi interrogent, ſemper *fluctuantes omni vento doctrinæ*, *arundines* omni flabro *agitatæ*, *ſemper diſcentes*, *& nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*.

Epheſ. 4. *Matt.* 11. 2.*Tim.* 3.

15. Id in Samaritana muliere ad oculum cernere eſt: vt enim primùm in congreſſum cum Domino venit, ſtatim quæſtiones illas mouere cœpit, quæ inter Iudæos & Samaritanos tunc temporis vulgò diſceptabantur. Hæreſis namque quædam ſpiritualis eſt prurigo ac depaſtio, nullam eis niſi in confricatione ac motu requiem concedens, Catholicos verò, *ſuper firmam* fundatus *petram* id genus vacillationes non experitur; ſed Eccleſiæ matris ſuæ, quæ errare nequit, fidei adhærens, & ad eam ſeſe dirigens, in illius gremio, non ſecus ac puer in nutricis ſuę vlnis, ſecurus & *in pace requieſcit*.

Ioan. 4. *Matt.* 7. *Pſal.* 4.

III.

1. Redemptor tamen Ieſus, matris huius noſtræ ſponſus declaraturus *paratum* ſe eſſe *ad ſatisfactionem* doctrinæ *omni poſcenti ſe rationem de ea*, intrepidè reſpondet: *Palam locutus ſum mundo*. Hinc duo præclara documenta haurimus. Primum, ipſos concionatores, qui *argenteæ* Eccleſiæ ſunt *tubæ*, concernit, vt nimirum ſui dignitatem agnoſcant miniſterij: ſunt quippe ceu canales, per quos Spiritus ſancti eloquia profluunt. Scriptum namque eſt: *Quando ſteteritis ante reges*, &c. *non enim vos eſtis qui loquimini*: ac proinde audacter & intrepidè quidquid Spiritui S. ipſis placebit ſuggerere, ſine vllo alicuius diſcrimine, aut perſonarum acceptione proloquerentur. Hac de cauſa de ſe aiebat Pſaltes: *Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.*

1.*Pet.* 3. *Num.* 10. *Matt.* 10. *Pſal.* 118.

2. Nathan Dauidem, Iſaias Ezechiam, Michæas Achabum, Ioannes Herodem, Ambroſius Theodoſium, S. Bernardus Regem Gallorum intrepidè alloquentes, illuſtria ſunt Angelica & Euangelica huius animoſitatis exempla.

2.*Reg.* 12. 4.*Reg.* 19. 3.*Reg.* 22. *Mar.* 6.

3. Non

3. *Non erubesco Euangelium*, aiebat Apostolus: *vir-*
tus est enim Dei, & *vox Domini in virtute, vox virtu-* Rom. 1.
tis & magnificentiæ, vox cõfringens cedros: spiritus ve- Psal. 28.
hemens cõterens naues. Si verò vel minimũ *fidei granũ* Psal. 47.
montes transfert, (*fides ex auditu, auditus autem per* Matt. 17.
verbum Dei) minimè dubitandum, quin verbum hoc Rom. 10.
animosè prolatũ, vniuersum sit mundũ concussurum:
Vox Domini cõcutientis & cõmouentis desertũ Cades. Psal. 28.
4. Nobis ô *lingua ignea*, sacra Ecclesiæ dos, *eloqui-*
um ignitum, quod Ananiam & Sapphiram consterna- Act. 5.
tos afflabas, nonnisi frigidi cineres tui hodie super-
sunt, & de pristino feruore tuo vix congelata quædam
frustilla. Non tamen quòd *Angelorum linguis* non *lo-*
quamur : sed quonam abijt *charitas*? *Omnes quæ sua* 1. Cor. 13.
sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.
5. Alterum documentum eos spectat, qui pietati se Philip. 2.
dediderunt, ne suam scilicet inani quodam pudore
profiteri & exercere deuotionem erubescant ; non
quòd velim eos iactare se, quòd pij sint; sed tantùm
quòd pietatis studio & desiderio teneantur. Nullius
itaque maligni inspicientis oculos vereamini; sed be-
nè agere pergite. Magnum discrimen est, inter benè
facere vt videaris, & videri quòd benè agas. Vestra
itaque *lucerna* in Israël, & *coram omnibus* luceat, vt in
operibus vestris non vos, sed ipse glorificaretur Deus Matt. 5.
palam cum Christo *loquimini mundo*. Ioan. 5.
6. Hęc libera Redẽptoris respõsio liberæ illius vale-
dictionis, quo paulò ante obitũ Samuel vniuersũ Is-
raëlem alloquebatur, mihi refricat memoriã, quani-
mirum in suam iubebat ab omnibus vitam inquiri, 1. Reg. 12.
seque paratum ostendebat in duplum resarcire, si
quem facto vel verbo offendisset. *Venit*, Domine, *prin-* Ioan. 14.
ceps huius mundi, & in te non habet quidquam. Vide-
bimus pòst paulò innocentiam tuam cognosci, agno-
sci & publicè declarari etiam ab ijs, qui tę morti ad-
dicent. Et *inimici tui erunt iudices*. Quàm, ô munde,
malignus es, cùm nec ipsa quidem apud te tuta sit in-
nocentia!

7. Ad

7. Ad alteram de discipulis quæstionem nihil prorsus Redemptor respondit. O silentium, quod multâ tuâ nos linguâ doces tacere, quando defectuùm alienorum propalandorum sese offert occasio! Optima compescendæ obtrectationis est ratio, coram detrahente conticescere, & subfrigida responsione aut replicatione illi quodammodo indicare displicere nobis, *dictis absentum rodere vitam* Sat domi nobis negotiorum est, vt in aliorum non sit opus vitam & actiones minutim inquirere. Hoc quippe otio abundantium & malignarum est mentium.

IV. 1. Prudens hæc & consentanea adeò Saluatoris reponsio, scelesto cuidam ministro adstanti, nimis acerba & acris visa est; qui zelosum sese pro honore pôtificio ostendens, ingentem Domino colaphum infregit manu, quæ manica ferrea obarmata erat, vt nonnulli piè contemplantur. Hoc loco è veteribus quidam Patribus exclamat: *Obstupescite cœli de serui impudentia, de Domini patientia.*

2. Vbinam eratis Angeli, cùm speciosus ille vultus, (cuius videndi desiderio adeò inardescitis, quem-
Exod. 13. que videntes semper intueri concupiscitis aspectu
2. Par. 32. nunquam saturi) tam atrociter alapâ contunditur?
Num. 23. tu scilicet inprimis, qui Aegyptios olim ad vnum omnes primogenitos nocte vna interfecisti: tu qui talem in castris Sennacherib stragem edidisti: tu qui ignito
4 Reg. 6. mucrone Balaamum Israëli vt malediceret abeuntem, confodere parabas: vos quoque, qui curribus
Gen. 32. igneis inuecti Elizæo in auxilium properabatis: vos, qui armati Iacobum estis comitati: vos denique for-
Cant. 3. tes *lectulum Salomonis* circumstantes, vbinam eratis?

3. Rem nouam & miram. Ecce, magnus Abrahæ
Gen. 22. Deus Angelorum retinet manus, vt suus Isaac immolaretur.
Gen. 19. 4. Vbi iam ignes tui & fulgura sunt, cœlum, qui-
4. Reg. 1. bus & nefandam Pentapolim, & pseudoprophetas Eliæ & filijs Eliæ aduersantes, disperdidisti?

5. Vbi-

5. Vbinam tuæ, ô mare, absorptiones, quibus Ægyptios absorbuisti? Exod. 4.
6. Vbinam tuæ, ô terra, dehiscentes apertiones, quibus Abirones deuorasti? Num. 26.
7. Vos olim vrsi illatas prophetæ à pueris contumelias verborum tam immaniter vlti estis, quin iam hanc Regi Prophetarum irrogatam re iniuriam vindicatis? 4. Reg. 2.
8. Quando, ô amantißime sponse, genam hanc video contusam, & sanguinem ore tuo, naribus & auribus è graui hoc verbere, quod simul terræ te afflixit, prorumpentem, verborum illorum sponsæ tuæ mihi in mẽtem venit: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, & sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs.* Cant. 4. & 5.
9. Sed videte, quomodo aroma & suffimentum hoc contusum suum exhalet nidorem, scelesto huic ministro amanter, sicut ante Iudæ, eum vt conuerteret respondit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*; (simul etiam alteram, vt contemplatur piè nonnemo, illi genam, prout in Euangelio suadetur, cædendam præbens, iuxtà id Prophetæ oraculum, *dabit percutienti maxillam*) *si non, quid me cædis?* illum quodammodo inuitans, vt delictum agnosceret, & ipse agnoscenti ignosceret. Ioan. 18. Matt. 5. Thren. 3.
10. O patientiam admirabilem, & prodigiosam! non discamus, inquit Augustinus, à Domino Iesu ea quæ imitari non possumus, puta mundos creare, aut mortuos ad vitam reuocare; sed discamus mites esse & humiles corde.
11. Diogenes cum colicis doloribus domi acerrimè colluctans, & quidem sine vllo gemitu, illos irridebat, qui ad venationes ferarum in arena spectandas properabant, se verò non considerabant, qui magna doloris belluam opprimeret patientia.
12. Adolescens è studijs philosophicis suis reuersus, à patre quidnã didicisset interrogatus, tacuit. Pater eũ tacere ratus, quòd nihil dũ didicisset, contumelias multas in eũ cũ euomisset, plagas insuper inflixit; quas

quas cùm filius æquanimiter pertulisset : Didici, inquit, modestè generoseque patris irati & contumelias & verbera pati. Ne, obsecro nos Christianos hi Ethnici confundant : & in irrogatis nobis inimicis incredibilem prototypi nostri patientiam quadamtenus imitemur.

13. S. Malachiæ cùm insignis illata esset in Hibernia ignominia, & eam ipse patienter tulisset, non multò post mortuum ad vitam reuocauit. Miraculi huius fama cùm longè lateque diffunderetur, omnes eum passim mirabantur: at S. Bernardus, miraculum, quod per eum patrârat Deus, intelligens, non tanti id fecit, quanti quod propter Deum Malachias erat perpessus opprobrium.

14. Suis quidam in actionibus omnibus mirabilis fuit S. Carolus Boromæus, at maiorem nulla laudem meo iudicio meretur, quàm quòd, cùm pro concione sæpiùs ab eximio quodam pij instituti concionatore coràm & in facie reprehenderetur ac sugillaretur, æquo ipsas contumelias animo tulerit, & ipsis improperijs sit gauisus. Hoc scilicet prodigio simile est, & miraculum planè admirabile. *Quis est hic ? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua*; qui non *respexit in vanitates*, sed qui contrà *gauisus est in tribulationibus*, cum Dauide dicens: *Amputa opprobrium, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda.* Et est reuera Apostolica quædam virtus, *gaudere in contumelijs.*

Eccl 31.
Psal. 39.
Coloss. 1.
Psal. 118.
Act. 5.

Ex his quæ dicta sunt hactenus, discite 1. huic Domini raptioni compati, 2. scientiam detestari, cui comes non sit conscientia, 3. Deum orate, vt prædicatorum zelum adaugeat, & in conuicijs & improperijs irrogatis silentium seruate, 4. admirabilem Redemptoris Iesu, qui verè *longanimis, patiens, & multæ misericordiæ & verax est*, patientiam obstupescite.

2. Esd. 9.
Psal 102.
Psal 85.

DOMINICA III. QVADRAgesimæ.

Ablegatio ad Caipham.

HOMILIA XVI.

ET *misit eum Annas ligatum ad Caipham*, &c. *Ioan. 18*
Hæc tertia est Dominicæ Paßionis statio: ad *Matt. 26.*
cuius initium, noua contemplabimur vincula, *Marc. 14.*
quibus iussu Annæ, & fortè Iudæ instigatione, carnifices hi Redemptorem Iesum vinxerunt, quò eum ad Caipham abducerent, 2. falsam aduersus innoxium & purum hunc Agnum adinuentam accusationem, 3. Pontificis ipsius interrogationem, 4 denique Christi responsionem.

1. Si quis à te, malefida Dalila, peteret, quanam de *I.*
causa Samsonem tuum, quem tam perditè te diligere
fingebas, Philisthæis iuratis eius hostibus prodideris, *Iud. 16.*
quam, obsecro, afferre posses aliam, quàm insignem perfidiam tuam? Quænam te, ô nefaria synagoga &
Ecclesia malignantium, alia causa mouet, vt rursus no- *Psal. 25.*
uis vinculis oneres eum, qui Samsone ipso fortior est, quàm vnica tua inuidia, quæ rutilum virtutum eius splendorem ferre nequit.

2. Vos ô noui nexus, infelicium illorum mihi refricatis vinculorum memoriam, quibus quotidie
peccatores de nouo constringuntur, & *funibus cir-* *Psal. 118.*
cumplexis ligantur, deterioribus longè, quàm nodi sint Gordij, qui dissecandi sunt, non enodandi. Vos illi estis laquei, quos per visum conspexit S Antonius. Quàm vestras pauci effugiunt pedicas!

3. Suis in Confeßionibus à ferrea primùm voluntate se constrictum fuisse, Augustinus confitetur, deinde à praua consuetudine, quæ scilicet longam habitus è plurimorum actuum repetitorum ansulis contextam catenam efformat.

4. Interdum quidem ea per Confeſsionem abrumpuntur: at, dum tacita adhuc in corde peccandi latet voluntas, canibus haud dubiè perſimiles ſumus denuò ad ea, quæ ante reliquerant redeuntibus, ſed ſuum vbique trahentibus lorum, vel etiam mancipio ad triremes damnato, quod quamuis à ſcalmo diſſoluatur, ſuam tamen quocumque catenam circumfert.

5. Qui in idem poſt pœnitentiam cœnum prolabuntur; adinſtar ſeruorum fugitiuorum & in priſtinum retractorum, vel vt captiui fracto carcere erumpentes à diabolo habentur, ſuper quos reductos cu-
Matt. 12. ſtos vigilat accuratiùs, & quos ideò arctiori vincit compede, adeò vt fiant *nouiſſima* eorum *peiora prioribus*. Atque id Euangelio hodierno docemur.

6. *Abyſſus* vna *abyſſum* alteram *inuocat*, peccatum
Pſal. 41. vnum ad aliud viam ſternit, *ſuperbia aſcendit ſemper*,
Pſal. 73. atque idem de reliquis peccatis iudicium eſto.

7. Dauid commiſſo adulterio factus eſt homicida.
2. Reg. 11. Salomon item poſt mulierum alienigenarum ample-
3. Reg. 11. xus, idola coluit. Infauſta hæc vincula & catenas, quæ è ſcylla in charybdim nos abripiunt, per Deum obteſtor, excutiamus fratres.

8. Vos potiùs, dulcia, noua, & pulchra Domini noſtri vincula, nouis corda noſtra nexibus conſtringite, ne poſthac ampliùs à vobis diſiungantur. Ipſa etiam ſpiritualia & ſacra vincula non minùs adaugentur ac multiplicantur quàm noxia. Amor, veluti flāma & increſcere poteſt, & decreſcere. Hãc etiam ob cauſam in Eccleſia oramus: *Da nobis Domine charitatis augmen-*
Pſal. 83. *tum. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.*

9. Animarum piarum feruorem diuinorum auget recordatio beneficiorum: quæ verè vt lignum eſt, quo diuinus ille ignis fouetur: & vetus ille ait: *Quædam ſibi concinnauit vincula, qui alteri beneficia contulit.*

1. Reg 18. 10. *Anima Dauid conglutinata erat animæ Ionathæ*: Ionathæ inquam qui tunicam, arcum, ſagittas, gladium, quin & cor ſuum, illi tradiderat. Quid verò nos

Domino

Domino Iesu, à quo amplissima beneficia accipimus, præstare debemus aliud quàm, vti hodierna commonemur epistola, *Ambulare in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo in odorem suauitatis.* Cũ nos ipse nobis dederit, hoc ipsũ illi cor reddamus, quod ab eo ante accepimus, & hoc si habuerit aliud nõ requiret. Ephes. 5.

Placatur donis Iuppiter ipse suis.

Si eum dilexerimus, vti eum à nobis diligi volumus credi, haud inuiti exiguum hoc extremo & vehementissimo illius amori rependemus, cùm scriptum sit: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* Cant. 8.

11. Sed videte, quomodo hæc pietatis vniuersa vincula inuicẽ cõnectãtur: vna enim Cõmunio viã sternit ad aliã, vna Cõfessio trahit aliam. Ex quo enim semel sapere palato cœpit sapida illa animæ pax & securitas, spiritus tranquillitas, & *securæ conscientiæ* suauitas, quæ ceu *iuge quoddã sacrificium* animã oblectat; quàm allia Aegypti, id est, sæculi voluptates, desipere & fastidium generare præ *manna* illo *absc ondito* incipiunt: *Cùm augentur dona, rationes* (addo, *& cognitiones & gustus*) *crescunt donorum.* Prou. 15. Apoc. 2.

12. Deuoti aliqui Scriptores contẽplantur, immanes hos sicarios ingentem collo Domini rudentẽ illigasse, alij, ferream catenã superimposuisse, & vtrumq; fortasse verè contigerit, tanta scilicet eorũ rabies erat & barbaries. Simul etiam vt hinc ipsi discatis, si *funiculis* sericis & amoris, quos vobis prædico, ad Deum non attrahamini, cauendũ esse, ne ferreis grauibusq; Adæ catenis grauatos vos pertrahat. Auditisne qualiter ille iam auribus vestris circũstrepât, pestis haud procul hinc Geneuæ grassatur, bellum & fames, (quæ vt plurimùm sociãtur) in prouincijs quas bellici motus occupârunt; è quibus horrenda & deploranda ad nos quotidie sermone ac litteris perferuntur? An non contremiscitis, *paries cùm proximus ardet?* Osee 11.

13. In his verò funibus & hac ad Caipham abdu-

ctione notare insuper vos immanium horum carnificum insolentias volo, quas ipse taceo, quò seriæ vestræ inuestigationi excutiēdas relinquam, simul quoque Domini Iesu in hisce malis constantiam, quò plus toleret, tolerantiorem; quò magis opprimitur, magis aduersus mala obluctantem; sicut incus, ictibus
Mat. 17. & tunsionibus, duriorem; vt palmá, aduersus pondus sursum magis enitentem; vt crocus contusus, magis increscentem; vt granum sinapis Euangelici, quò plus conteritur, odoratiorem; vt abietes nostræ in niuibus nostris, magis vernantem admiremini. In mari quidem hoc turbulento nauicula eius agitatur, sed comminui aut conteri nequit.

14. Quare hoc in spectaculo occinere meritò illi
Psal. 118. possumus: *Multiplicata est super te iniquitas superbo-*
Ibid. *rum. Superbi iniquè agebant vsquequaque. Multiplica-*
Psal. 31. *ta sunt super te flagella. Superbit impius, incenditur*
Psal. 9. *pauper*, est enim in *plagis supra modum.*
2 Cor. 11.
11. 1. Sic quidem corpus eius tunditur; cor verò falso impetitur testimonio, quod aduersus eius producitur innocentiam. Innumeri quidem testes prodibant,
Exod. 8. vt sciniphes in Aegypto: *Sed non erant conuenientia*
Gen. 11. *testimonia* eorum. Deus quippe, vt in turri Babel, *di-*
Psa 104. *uiserat linguas eorum, fremebant gentes & meditaban-*
Psal 2. *tur inania.*

2. Tandem duo perfrictæ frontis exsurgunt, qui col-
Ibid. lato inter se consilio *adstiterunt & conuenerunt in vnū aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Textus Euangelicus habet, *nouissimè venerunt duo falsi testes.*

3. Taceo hîc, falsos testes veros esse filios diaboli, qui pater mendacij est, & nullas ijs in ciuili societate pestes esse capitaliores, in quos digno satis animad-
Isaia 5. uerti non potest supplicio, quod *dicant bonum malum & malum bonum, iustificantes impium, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* O rem detestabilem!

4. 5. Romæ olim falsi testes è saxo Tarpeio præcipites dabantur. Quò etiam refero, quod deuoti aliqui passio-

paſsionis Scriptores aſſerunt, nimirum Dominum duobus hiſce teſtibus in mortem vltroneam vt præcipitarent prædixiſſe, vti & Iudæ proditori, qui laqueo *Pſal. 51.*
vitam abrupit. Et meritò quidem, quòd ad *verba deſcendiſſent præcipitationis, linguâ doloſâ, & ſermonibus odij circumdederant* iuſtum. *Pſal. 108.*

6. Ita ſe falſi Socratis accuſatores Anytus & Melitus deſperabundi præcipites dederunt.

7. Lex talionis aduerſus huiuſmodi in Deuteronomio lata eſt, nec non lapidationis ſupplicium. *Deut. 19.* *Deut. 10.*

8. Exemplo ſunt duo illi laſciui & falſi pudicæ Suſannæ accuſatores. *Dan. 13.*

9. Nō dubito, auditores, quin ſancto quodam odio & abominatione duo hæc putiſcentia ora, quæ immarceſsibilem Domini Ieſu innocentiam inobſcurare, & marcidam reddere fœtido ſuo afflatu conata ſunt, deteſtemini; quid verò de ijs dicemus, qui eos imitantur?

10. Quinam verò ſunt hi? illi, prô dolor, qui de Deo ſemper expoſtulant, ſua ſorte minimè cōtenti, & maiores opes, pulchritudinem potentiam, ac nomen illuſtrius ſemper deſiderantes: nec non de corporis inualetudine aſsiduè conquerentes; qui ſi bona valetudine eſſent, eadem fortè ad ſuam abuterentur damnationem. Hæc ſunt de quibus vt plurimùm mundani loquuntur, hæc in colloquijs vulgò proferri audias, hæc animorum peſtis & exitium.

11. Illi quoq;, qui opes opibus ſuperaccumulant, diuinæ minimè credentes prouidentiæ. Item qui diuinum in rerum directione regimen iniquè ſugillant. An nō hi omnes falſum aduerſus Deum teſtimonium quodāmodo ferunt, ſpuentes & eiulantes in cœlum? *Pſal. 72.*

12. An non omnes hi Redemptorem Ieſum videntur accuſare? Ab his, obſecro, mummationibus & obtrectationibus cauete. Sunt enim meræ blaſphemiæ atque hoc eſt, *ponere in cœlo* dentem ſuum, & de rebus ſuperis iniquè loqui.

13. Iā verò penitiùs paulò duarū harū harpyiarum

 accuſa-

accusationem enucleemus. *Audiuimus eum dicentem: Soluã templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* Primò mentiuntur, deinde rem adferunt inanem ac merè puerilẽ. Mẽtiuntur quidẽ, quia nõ dixerat, *soluam*, sed *soluite*: Deinde suũ, hęc dicendo, ostẽdebat corpus, resurrectionẽ suam post diem tertiũ futurum innuẽs.

14. Præter ea accusatio hæc friuola est. Quòd enim Redemptorem, non vt Christum, sed vt fatuum quendam atque insensatum haberent; quis non videt propositionem hanc, naturaliter loquendo, compassione potiùs dignam esse quàm morte; nisi fortasse hinc inferre vellent eum incẽdiarium, ac templorum euersorem, (vt fuit Ephesini Erostratus) ac destructorem esse? Ecce vt *persequantur eum gratis & calumnientur*

Psal. 118. *eum superbi. Deus laudem* eius *ne tacueris, quia os pec-*

Psal. 108. *catoris, & dolosi super eum apertum est.*

15. Vultisne & alios Dei accusatores videre? Illos videte maledicos, qui pios deuotosque homines exsibilant. Nec verò his vlla irrogatur iniuria, sed Deo; quòd eius causa, quia illi seruiũt, illa his fiat: hinc *qui*

Zacha. 2. eos *tangit, tangit pupillam oculi* eius. *Zelatus estIeru-*

Zach. 1. *salem zelo magno.* Moysi quoque seruo suo palam asse-

Num. 14. ruit: *Non te spreuerunt, sed me.*

16. Cauete porrò, miselli, ne, postquam frequentem piorũ cõfitendi ac Cõmunionis adeũdæ cõsuetudinẽ carpseritis, ipsa etiã deinde Cõfessionis & Cõmunionis Sacramẽta carpere & irridere incipiatis. Exiguũ est sanè inter improbũ Catholicũ & hæreticũ discrimẽ.

17. Modò quippe aniculas has vt morosas, modò vt superbas traducitis, modò eas hypocriseos, dein auaritiæ insimulatis, alias fatuas, alias etiam stupidas & stolidas esse dicitis, & quo tandẽ nomine ac titulo eas non denotatis? Omnia potiùs facienda sunt mala, quã ipsa impetenda veritas. Sic Michol Dauidis pietatem ac feruorem *scurrilem* & histronicũ esse dixit. Sed ste-

2. Reg. 6 rilitate fuit illius obtrectatio castigata.

18. Pater, mater & fratres S. Catharinæ Senensis, pietatis eius irridebãt exercitia: at, postquã pater curiositate motus, quadã eam die per rimã conclauis mira

circũfuſam luce inter orãdũ cõſpexit, illi exinde moleſtus eſſe deſijt, & vt monaſteriũ ingrederetur (quod ſũmis illa precib⁹ antè petierat) haud inuit⁹ permiſit.

19. Sed, ô benedictæ mentes, ſpinoſas haſce mundanorum contradictiones, ceu vernantiſsimas roſas vobis à ſpóſo veſtro caſtiſsimo miſſas colligite, ſcriptum quippe eſt: ***Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines.*** Matt.5.

20. Memineritis itẽ, Balaami maledictiones inſignes Iſraëli fuiſſe benedictiones. Audite Dauidẽ: ***Maledicẽt & tu benedices: cõfundentur, & ſeruus tuus lætabitur.*** Nu.24.

21. ***Nouiſsimè ſurrexerũt duo falſi teſtes.*** Videre ne eos ad oculũ vultis? Sũt nimirũ hi duo illi noti hæreſiarches, Germaniæ hic, Galliȩ alter, ambo recȩter excuſi, & in officina principis tenebrarũ procuſi. ***Et non eſt cõſentiens teſtimoniũ illorũ***; niſi in eo, quòd illi ſponſam, teſtes hi, de quibus loquimur, ſpóſum velint ſubuertere, dicunt: ***Soluite templũ hoc***; illi: Diſſoluite & euertite Eccleſiã Rom. hanc, & ruinis illius difformes noſtras inædificabimus reformationes. Vah inſignes caſtitatis in laſciuiã, abſtinẽtiæ in ingluuiẽ, pœnitentiæ in liberrimos mores reformatores! egregia verò hæc ad reformandũ via. Sed illorum exitiũ ploremus, fratres, & cæcitatem deploremus. ***Ponunt*** enim ***lucem tenebras, & tenebras dicunt lucem.*** 2.Eſd.13. Pſal.108. Iſaia 5.

1. ***Et ſummus Sacerdos ait: Adiuro te per Deũ viuum.*** Ad quã profundã humilitatis abyſſum deſcendis benigniſsime Redẽptor, vt ceu cacodæmõ aliquis, vt ceu dæmone correptus cõiurari velis, tu, inquã, qui hodierno in Euãgelio, hominẽ à dæmone inſeſſum ab eodẽ liberas! ***Erat Ieſus eijciens dæmoniũ.*** Vbi etiã te Scribæ calũniabantur, ***in principe dæmoniorũ eijcere*** diabolos, ſed inſigni dilẽmate id fieri poſſe negas; cũ, ſi hoc eſſet, ſuũ ipſemet Beelzebub regnũ deſtrueret; ſed aſſeris in digito Dei, hoc à te fieri. Et an non tu, Domine mi, ſupremus rerum omnium es Dominus? an non tartareæ ***poteſtates ferream virgam*** tuam pertimeſcunt? non tibi illæ inclamant diris à te modis torqueri? Eſt, ô Scribæ, eſt Angelorum, hominum III. Pſal.2.

ſimul & dæmonum rex, & omnium horum creator; ſed illorum Saluator, horum verò vltimorum vindex & flagellum.

2. Ex huius inſuper Pontificis adiuratione diſcatis velim, ſacerdotis etiam flagitioſi, in virtute characteris, coniuratione cacodæmonem poſſe ad loquendum cogi: ſed ſi hic vitæ non ſatis probæ ſit, prolaturum fortaſſe probroſa quædam, quæ coniuranti non vſque adeò placitura ſunt.

Heb. 13. 3. Diſcite ad hæc, Superioribus veſtris *etiam dyſcolis*,
1. *Pet.* 2. honorem deferre, cùm nec Redemptor ipſe poſt improbi huius Pontificis adiurationem reſpondere detrectârit.

4. Prô interrogationem captioſam & malignam! *laqueus* eſt *pedibus poſitus*, & *fouea aperta* ad iuſtum
Pſal. 56. intercipiẽdum Sic enim ſceleſtus ille ſecũ rationabatur: Si enim rogem: Deine ſit filius; vel aſſeret, vel negabit. Si neget, ecce ad manum nubem quandam teſtium, qui id apud Annam eius ex ore audijſſe ſe aſſerent: ſin aſſerat, blaſphemaſſe eum inclamabo, & tan-
Pſal. 56. tum meis conatibus efficiam, vt ceu blaſphemus mor-
Eccl. 21. ti addicatur. Itaque *dentes eius arma & ſagittæ. Rom-*
Apoc. 1. *phæa bis acuta lingua* eius, & *gladius acutus ex vtraque parte*, nec non ſerpens amphiſibæna tam antrorſum quàm retrorſum lædens.

5. Eſt hæc, præterquam quòd cornuta & captioſa
Matt. 16. ſit, quęſtio maxima ac difficillima, quamque hactenus tam apertè nemo illi auſus fuerat proponere. Petrus quidem, ab eo rogatus, ecquem ſe diceret, palàm confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: ſed id ipſe ante ab eo ſciſcitari noluit, ſatis eſſe ratus, (ſicut & bonus quiſque Chriſtianus facere debet) ſanctè potiùs ſimpliciterque credere, quàm vanè curioſeque multa velle inquirere; vti hæreticus omnis facere ſolet, *errabunda regens filo veſtigia.*

6. Hic itaque implexam difficilemque illam quæ-
Ioan. 1. ſtionem τοῦ *Verbum caro factum eſt*, duobus verbulis expoſitam ac diſſolutam habetis.

7. Sta-

7. Statim ergò nefarius hic Pontifex vociferari, vestes dilacerare, inconditè temereq; exclamare cœpit. Adeò scilicet cachexia laborat: quæ omnis boni cibi venenum est.

8. Et verbum hoc coloratum non aliter videt, quàm id illi effrenis pasſionis vitrum ſpectandum offert. *Conuertit iudicium in abſinthium*, omnem rationis or- Amos. 5.
dinem loco argumentorum præpoſterè inuertens. Quamobrem cum vniuerſa Scribarum turba exclamare, & infremendo vociferari.

9. Qui, ſicut diuerſi venti colores aquæ marinæ immutant, ita leuem populum ad exclamationum ſuarum vātum ferri & rāpi faciunt, dum his ille ſuis acclamationibus ſucclamat & reſpondet.

IV.

1. *Tu dixiſti*. Eſt hæc breuis, ſancta & ſimplex Redemptoris Ieſu coram Iudice hoc Eccleſiaſtico reſpōſio Hinc docemini, in tribunalis vtriuſque iudicio fideles admodum eſſe & veraces.

2. Quando prçuia in entandæ excommunicationis, ni verum dicatis, monitio aures veſtras ferit, ſub gladio hoc igneo contremiſcite, vt *qui animam ſimul &* Matt. 10.
corpus in æternam gehennam perdere queat. *Datur* Pſal. 9.
metuentibus ſignificatio, vt fugiant à facie arcus. Quā- Rom. 1.
primum itaque *veritatem* hanc, quàm iniquè *detinetis captiuam*, ſimplici reuelatione, & ſincera depoſitione, nec factum alleuiando nec aggrauando, neue rem vel adaugendo vel imminuendo proferte.

3. Si iudex ſæcularis, manu vos ſublata veritatem rei cuiuſpiam edicere iubet, candidè eam cum metu Rom. 13.
& reuerentia proferte; *Neque enim ſine cauſa gladiū* Pſal. 81.
portat ac de iudicibus dictum eſt, *Dij eſtis & filij Excelſi omnes*.

4. Reſpicite Ananiam ac Sapphiram, quàm illis Act. 5.
malè ceſſerit Spiritui S. mentitos fuiſſe, nec non Mariæ ſororis Moſis quòd aduerſus fraternum iudicium murmurando contradixiſſet: *Qui poteſtati reſiſtit,* Num. 12.
Dei ordinationi reſiſtit.

5. Quid veritatem patefacere veremini? nonne ſcri- Rom. 13.

ptum est: *Fortis est veritas & praeualet?* & rursus: *O-*
3. Esdr. 4. *pera manuum eius veritas & iudicium?* Quid verò non
Psal. 110. vobis metuendum est, eam supprimentibus & men-
tientibus? Non scriptum est: *Perdes omnes qui loquũ-*
Psal. 5. *tur mendacium?* Eia igitur, *propter veritatem & man-*
Psal. 44. *suetudinem & iustitiam deducet vos mirabiliter dex-*
tera Excelsi.

6. Ad omnes calumniarum nugas, & inanes illas de templi destructione & reædificatione insimulationes Saluator ne verbum quidem respondere dignatur. *Ad ea quæ aduersus eum testificabantur, Iesus tacebat, & non respondit quidquam.* Insignia vtiliaque hinc ipsi elicere documenta possumus. Primò, non se
Gen. 3. excusat, vt Adami delictum repararet, qui suum reus manifestus peccatum iniquè excusaret.

7. Deinde tacere nos docet, si quando quis probrosas in nos euomit stomachabundus iniurias: sicut enim apis amisso torpet aculeo; ita iratus vbi sese ira exonerarit, quiescet.

8. Nec non in calumnijs ac detractionibus, quæ tacentem non magis violant, quàm apis punctura saxum.

9. Silentium quoq; optima est ad euitandas maleuolorum murmurationes & contradictiones ratio: nam

Ventus vt amittit vires, nisi robore densæ
Concurrant siluæ spatio diffusus inani.

Ita taciturnitas effreni altercationum torrenti liberrimum alueum ac sese diffundendi spatium præstat.

10. Denique tacet in ijs, quæ ad se, in quantum homo est, spectant; sed in ijs quæ Dei Patris sui honorem & diuinitatem suam respiciunt, liberè ac liquidò respondet. Ita quoq; in humilibus minimisq; ob-
Luc. 2. sequijs domesticis Matri quàm exactissimè obsequebatur, sed cùm, duodecimo ætatis anno, sese subducens vt in templo doceret, à matre audiret: *Fili cur fecisti nobis sic*; rotundè aperteque (non autem austerè & irreuerentur, vt quidã Nouantes exponunt.)

respon-

respondet: *An nescitis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?*

11. In plateis & compitis seductor, dæmoniacus, alijsque probrosis nominibus vocatus erat; & ecce subticet, & æqua mente sustinet omnia; sed cum indigna quadam negotiatione, Dei videt templum profanari, *zelo domus Dei* ipsum *adedente*, vendentes & ementes terribili flagello templo eijcit, minimè ferens Patris sui domum, orationi ac sanctimoniæ destinatam, in forum, locum nundinationis, & speluncam latronum conuerti. *Psal. 68.* *Ioan. 2.*

12. Præclara profectò hæc exempla sunt, fratres, è quibus nimirum discimus, vt in ijs quæ nostrum priuatim honorem respiciunt, quiduis patiendo conniueamus; sed in honore diuino tuendo zelosissimos nos ostēdamus. Si duellatores illi Galli hoc vt oportet intelligerent, suum diabolica quadā superbia imaginarium & inanem honorem illius non preferrent glorię qui *vltionum Dominus* est. Deum supplices rogemus, fratres, vt hunc à gente nostra *spiritum vertiginis* auferat, & potenti sua dextera magnum hunc nobilitatis nostræ malum ac dedecus persanare dignetur. *Isaiæ 19.*

Audietis hactenus 1. mala sæculi, & bona pietatis vincula, nec non infractam Saluatoris in militari petulantia constantiam, 2. discite falsum odisse testimonium, 3. Redemptori Iesu compati, qui ceu incantatus aut dæmonium habens domesticum, adimatur, 4. Nunquam in iudicio veritatem palliare aut supprimere. Ite in protectione Altissimi.

(*.*.*)

FERIA

FERIA II. POST DOMINIC. III. Quadragesimæ.

Illusiones.

HOMILIA. XVII.

TVNC *princeps sacerdotum scidit vestimenta sua,*
Mat. 26. *dicens: Blasphemauit.* Agemus hic 1. de hac vestiũ
Mar. 14. scissione, 2. de concordi vnanimique scelesto-
rum horum sententia in Redemptore Iesu è vita tol-
lendo, 3. de eorundem blasphemijs, & 4. varias adfe-
remus illusiones.

1. 2. Dilacerare sua antiqui vestimenta solebant, si
Gen. 37. quando sinistri quid & infausti ipsis obtingeret. Sic
Ibid. Ruben sua scidisse legitur, Iosepho in cisterna non re-
perto. Iacob item audito hunc ipsum Ioseph *à fera pes-*
sima deuoratum sua conscidit.

Esth. 4. 3. 4. Sic & Mardochæus, postquam regem Assuerum
de Iudæis omnibus è medio tollendis decretum tulis-
se cognouit: nec non Iob, omnes filios suos ruina op-
pressos intelligens.

Iudic. 11. 5. 6. 7. 8. Iephte item, visâ filiâ, voti sui cruenti reus;
Iosue 7. Iosue quoque in strage suorum ab habitatoribus Hai,
Iudit. 14. quin & Vagao, videns Holofernis truncum in lecto
2. Reg 1. capite imminutum; adhæc Dauid, nuntio de Saulis
Mat. 27. & Ionathæ morte accepto; ipsum denique templum,
Redemptore nostro exspirante, velum suum dilace-
rauit.

Leuit. 1. 9. 10. Summum tamen sacerdotem lege lata expres-
& 21. sè nefas erat vestes concerpere, imò ne quidem fune-
brem domum ingredi; ne fortè, alios ad dolorem te-
standum suas discerpere videns, ad eandem ipse in-
decentiam, quæ suam grauitatem dedeceret abripe-
retur.

11. Hic tamen Pontifex, vt quasdam aduersus æqui-
tatem

tatem populi turbas concitaret, ſuas contra legem diſſecat veſtes, cùm in legis peccans conſtitutionem, tum in diuinitatem eius, quem vt blaſphemum ſugillabat, qui verè *Chriſtus* erat *filius Dei viui.*

12. Si talem ipſi morem, hoc præſertim deprauato ſæculo, in quo tam horrendas audire blaſphemias eſt, haberemus, omnes frustillatim veſtitieſſemus, &, vt lepidè Doctor Eckius obſeruat, nouis conficiendis
veſtibus ſartores non ſufficerent: verum tamen, ſicut *1. Cor. 10.*
ſub lege veteri conſtitutis *omnia in figura* & vmbra *contingebant*, nobis in noua ſufficiat illud Dei per os Ioëlis prolatum conſilium ſequi, *ſcindite corda veſtra,*
& non veſtimenta veſtra. *Ioel. 2.*

13. Sed nefandi Pontificis huius obſtinationem inſpicite, vlterius Redemptorem non interrogantis, fortè quòd illius vereretur doctrinam, & admirabilis illius memor ſcientiæ eſſet, cuius is præclarum in templo anno ætatis duodecimo ſpecimen dederat. Si enim vlterius diſceptando cum eo progreſſus eſſet, cùm ipſe, tum vniuerſi eius aſſeclæ rubore ſuffuſi obmuteſcere coacti fuiſſent: Chriſtus enim manifeſtè ipſis, iam inde à Moſe incipiens & per inſequentes vſque Prophetas proſecutus, diuinitatis ſuæ hominem indutę veritatẽ declaraſſet. Sed fatale hoc Pōtifex telũ ſubterfugiẽs, vociferari incipit, *aures* adinſtar *aſpidis ſurdæ obturat*, oculos ſoli à quo pręſtringebatur occludit, *rebellem* ſeſe præbens *lumini, & oculos declinans* *Pſal. 57.*
in terram, *vt non videret cœlum*, vti falſi illi Suſannę *Iob 14.*
inſimulatores, dięm deniq; ceu malè ominoſa noctua *Dan. 13.*
exoſus.

14. In facto hoc extraordinario illud etiam notate, quàm ducis in milites vox potens ſit & efficax.

15. Nec non præceptoris in diſcipulos, vt videre eſt in trito illo Pythagoreorum ſcito ἀυτὸς ἔφα:

16. Paſtorum quoq; in gregem, ſequentem quocunq; hi deducunt, *quia vocem eius audit.* *Ioan. 10*

17. Qualis eſt dux, tales & milites; ſi ille leo, leonini;

nini; si ceruus, ceruini; qualis præceptor, tales discipuli. Hanc ob causam Diogenes præceptorem cecîdit, cuius discipulum malè moratum videbat: nam
Isaia 24. solet *vt sacerdotes, sic esse populus.*
Iosue 4.
Dan. 13. 18. Præcedere quippe hi cum pietatis debent arca; si
Psal. 10. populum pium esse velint, sint ipsi. *A senioribus*, id est,
Malac. 2. à presbyteris *Israel* inquit Scriptura, *egressa est ini-*
Sap. 1. *quitas*; ità & ab ijsdem descendit bonitas. ***Aequitatem vident vultus eorum***, eò quòd *custodiant scientiam*, & *scientiam habeant vocis*. Vtinam sic omnes cōscientiam haberent mundam & vitam exemplarem præferrent, ita namque breui omnis euanesceret hæresis, & per eandem, quà ingressa est, ianuam egrederetur.

19. Populus, ceu massa quædā mollis est, eā induens formam, quam exempla Maiorum illi imprimunt.

20. Nec non polypus, suum è celsis, quibus per obedientiam & subiectionem adhæréscit, rupibus colorem mutuans.

21. Quin & arena Libyca, quæ, prout è ventis impellitur, fertur, & vt Poëta canit: ***Regis ad exemplū** se-*
Claud. *se componit*, &, prout Princeps est, commutatur.

22. Herodes Innocentes interficere constituens, ter-
Matt. 2. rā tantùm pede ferit; & ecce, vt aliàs Pompeius plures exciet lictores quàm ad eos mactandos necessarij sint. Si ipse ad Magorum aduentum turbatur, omnis
Ibid. mox *cum eo Hierosolyma turbatur.*

23 Impius hic Pontifex mox vt exclamat, ***Blasphemauit***; en, omnes illius asseclæ, velut echo, statim i-
Psal. 105. dem succlamant; quin & addunt, ***Dignus est morte. Et dicit omnis populus: Fiat, fiat.***

II. 1. Adeò scilicet faciliùs est fucos congregare, quàm apes, si ad ludendum, iocandum, tripudiandum, bibendum, comessandum, in quos ineundos contractus, perpotandum, dissolutè agendum quis socios velit; verbo tantum opus est: statim plurimi sese offerunt: Si autem ad pietatem suos velit inducere, quot opus, Deus bone,, verbis est, vt vel anima vna aliquem deuotionis

tionis actum exerceat! Omnes, benignissime Iesu, aduersus insurgunt & allatrant: *Quæsiui qui consolaretur te, & non inueni. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Psal. 68. Psal. 13.

2. Quot, hem! lupi aduersus vnam ouiculam!

3. Quot, eheu! canes vnum insequuntur ceruum!

4. Quot tela in scopum hunc eminus *candicantem, rubicundum* tamen, diriguntur! Cant. 5.

5. Quot artes impij adhibent, vt *circumueniant iustum* hunc! *circumdant eū sicut apes, circūdant eū sicut aquæ*, id est, vndique. O horribilem & clamorum & verberum tunsionumque circumfluentiam! Sap. 2. Psal 117. Psal. 87.

6. In hac Christi imagine videre est, quod hac tempestate in hæreticis ab inuicem diuisis & disiunctis, seque per mutua scripta concerpentibus ac corrodentibus; mirè tamen in vnica Redemptoris nostri sponsa, Ecclesia inquam Romana, oppugnanda conspirantibus videmus: vtpote qui ceu vultures, *columbæ* huius *immaculatæ* discerptione sese pascere ac satiare volunt. Cant. 6.

1. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Execrandæ profectò hæreticorum horum aduersus Venerabile Altaris sacramentum, aliaque religionis Catholicæ mysteria blasphemiæ, incredibiles sunt; sanguineis tamen lacrymis deplorandæ: quòd cùm hæresis hæc iam propè ætatem hominis durarit, & nonnlli iam eorum in erroribus illis nati sint, *blasphement quod ignorant*, quia non satis plenè nostræ fidei veritates, & dogmata illis aperiuntur; quæ licet, ceu Susanna casta sit, calumnijs & imposturis proscinditur eorum, qui in *contradictione Chore pereunt.* III. Iudæ 11. & 2. Dan. 13.

2. Deploranda res est audire, quomodo à suis impostoribus doceantur, aliter longè nos credere quàm reuera credamus. Contuli ipse cum nonnullis qui nihil prorsus de fide nostra norant; cuius cū ipsis veritates aperirē, mirabantur, suorumq; Ministrorū infidelitatē perfidiamq; detestabantur. Illorū deceptionē plore-

ploremus, cariſsimi, Deumq; rogemus, eos vt illuminare cœlitus dignetur. Amen.

3. Sed crux & cordolium mihi eſt, audire & noſſe, iam apud nos Catholicos inter ludendum paſsim tam horrendas euomi blaſphemias, vt eas hîc referre idcircò duntaxat nolim, quòd teneras verear aures offendere: atque hæc vnica cauſa eſt, cur Deus & religio noſtra *blaſphemetur ab ijs qui foris ſunt.* Si mores noſtri praui, fratres, deplorabili quadam mutatione, fratres illos errantes, quoad fidem, à nobis diuulſerunt; noſtrarum, per Deum obteſtor, voluntatum conuerſio, intellectuum ipſorum conuerſionem excitet: ad virtutem inquam redeamus, vt ad fidei noſtrę, extra quam nulla ſalus eſt, veritatem illi redeant.

Rom. 2.

4. Atque ante omnia eliminemus ſpiritum illum blaſphemiæ. Ad quid nomen Dei in vanum capitis, dum vel quid venditis, vel iraſcimini? rem agere proſperè non poſſetis, niſi eum offenderetis? imò eumne offendendo, felicem rerum veſtrarum ſucceſſum ſperatis?

5. Memineritis pij regis noſtri S. Ludouici, qui ſua ferro candenti optabat labia notata, ſi hoc pacto illud è regno ſuo crimen eliminandum eſſet.

6. Reuocate vobiſmetipſis in memoriam puerum illum quinquennem, quem paterna inter brachia, dum in DEVM blaſphema proloquitur, diſcerptum vnguibus tartareis ſuis in Dialogis prodidit Gregorius.

Li. 4. c. 18. Vincent. Belluac. lib. 25. c. 87. Diſcip. ſer. 1.3. Pſal. 11.

7. Olim, eheu infelices nos! bonæ in blaſphemos latæ leges ac decreta tam ſtrictè rigideque obſeruabantur; hodie verò iacent & contemptui habentur; blaſphemus omnis impunè habet: quin imò ceu ludicrum quid & honeſtum inter mundanos ducitur blaſphemare & execrari. *Dicunt, linguam noſtram magnificabimus. Labia noſtra à nobis ſunt.*

1. A blaſphemijs carnifices hi & miniſtri ad illuſiones

nes

nes descendunt. Quid? tene ô igitur rex gloriæ, cui *Isaia 7.*
Angeli sine fine concinunt, *Sanctus, sanctus, sanctus,* *1. Tim. 1.*
cui *omnis* debetur *honor*, qui gloriæ tuæ *zelotes* es, *Exod. 20.*
meâ causâ, &, vt meam suppr meres superbiam, contemnere, quod tibi quodammod connaturale est, & *Iob. 38.*
quod tibi ratione supremitatis, ab omni creatura, quin & *ab astris matutinis* debetur?

2. Samson, de quo hesterna locuti sumus die, cùm plurimas hostium tulisset iniurias, illorum tandem *Iud. 17.*
irrisiones & sannas perferre non potuit; imò nec Elisæus illatam à pueris contumeliam passus est: & tu
Deus virtutũ, cui *adferri* & *deferri gloria* debet *& honor*, omniũ habeberis *peripsema & opprobriũ hominũ*? *4. Reg. 2.* *Psal. 28.* *1. Cor. 4.* *Psal. 21.*

4. Contumelias has, ab atrocibus hisce ministris Domino meo Iesu in domo Annæ illatas, fratres, in meditatione mea prævia, ad quinque capita reuocaui Prima fuit, quod illi oculos velo obtexerint. Noster igitur Moses hîc velatur & quamobrem, quæso? *Exod 34.*
quia vt contemplatiui piè meditantur, è benignis Redemptoris oculis, siquando languidas pupillas suas interdum recluderet, tam suaues placidique promicabant per interuallum respectus, vt immanes illi tortores, ne illicem illorum violentiam, quæ omnem ipsorum mitigare poterat barbariem, videre ac sentire ferientem inuiti cogerentur, oculos illi velo texerint, quò eum immaniùs minorique commiserandi eius occasione torquerent.

5. Quàm præclara Poëtæ, sub velo, quo ficti amoris vestri oculos obnubitis, secreta tegitis! sed sanctus Amor noster an non suos reuera hic velatos habet? nõ tamẽ idcirco vt equidẽ existimo quod prohibetur, quò minùs in vestra, piæ mentes, corda sanctæ cuiusdam compassionis, quod hoc eum in statu videatis tela recta eiaculetur.

6. Oculos tuos ob nubis, dulcissime amator, ne nostra videre scelera cogaris: quo enim nos prosequeris, amor te excæcat, nihilominus oculis tuis lynceis, quæ non trans muros tantummodò, sed & trans ter-

ræ abyssos perspiciunt, imò etiam intima hominum penetrant corda, diram efferatarum harum tigrium, sanguinem tuum quàm ardentissimè sitientium barbariem crudelitatemque conspicis.

Cant. 2. Psal. 140. Psal. 122. 7. Iam factus es sponsus ille, *prospiciens per cancellos, & fenestellas*; videns, non tamen visus. *oculi tui super filios hominũ*, sed soli *iusti suos ad te oculos dirigũt.*

8. Hi in tuis sese oculis, perinde ac in speculis ardẽtibus, è quibus amoris tui ignes promicant, contemplantur, sed impij in eos suum defigere obtutum nequeunt, quòd iustitæ tuæ terrorem in ijs legant.

9. Pij nonnulli scriptores sordido diuinam hanc faciem, quam Angeli proni adorant, panniculo obuelatam tradunt. Sed, tu, ô peccatorum meorum fœditas, infame hoc linteum coinquinasti: peccatum enim *panno* comparatum *menstruatæ*.

Esth. 14. Isaia 64. 10. Annon vos, ô sacerdotes, qui tam indecenter altari adstatis; quique tam exiguam nitoris ornamentorum Ecclesiasticorum rationem habetis, etsi vobis sæpè illud Prophetæ occinatur: *Mundamini qui fertis vasa Domini*; annon inquam simile quid agitis?

Isaia 52. Estote posthac, fratres mei in Christo dilectissimi, munditiei altaris studiosiores, vt meritò cum Dauide concinere possitis: *Domine dilexi decorem domus tuæ.*

Psal. 25. 11. Non & illi Redemptori oculos obnubunt, qui fœda sua flagitia tetro noctis velantes velamine, ita illa clam Deo, vt homines ea latẽt, se perpetrare posse putant, cũ impijs illis quodammodo dicentes: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. O stulti aliquando sapite.*

Psal. 93. 12. Velũ hoc me quodãmodo inuitat, vt mulieres ac puellas commonefaciam, vt, si nolint corpus vniuersum (quod tamen quàm optimè facerent) in templo cùm versantur ex Apostoli præcepto, velare *propter Angelos Dei*, id est, presbyteros (vt quidem nonnulli exponunt) suam saltem faciem modestia maiori tegerent, ne dicam vtilius.

1. Cor. 11. Quid? non metuitis, ne præ frigore genæ vestræ diffindantur? cùm acris illa bruma, quæ non ita nuper desæuijt, ipsas diffringere

gere potu erit arbores, rupes & petras dissecare, si id decori gratia facere nolitis, valetudinis saltem vestræ, quin & sanctitatis, rationem habetote. Franciam & Italiam permeaui, regiones sanè multo hac ipsa calentiores; in illa tamen non nisi laruatas vidi mulieres, in hac omnes velatas, omnes vultum tectas: in hoc verò climate Bellicensi nequidquam frigore & gelu sæuiente, præter aperta capita nihil videre est. Si ipsam regionis intemperiem fortè studio & de industria orare vos posse credidistis, erratis: nam tandem comperietis, montium nostrorum vertices glacie congelatos vestris duriores esse. Vtinam verò ea meæ admonitionis foret efficacia, quæ fuit aliàs sancti Caroli, qui suis sanctam & honestam hanc reformationem exhortationibus Mediolani in muliebrem sexum induxit!

13. Alterum illusionis genus, ab immanibus hiscé sicarijs Redemptori illatum fuit illius in faciem, velo hoc putenti paulisper reducto conspuere. Siccine ergò, ô lucidum cœlum, furoris te tempestas fœtentibus ac spissis nebulis inuoluit? Vos, ô sordidæ cogitationes, putiscentia illa estis sputa, quibus in anima mea huius faciei Dei mei imago sordidatur: *ad* eius enim ipsa *similitudinem* condita est.

14. Sed videtisne, vt ex altera parte illi Dei irritatores & qui aliquid illo inuito agere proponunt, húcce panniculum sustollant, & illius fontem sputamine conspurcent, dum aliquid, vt quidem dicunt, illo inuito se facere velle profitentur? Prò perditi ac desperatæ salutis homines! *Gen. 2.*

15. Tertiò, per contemptum decoram illius vellicant barbam. Quod ignominiæ genus apud viros ita intolerabile ducitur, vt cui ipsum infertur, id æquanimiter ferre nequaquam possit, vt taceam, ipsam pilorum euulsionem homini summū dolorē afferre, perinde ac si quis ouiculę etiamnum viuę pellē tolleret, & aui plumas euelleret.

16. Sic scilicet metulosi lepores (quales emblema

Ioan. 2. depingit) *mortuo barbam vellitis leoni*, illi inquā qui tribus funiculis millenos templo negotiatores exegit, quique vnica voce sua vos omnes antè paulo terrę *Luc. 22.* affixit. Sed *hæc est hora vestra & potestas tenebrarū.*

17. Sed & quartam furori vestro illusionem addite, alaparum inquam inflictionem. Genæ hæ contusæ & percussæ id genus ictibus illusionibusque iam assueuerunt. Anne, ô temerariæ, sacrilegæ ac profanæ manus, sacram hanc aram tangere audetis?

18. Quid porrò, vos subditi, superiorum vestrorum, qui tamen vobis DEI locum in terris occupant, iussa negligentes, vestris illusionibus ac tumultuationibus facitis aliud, quàm Redemptori Iesu alapas infringere?

19. Quintam illusionis speciem (multò enim plures, eheu! illi intulerunt) hanc statuo, quòd eum vt Pseudo-prophetam habentes, inflictis illi colaphis identidem oggererent: *Prophetiza nunc quis* *Luc. 4.* *te percussit.* Quæ verba propè cum illis, quæ in præsentis diei Euangelio habentur, coincidunt, *Medice cura te ipsum.*

20. O miser Hercules, quem amor puellis Omphales ludibrium constituit!

21. Care pater, quem filiorum amor cogit repuerascere, & illo cum ipsis lusu ludere, quo pueri velatis o- *Sap. 11.* culis inuicem solent quærere! Nosti, bone Iesu, nosti & vides, ecquis te percutiat: Sed *hominum peccata dissimulas ad pœnitentiam* eos *exspectans.*

Ex hac homilia memoriæ vestræ insculpite, 1. cùm Deum videtis offēdi cum dolore & amaritudine corda vestra conscindere; discite ad salutaria monita aures vestras non obturare, Deum item rogare vt bonos vobis det pastores, vel ijs quos habetis meliora inspiret, vt bonum eorum exemplum vobis præluceat. Inprimis verò hoc tempore, pro communi Ecclesiæ pace, pro Pontifice Romano, pro prosperitate Galliæ, ac Rege nostro Christianissimo eum orate, 2. A prauis vos subducite conuersationibus, 3. bla-

3. blaſphemias omni ſtudio euitate, 4. Illa de medio veſtri auferte peccata, quibus Redemptori Ieſu deterius longè illuditis, quàm immanes hi ſicarij. Ieſus ſit in medio cordium noſtrorum, Amen.

FERIA III. POST DOMINIC. III. Quadrageſimæ.

De negatione S. Petri.

HOMILIA XVIII.

Petrus negauit coram omnibus, dicens: Non noui illum, &c. Negationis huius 1. cauſas, 2. enormitatem, 3. Saluatoris reſpectionem ac galli cantum; 4 pœnitentis huius Apoſtoli lacrymas mecum ipſe ruminabam. E quibus omnibus perutilia, quæque ad morum noſtrorum emendationem non mediocriter faciant, Deo dante, nos documenta eliciturus ſpero? *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.*

1. E varijs, quas ſpirituales ſcriptores negationis huius aſsignant, cauſis, nonnullas ſelegi, quas vobis putaui maiorem præ alijs vtilitatem allaturas. Prima itaq; fuit, præſumptio: meminiſtis enim (ne rei ex Euangelico contextu narratione nimis ſim prolixus) quàm præſumptuosè Petrus ac temerariè locutus ſit, antè ſe moriturum iactitans quàm ſuum Dominum desereret: quem non contentus probroſa turpique fuga reipſa iam deſeruiſſe, hic etiam verbo, infelici ſcilicet negatione, deſerit. Quàm bene hoc exſtimulare nos debet, fratres, vt Luciferianam illam fugiamus ſuperbiam, vtpote quæ pulchros illos Angelos è ſummo cœlorum ad imam tartari abyſſum deiecit!

Quid, eheu! ſine gratia ſumus? *Gratia Dei ſum id quod ſum, ſed gratia eius in me vacua non fuit*, aiebat Apoſtolus. Itaque ne ea vacua maneat, ei iuſta quadam recognitione cooperandum eſt ac reſpondendũ, *1. Cor. 15.*

Quid autem habemus, quod non accepimus, si autem accepimus, quid gloriamur? Væ illis *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum*, tam spiritualium quàm corporalium *gloriantur*.

Iudic. 16. Samson quòd de robore suo præsumpsisset, ipso meruit priuari.

Exod. 14 *Exod. 15.* *Dan. 4.* Et Pharao, quòd suam extulisset potentiam, in rubro perijt mari. *Aquæ operuerunt eum, submersus est quasi plumbum in aquis vehementibus.* Nabuchodonosor quid homine maius se efferatus, factus est fera. An non notissimum est, Deum aliud non agere, quàm *Luc. 1.* *exaltare humiles, & humiliare superbos?*

Mox vt suam Deus subtrahit gratiam, statim in vitium virtuti, quam hæc nobis gratia conferebat, contrarium, prolabimur. Si virgo non sit humilis, in maximo floris huius pulcherrimi amittendi discrimine versatur, vt per id teste Gregorio deprimatur, per quod seipsa volebat efferre. Vir nobilis de suo præfidens robore, caueat ne in campo ac duello moriatur, quod esse præsumentium cœmeterium solet. Exem- *1. Reg. 17.* plo sit præfidens ille Goliath. Certum itaque est, hunc Petri lapsum in eius præsumptionis castigationem contigisse.

2. Eius quoq; ex parte, causa fuit humana infirmi- *Dan. 3.* tas, quæ tam quidem fragilis, vt vel minimus lapillus maximorum firmissimorumque propositorum *Eccl. 10.* nostrorum colossum deijcere queat. *Quid superbis terra & cinis?*

Est quippe hæc ceu rupes Elidis, quæ minimo di- *Apoc. 4.* giti impulsu loco mouetur.

& 15. Mundus *mare vitreum & cristallinum* est; & nos nonnisi mera labilitas & fragilitas. Nisi circumspectè admodum vitrum contrectetur, aut, si in terram incautè cadat, mox disrumpitur, si vel ad modi- *Thren. 4* cum nos gratia deserat, quamprimùm vt *vasa lutea* *Ier. 18.* *testaceaq;* confringimur. *Rom. 9.*

3. Tertio inertiæ illam adscribo. Quàm multi vestrum, peccatores, Christum Dominum ad primum,

quod illos pungit & mordet, verbum negant, aut sanctum eius nomen blasphemant!

Illos mihi videte tepidos ac segnes, qui ob minimã cùm frigoris, tum tempestatis pluuiæ nebulosæque incommoditatem, concionem audire negligunt, sæpè etiam ijs quibus omittere nefas est diebus sacrũ Missę officium omittunt, nullo, præterquam inertiæ desidiæq; morbo detenti. An non hi Deum, ne suis carere commodis cogantur, vti Petrus, quò sese calefaceret, vestro iudicio negant?

4. Locus item, in quo Petrus eum negauit, ipsa inquam culina, nos tacitè admonet, à gula, quæ multa necat corpora, plures etiam animas interfici. An non qui per ætatem & valetudinem ad quadragesimale seruandum ieiunium obligati, ipsum nihilominus violant, Deum propter culinam & ollas manifestè negant, *ventrem* suum vt *Deum* habentes? *Phil. 3.*

5. Ipsa etiam persona quæ Petrum ad negandum induxit, nos docet, quàm sit Ecclesiasticis ipsum mulierum consortium perniciosum.

Heu fuge, nate Dea, teq; his ait, eripe flammis, *Aene. 2.*
Heu fugito inuisos scopulos. *& 5.*

Nulla est in earum colloquijs securitas, ait Hieronymus, non maior quàm & cum serpente dormientium. Et Sapiens ait: *Qui amat periculum peribit in eo.* *Eccl. 3.*

Discite insuper, non sine causa à Doctoribus futuri sæculi odium, inter luxuriæ filias connumerari: quòd detestandum id vitium maximam Dei obliuionem inducat, nimiumque tartari timorem, & cœli ac beatitudinis odium, dum omnem in impudicitia beatitudinem hominem ponere facit, inijciat.

Poëtarum scripta legite, ac videbitis quàm acriter in brutales hasce voluptates inuehantur.

6. Sextam lapsus huius causam improborum attribuo commercio: Sanè, sicut *bene olere non possunt, qui in culina habitant,* vt quidã Canonista scribit: sic fieri non potest, vt bonus quis sit qui cum scelestis

cenue fatur, si adolescens aliquis honesto natus loco, ad bellum, Principis ac patriæ causa susceptum, profectus cum militibus alijs blasphemis ac sacrilegis versatur, ilicò iurare assuescet; aut, si à iuramento sibi caueat, mille sannis & improperijs ab alijs proscindetur.

Hinc Petrus cum satellitibus agens quamprimum *cœpit anathematizare, detestari & iurare.* In Aethiopia qui versatur, non potest non nigrescere; qui inter barbarè loquentes, non potest quin linguam suam elegantem deprauet, sic nemo inter nefarios commorari, quin mores eius paulatim vitio contracto corrumpantur. Assuescite itaque auditores, non aliter à vitiosorũ consuetudine declinare quàm à contagioso morbo infectis vos subducitis, ne tetra ipsorũ cõtagio praui alicuius habitus pestẽ vestris animabus afflet.

II. 1. Iam verò grauitatem huius negationis ponderemus. Nostis, quanta Petri Apostoli esset dignitas ac prærogatiua, vtpote super quem suam fundare Christus volebat Ecclesiam, quem in suum destinarat vicarium, quemque vniuersalem omnium constituere pastorem decreuerat. Nostis adhæc, quod & vulgo dici solet, eò peccatum aliquod esse grauius ac maius, quò eminentior is qui ipsum commisit. Ad magnitudinem enim eorum, à quibus admittuntur, peccata aut magna sunt, aut parua. Magnates nonnisi magna committere queunt, eorumque scelera magis apparent, quàm aliorum priuatorum, in turba promiscua latentium. Non secus ac maiorem cicatrices in vultu, qui apertus est, apparentes deformitatem adferunt, quàm quæ in alia qualibet corporis parte, quæ veste cooperitur.

2. An non panni cuiuspiam pretiosi labes & maculæ magis offendunt, quàm vitis & cannabini?

3. Et à primi mobilis turbatione vniuersũ sphærarũ
Psal. 135. cælestiũ motũ ordineq; turbandũ nostis, nisi qui eas *fecit in intellectu* Deus, in suo eas motu & ordine cõseruaret. Quæ omnia magnatibus ac summatibus, ac

præ-

præsertim pastoribus & aliorum gubernatoribus
applicate Quàm enim eorũ peccata ab alijs notantur,
quantum dissolutiones populum offendunt! Hi etiam
sæpenumerò Deum citiùs ac frequentiùs, quàm ple-
becula, negãt. quòd in præsentibus & periculosis ne-
gandi occasionibus versentur.

4. An non qui *in* locis accliuibus montosisque *am-* *Psal. 130.*
bulat, ad singulos propè passus in prolabendi pereun-
dique, si vel minimùm pes cespitet, periculo versatur?
Non est nisi fortium & constantis cerebri virorum,
ad excelsorum montium cacumina proserpere. Hem!
quàm humilis status securus ac tutus est, in eo humi
quodammodo humo serpit. ex alto decidere non po-
test, & nonnisi ad simplicium vulgariumque virtu-
tum, non verò duplicium & eminentium studium &
comparationem obligatur, sicut illi qui *lux* esse de-
bent *mundi, lucernæ* Israël, & *candelæ super candela-*
brum positæ, vt luceant omnibus, qui ipsos intuentur.

5. Campanile & turris cùm corruit, templum haud
dubiè conteritur. Quando *petra Thophet prolabeba-*
tur, post se omnem hominem trahebat, & ante se innu- *Iob. 21.*
merabiles. Negationis itaque huius indignitatem
ipsa negantis adauget dignitas

6. Quid de tempore dicemus & loco? Eodem eheu!
tempore, quo benignissimus Redẽptor noster pro hoc
patiebatur Apostolo, eo ipse ingratitudinem pro be-
neficio collato rependebat Adeò vt dicere iam pos-
set: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus* *Psal 68.*
filijs matris meæ. An non ò conscientia peruersa, quæ
indignè sacram communionem adis, hoc imitaris,
peccati mortalis remorsu in corde denegando eum,
quem ore tuo perfido & scelesto recipis? eo scilicet
momento, quo tibi ille gratificatus, tu illum cruci af-
figis?

7. Sed vlteriùs: omnis peccator Dei est negator.
Quid enim aliud peccatum est, quàm quædam à Deo *Gen. 25.*
auersio, & ad creaturam conuersio? Prô miser, qui ob
vanitatum aut voluptatum lentes, diuinam filia-

tionem, & ad hæreditatem cœleſtem ius omne repu-
Rom. 8. dias? Vos gulones & comedones, qui Quadrageſimale ieiunium non obſeruatis; vos carnales, qui ſancto hoc pœnitentiæ tempore venereas voluptates conſectamini; vos acedioſi, qui Dei cauſa nihil agere vultis;
Gal. 5. Epheſ. 5. vos auari, qui ob flaueſcêtes aliquas ſordes idolorum ſeruituti vos addicitis; vos denique omnes, qui eſtis peccatores, Dei negatores eſtis, vt taceam abominabiles eos, qui ſuis blaſphemijs eum ad ſingula propè verba denegât. Tu olim terra Abironem ob longè le-
Num. 16. Ibid. uiorem noxam abſorbuiſti, quomodo ergò ſcelerati hi *viui in infernum non deſcendunt*?

8. Is etiam teſte Apoſtolo *fidem* & Deum *negat*, qui *domeſticorum* ſuorum *curam non habet*. Res mira, hûc
1. Tim. 5. Deum ſuum dici negare, cui charitas in proximum deeſt. Quod accuratè vos ponderare velim.

9. Ille quoque negat, qui vitam inſtituit à fide diſſentientem, *qui dicto* quidem *Deum credunt, facto autem negât*. O magnum Chriſtianitatis probrum! Vnde & infideles fidei noſtræ quidem ſanctitatem agnoſcunt; ſed ob mores noſtros ac vitam diſſolutiorem ab ea refugiunt.

10. Certè ſi trinam negationis huius reiterationem examinemus, comperiemus miſerum hûc Apoſtolum gradatim in hanc apoſtaſeos abyſſum prolapſum eſſe. Nemo quippe repentè fit peſsimus. Hinc diſcite, quomodo peccatum vnum viam paret ad aliud, adeo vt tentatio delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus actum, actus vnus eiuſdem repetitionem, repetitio conſuetudinem, conſuetudo totalem peruerſionem inducat, quæ tandem hominem ad extremam pertrahat damnationem.

11. Tamdiu muſca aut papilio câdelam circumuolitant, vt tandem ſeipſa adurant ac pereant, & malefico tam diu ſtigma caumaticum in tergo inuritur, vt tandem aliquando ſupplicio extremo afficiatur.

12. Longanimis tamen Dei bonitatem obſtupeſcite

toties peccanti ignoſcentis, quoties commiſsi pœnitet, etiam *ſeptuagies ſepties*, vt in Euangelici hodierni contextu legitur, eò quòd *miſericordiæ eius non ſit numerus*. *Matt. 18.*

1. Imò & auxiliariam reſurgere volentibus manum porrigit: niſi enim ille manum ad nos fouea educendos extenderet, emergere haud dubiè non poſſemus, ſed *quaſi Sodoma periremus. Niſi quia Dominus nos adiuuaret, paulò minus* in omnium malorum *inferno anima* noſtra *habitaret*. III. *Pſal 93.*

2. Interim verò dum hæ negationes peraguntur, Redemptor è tribunali conducitur in carcerem aliquem adducendus, vt cras dicturi ſumus. Per atrium itaque tranſiens, Petrum ſuum reſpicit; & ecce tum canit gallus; hinc ipſe compungitur, interiùs commouetur, pœnitet, & conuertitur. O beatum verè intuitum, vtpote tot mirabilium operatorem!

3. Sole oriente canit gallus: & hîc lucidis oculorum Dominicorum ſolibus, ad infidelitatis Petri tenebras illuminandas ſeſe pandentibus, inſpirationum gallus ipſius in corde tam altùm canit, vt ab apoſtaſię ſuæ ſomno repentè exſurgat. *Domine conuerte nos ad te, & conuertemur; reſpice in me, & miſerere mei.* Nunquam, quæſo, veſtros, ô gemina ſidera fœlicitatis & malaciæ præſaga, à cordibus noſtris paſsionum tempeſtate agitatis influxus auertite; ſi enim vos deliquium paſſæ deficiatis, haud dubiè naufragium faciemus. *Pſal. 24.*

4. Noſtra, ô radij, ô iacula, ô pungentia illicia, corda telis à ſancto amore veſtro ardentibus compungite, aut ſaltem ſanctam delictorum noſtrorum compunctionem nobis date. *Oſtende* nobis, *cariſsime ſpōſe faciē tuā, & vox tua* dulcis *ſonet in* viſceribus noſtris. *Cant. 2.* *Num. 21.*

5. Præſta, ô ſerpens verè ob conſtantiam tuam ænee, vt te ipſi inſpicientes, ab omni tentationum morſu perſanemur.

6. Sol oriens diſsipat tenebras, & ecce, vt oculis Saluatoris Petro apparere primū incipiētibus, *opera* *Rom. 13.*

tenebra-

tenebrarum ab ipso dispellantur. Quænam verò infidelitate tetriores dari tenebræ queant?

7. Sic etiam Paulus per radium fuit & vocem ad Deum conuersus: & an non verisimile sit, Petrum benignis hisce radijs oculos perstrictum, intus in anima hanc sibi loquētem vocem inaudisse? Petre, Petre, *quid me persequeris* ? cur *me derelinquis fontem aquæ viuæ* & *verba vitæ æternæ habentem*?

Act. 9. *Ierem. 2.* *Ioan. 6.*

8. Hunc item galli cantum diuersimodè spirituales Scriptores interpretantur: alij quippe per eum designari volunt ipsam concionatoris sacri vocem, vt quibus dictum sit: *Clama, ne cesses*: &; *Propter Sion ne taceatis*; quique tubæ sunt Ecclesiæ, & *custodes Ierusalem* semper inclamantes, qui denique peccatores voce sua è peccatorum lethargo surgere compellunt.

Isaia 58. & 62.

9. Alij hoc intuitu & cantu diuersos dicunt diuinæ gratiæ gradus denotari.

10. Nonnulli cantum hunc designare volunt synderesin aut remorsum conscientiæ, qui introrsum semper latrat, & quidem altè satis, *surdo quatiens mentem verbere*, & *occulto flagello*; qui perpetuus quidam testis est potior quàm mille alij; & importunus excitator. Vnde vetus ille: *Conscientia mentem excitatam vexat non consummato tantùm, sed & cogitato scelere.*

Iuuenal. sat. 13.

12. Ipse *immortalis* ille & internus *vermis* est, de quo loquitur Propheta.

Isaia 66.

IV. Paucis vt perstringam, omnia hæc Apostoli nostri mentem ita concutiunt, vt his telis conuulneratus, & dolore obrutus, quòd tam turpiter ac fœdè impegisset, *egressus foras fleuerit amarè.*

1. *Amarè*, Quàm ô lacrymæ in origine vestra estis amaræ, vtpote quæ ipsum *contritionis mare* est, & *anima eius amaritu.* o! Quàm verò in illius oculis dulces, dum per cerebri ipsius tubos permeatis! quas proinde aquis fontium dulcibus & limpidis, etsi suo in ortu, (id est mari) amaris ac turbidis assimilabo O lacrymæ doloris, & lacrymæ dulcoris! *Exitus aquarum deduxe-*

Thren. 3. *Isaia 36.*

deduxerunt oculi eius , *quia non custodierunt legem* Psal. 118.
Dei:imò verò restagnantia quædam diluuia : nam Gen. 6.
abyssi cordis eius *cataractæ aperiebantur* , vt *darent*
oculis eius torrentes lacrymarum.

2. Ecce vt petra *virgâ* dilectionis & *directionis* ta-
cta,vndam effundat,& *fluant aquæ.* Non & vos corda Ierem. 9.
saxea,& scopuli instar obdurata,aquas eijcere vultis? Psal. 44.
Si,ô negationis eius socij,eam quam ipse salutem con- Psal 77.
sequi velitis , non secus atque ipse lacrymis made- Nu.20.
scite.

3. Ecce,vt hîc Michas lacrymetur, non ob idola sua Iud. 18.
direpta,sed Dei sui gratias perditas *Quare tristis*,aie- Psal. 42.
bat,*es anima mea, & quare conturbaris : Spera in* Sal-
uatore tuo, tuum illi peccatum *confitere*, ipse *salutare*
vultus tui, & verus *Deus* tuus. In humilitate tua re- Psal.50.
cordabitur tui,non *projiciet* te *à facie* sua,*nec spiritum*
sanctum suum *auferet à* te.Iesumq; ora vt *spiritu prin-*
cipali suo *confirmet te.*

4.5. O dulce lacrymarum diluuium,quo microcos- Ioan. 5.
mus hic expiatur! ô sancta fletus piscina in qua omnes
animæ huius , quæ à fide defecit , paralyses curan-
tur!

6. Cùm itaque *de hoc torrente bibisset,exaltabat ca-* Psal.109.
put & contra spem credebat in spem , vt qui sciret in Rom 4.
Deo à *misericordia superexaltari iudicium*, & omni- Iacob.2.
um peccatorum maximum esse, cogitare committi a-
liquod peccatum posse , quod condonare nequeat
Deus.

7. Cùm gratiæ Pegasus cordis eius petram percus- Ouid.
sisset perennem inde fontem elicit ; & ita perennem, Metam.
vt,prout piè contemplantium habet traditio , nun-
quam non *plorans plorârit in nocte,& lacrymæ eius in* Thren. 1.
maxillis eius.

8. Ac præsertim ad singulos gallorum cantus leo
hic perterrebatur,adeò vt quoties hos audiret, con-
tremiscens in lacrymas prorumperet ita quidem , vt
à perennibus hisce stillicidijs genarum illius petram
excauatam tandem fuisse, & rugas quasdã in modum
aquæ

aquæ ductuum contraxisse notatum sit. Quia nun-
Thren. 2. quam *tacebat pupilla oculi sui.*

Discamus hinc carissimi, 1. præsumptionem euitare, nostram infirmitatem agnoscere, in Dei obsequio feruentiores esse, gulam, luxum, & malorum fugere cõtubernia. 2. Peccata, ratione dignitatis cõmittentium, aggrauari, omnemque peccatorem Deum negare,
Isaia 46. 3. *Ad cor* nostrum *redire, & ad Deum,* quando animas nostras *respicere* dignatur, sua eas visitans gratia, *conuerti,* 4. Ad Apostoli huius imitationem, qui sceleris sui næuum a lumine ab oculis suis destillanti eluit, commissa nostra plangere.

FERIA IV. POST DOMINIC. III. Quadragesimæ.

Redemptoris Iesu incarceratio.

HOMILIA XIX.

IN Feriæ huius Euangelio de traditionibus agitur, nos de quadam in præsens loquemur traditione, quæ apud contemplatiuos & pios omnes inualuit, nempe, post primam Caiphæ interrogationem, ad vsque sequens mane, quo sententiam damnationis accepit, Redemptorem quodam in carcere vinctum detentum fuisse. Primò itaque hanc incarcerationem probabimus, 2. loci horrorem depingemus, 3. quem tamen lucidi sponsi nostri dilectissimi oculi totum illustrârint, & quarto loco ad carceri traditos visitandos vos adhortabimur.

I. 1. Seraphicus Doctor Bonauentura, cui a ꝟ j plurimi Scriptores subscribunt, in ea sententia est' vt censeat Redemptorem Iesum bonam noctis partem in fossam aliquam subterraneam compactum fuisse. Et fanè tanti

In medit. de Passione.

tanti viri auctoritas, qui (vti quidem præsuppono) hoc tam constanter non assereret, nisi aliqua id ei reuelatione diuina innotuisset; vtpote cui magnam cum Deo familiaritatem fuisse, vita scripta testatur, deuotionem vestram suauiter debet inducere, vt credat, Redemptorem Iesum, qui omnigena in passione sua mala sustinuit, etiam insigne hoc subire, libertatis inquam suæ iacturam facere voluisse Vt taceam, illorum duntaxat esse, sanctis reuelationibus, ad honorem & amorem benignissimi Saluatoris nostri ad augendum spectantibus contradicere & oggannire, *quorum gloria in confusione est.* Philip. 3

2. Hoc saltem, negari nequit, quin carnifices illo torquendo defatigati, etsi non satiati, aliqua noctis hora ad quieté se cópofuerunt, quo per somnum facti vegetiores eum postridie diriùs atque immaniùs torquerent Si itaque in tribunalis atrio Dominus sine vllo lumine, custodibus circumcinctus relictus sit, an nó hoc vera quædam incarceratio est? sed multò apparet verisimilius, in tetrum aliquem carcerem subterraneum ipsum detrusum fuisse; idque inuincibilis hæc, quam hic adferor, ratio euincere videtur.

3. Vidisse Christus Petrum *foris in atrio* versantem non potuit, nisi dum id transiret, scilicet cùm è tribunali ad hunc carcerem deduceretur. Atque est hæc necessaria consequentia: nam auditorium eos ac tribunal in carcerem conuertisse, nullo pacto fit verisimile.

4. Addo & hoc argumentum. Si in corpore suo mystico passus sit, & *vincula & carceres*, vti modo in Epistola, quę hodie (quo quadraginta Martyrum Sebaste in Armenia vinctorum & incarceratorum recolitur memoria) in Sacris legitur, audiuimus; & in corpore suo naturali verè ipse *vincula* sustinuerit; cur non pari ratione & *carceres* pertulerit? Heb. 13.

5. Ioseph qui magistri nostri benedicti figura exstitit, in carcerem detrusus fuit, nec non Samson, Gen. 39. Iudic. 16.

Daniel,

Daniel, Ionas, adhæc Ioannes Baptistes, SS. Apostoli
Dan. 14. Petrus & Paulus, tot deinde Martyrum millia. Quæ
*Ion.*1. nos exempla satis inducunt ad credendum, Redem-
Matt. 11. ptorem Iesum simile probrum pertulisse.

6. Quid? an nō in incarnatione sua se vltrò in vtero virgineo incarcerauit? Vnde canit Ecclesia: *Quem terra, pontus, æthera,* &c. Nec non beatissimæ eius Matri: *In tua se clausit viscera factus homo.* Ipsi quoque quotidie in gratiarum actione post mensam dicimus: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt,* &c.

7. Deus ille, quem *cœli cœlorum non capiunt*, dum *Verbum* suum *carni* illigaret intra arctam mundi
3. *Reg* 8. sphæram etiam sese conclusit.
Ioan. 1.

8. Passionem suam auspicaturus in horto conclusus fuit; ad eius finem in alio se recludet, quin imò in arctissimo sepulcri carcere. Admiremini hîc S. Augustini visionem, qua oceanum concha vidit includi. Sed non diuinitatem suam quodammodo incarcerauit, aut saltem humanitatis nostræ velo obtexit? Quid tandem non fecit, vt sese nobis communicaret? an non vniuersum suum corpus, quantum quantum est, in minima hostiæ particula conclusit? Progrediamur vl-
Ephes. 4. terius An non vsque *ad inferiores partes terræ descendit ad liberandas animas* carcere illo subterraneo detentas? O incarceratorum incarcerate & patrone, qui cum omnibus, quos durus carcer premit, incarceraris, tua illos reddens membra!

9. Quæ, dilectissimi, argumenta attuli, sufficere mihi quidem videntur, ad quodlibet ingenium docile & vtcumque ad pietatis semina recipienda dispositum, inducendum vt credat; sed dum sanctam animorum vestrorum simplicitatem intueor, ad ipsum firmiter credendum penitùs propendere perspicio.

10. Igitur mitissimus Agnus noster per palatij huius gradus raptetur vinctus & constrictus: quis scit num per pedes, aut per collum iniecto fune eum ad infamem hunc locum, cuius iam secundo puncto horrorem considerabimus, tortores traxerint.

1. O lo-

1. O locum abominabilem, & tam adorabilem, qui caperet maiestatem, penitus indignum! ô plusquam profundam Domini mei humilitatem! cuius corpus naturale, non secus ac mysticum, *habitauit in speluncis ac cauernis terræ*. Quid ô, dicere sancte amator poteras, quàm placidè cum Dauide ingemiscere, ac dicere: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*, &c. *Educ de custodia animam meam.* vel per anticipationem verba illa, quæ deinde Apostolo tuo Paulo inspirasti: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quid porrò aliud corpus est, quàm animæ carcer? II. Hebr. 11. Psal 119. Psal. 141.

2. Iam, ô *passer solitarie*, & *nycticorax domicilij* cauernosi, puncturas & ictus illos sugillatorios, quos carnifices illi, *super dorsum tuum iniquitatem suam fabricantes*, inflixerunt, sentis. Quàm locus hic putiscens & fœtens vulnerum & contusionum tuarum dolorem adauget! Rom. 7. Psal. 101. Psal. 128.

3. Videte, vt Vestalis noster in mortalem fossam, amoris sui lampadem præferens, sanguinis sui oleo, & *lacrymis*, quæ illi ceu *panes sunt*, permixtis collucentem, descendat. Psal. 41.

4. Videte hîc nostrum Iob in fimario sedentem, atque etiam deterius habitum: ad genua enim vsque in cœnosa hæret aqua, & cum alio illo dicere potest: *Circumdedisti me carcere.* Iob. 4. Iob 7.

5. In amphitheatris, vt videre est in illius quod Romę fuit reliquijs, ingentia infernè erant receptacula, quæ caueæ ceu carceres dicebantur; in quibus feræ vel gladiatores in spectaculum exhibendi asseruabantur. Videte, vt hîc hostia nostro sacrificio in Caluariæ monte peragendo destinata, vt noster athleta, qui dæmonem simul & mortem prosternet, in cauea maneat & carcere, exspectans donec *vexilla Regis prodeant.*

6. Si, ô anima deuota, mysterium hoc per applicationem sensuum meditari velis, id tibi facile admodum erit. Videte siquidem sponsi tui vultum sordido obuolutum panniculo, vel loci illius inobscura-

tum tenebris, quem suis sol radijs numquam adibat. Considera, intolerabili quodam fœtore, quem barathrum hoc subterraneum, fauces illę auerni, & puteus ille abyssi (quem Apocalypsis depingit) exhalat, odoratus eius cruciaretur. Hîc exsurgit *pro suaui odore fœtor*. Cogita quomodo eius aures vlulatibus noctuarum, pipitu vespertilionum, sibilis serpẽtium, stridore glirium, & bufonum coaxatu personuerint. Hic *hæreditat serpentes, bestias & vermes*. Contrectare te existima teneram illius pellem, ac manu quodammodo tangere, quomodo fœda hæc immundaque animalia eam vellicent. Sic olim, (prô Deum immortalem) paricidæ necabantur.

Apoc. 9.
Isaia 3.
Eccl. 10.

7. Sed cogita, carissima anima mea, videre te hîc flores eorum, quos non multò pòst videbis, fructuum; hîc videre te rosas, si conferas cum doloribus in quos crastina mergetur die. Non vult in punctulis hisce & minutijs amor eius hærere, cras eum à mille noctuis, serpentibus, vespertilionibus exulatum, blasphematum atque exsibilatum videbis, ab atrocibus inquam tortoribus, sanguinem eius adinstar draconum sitientibus: videbis eum flagris cæsum, compunctum, percussum, clauis confixum, in crucem actum, ad putentissimam Caluariæ montis mephitim deductum, demum & mille inter angustias animam exhalantem. In extremum illum casum lacrymas vestras reseruate, carissimi, neue in principijs hisce, etsi alioquin horrenda & grauia sint, eas effundite.

III.

1. Eamus in spiritu, frater carissime, eamus & dilectum hũc patrem quà possimus consolemur: nullus nos repellere hinc custos potest: cogitatio quippe per omnia peruadit, portas ferreas confringit, & claustra penetrat validissima. *Quis continuit spiritum manibus?* eamus dilectissimæ *columbæ*, in huius *foramina petræ*, & nostrum par ac consortem consolemur.

Prou. 30.
Cant. 2.

2. Neque est quòd vllum vobis tenebræ horrorem incu-

incutiant, lucidi enim illi sponsi nostri oculi, mille millenis solibus amplius carcerem hunc caliginosum illustrant.

3. Ipse *lux mundi est, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, tenebræ non obscurantur ab* eo, sed *nox sicut dies illuminatur. Tenebræ eius, ita & lumen eius*, eò quòd & *suum tenebris posuerit latibulum.* veruntamen etsi alioquin *lucem habitet inaccessibilem, amictus lumine sicut vestimento.* Ipse *lumen de lumine*, vti & *Deus de Deo*: Ipse *lux vera sit, quæ illuminat omnem hominem.* Ioan. 8. Ioan. 1. Psal. 138. Ibid. Psal. 17. 1. Tim. 6. Psal 103. Ioan. 1.

4. Visum eamus solem nostrum fulgidum apud Antipodes illos subterraneos collucentem, eamus: nam omnis loci *caligo sub pedibus eius*; neque est, quòd obscuritates metuamus apud eum, qui non aliam ob causam in mundum venit, quàm vt *illuminaret eos qui in tenebris & vmbra mortis sedebant.* Psal. 17. Luc. 1.

5. Videte hîc miserum vermiculum (*ego vermis & non homo*) in tenebris refulgentem. Videte, vt coruscans ille summi sacerdotis carbunculus in locis etiam obscurissimis resplendeat, & fulgorem eiaculetur. Videte noctuam hanc, cuius oculi noctem non secus ac scintillæ quædam constantes illustrant, imò verò ardentissimę quædam amoris sunt faces. Psal 21.

6. Vidi in postremo hoc itinere meo Romæ quoddam lapidis genus, qui carbonis in morem igneus palam ac lucidus redditur, & quendam luce sua in locis obscuris fulgorem eiaculatur, ac deinde sensim extinguitur. Videte vt *lapis* noster *angularis* interim, vt aliàs in monte Thabor, diuinitatis suæ lumen emicare in humanitatem suam deriuari sinat, ipsam, prout lubuerit vel occultans vel exserens. Mat. 19.

7. Quid? ipse, quo Petrus detinebatur carcer luce repletus fuisse scribitur, necnon locus in quem sancti illi quadraginta Martyres, quorum hodie festum colimus, compacti erant. Interim dum palpabiles illæ Aegypto tenebræ incumberent, *vbicunque erat* Act. 12. Exod. 10.

Psal. 26. *Israel lux erat.* & dubitamus, num carcer Dei Israel,
Psal 17. qui nostra *est illuminatio, nostras tenebrarum illuminat,*
Psal. 118. & *pedum nostrorum est lucerna*, fuerit illustratus?

8. Fuit haud dubiè carissimi; tametsi enim aliâ nullâ claruisset, face, certè ab oculis eius tãtus promicabat fulgor, vt vel minimus eiusdem radius decies mille soles, & infinitos mundos illustrare potuisset.

Sueton. cap. 68. 9. Quid? historiæ memorant, tales Tiberio Imperatori, tum Rom. Imperium moderanti, cùm Redemptor Iesus pateretur, oculos fuisse, vt per nocturnas tenebras fulgorem à sese emitterent, adeò vt Imperatori huic nocturnas obeunti excubias alia opus non esset face, quàm luce illa, quam in oculis circumferebat.

Apoc. 21. Quid ergò de *Agno* hoc, qui Ierusalem cœlestis & infinitæ *lucerna est*, & *sole lunaue non indiget*, dicendum est & cogitandum?

IV. 1. Postquã iam anima & mente cauernã illã malè olentem adijmus; vt ibi Redemptori Iesu consolando opem aliquam afferremus, ipso etiam corpore, iã templo absoluta concione egressuri miseros quos vrbs hæc habet, incarceratos, obsecro, adeamus, & re alloquioque consolemur, hos vobis, fratres, ex animo,
Luc. 1. & *per viscera misericordiæ* sponsi nostri carcere clausi etiam atque etiam commendo.

S. Greg l. 3. dial. c. 1. S. Au. l. 1. de ciuit. c. 10. 2. Non referam hîc, vt eòdem vos adhorter, S. Paulinum Episcopum Nolanum in seruum se vendi permisisse, quò redacto è se pretio, viduæ, quæ præ dolore propè ad desperationem redacta erat, filium è captiuitate solueret.

Prat. spirit c. 14. Mœph. Calist. c. 14. l. 22. 3. Nec Alexandrum Patriarcham Hierosolymitanum, domesticorum famulorum vnum, qui ingentem ei auri vim furto abstulerat, illamq; amiserat, è carcere redemisse.

Vsuard. in appen. Mart. 4. Nec Episcopum Amidonum Acacium omnia sacra Ecclesiæ vasa vendidisse & thesauros, quò captiuos redimeret.

Act. Ai censf. l 1. Longob. 5. Nec, S. Deogratias Carthaginensem Episcopum idem fecisse.

6. Nec

6. Nec, S. Bernardinum eleemoſynas conuentui ſuo datas in hanc redemptionem applicuiſſe. *Sur. in vita S. Bern.*

Videtiſne, fratres, quonam illuſtres hi ſancti ſtudio erga hoc miſericordiæ opus ferrentur, dum ſuæ id libertati, ſuis Eccleſijs ac monaſterijs præferunt.

7. Noſtis, auditores, terribilem illam ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum*, ſecundum allegata ac viſa illa: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*; nec non tandem poſt omnia: *In carcere eram, & non viſitaſtis me*, ferendam. Cauete ne in terribili illo *Dei viuentis, in* cuius *manus horribile eſt incidere*, tribunali manibus ab opere bono inanibus compareatis. *Matt. 25.* *Hebr. 10.*

8. Fruſtra *charitatem habueritis* ad *montes transferendos*; *nihil* enim *eſtis ſi charitatem non habueritis*: *Omnis arbor quæ fructum non fecerit, exſcindetur & in ignem mittetur.* *1. Cor. 13.* *Matt. 7.*

9. Minimè ſufficit, in lacrymas, audita paſsione Domini, prorumpere, & *myrrham primam* ab oculis *deſtillare*, niſi & à manibus ſecundam deſtillemus. Amoris teſtimonium & indicium eſt, obſequium amico non verbo tenus & ſponſione, (prout in mundo fallaci ac ludibundo fieri ſolet) ſed verè reipſa & facto præſtare. *Cant. 5.*

10. Conſiderate, per Deum obſecro, inter omnes miſerias, ob quas opera miſericordiæ, quæ corporalia nominantur, exhibentur, incarcerationem facilè miſerrimam eſſe; libertas enim omni quod in mundo eſt, auro potior eſt & melior.

11. Taceo hîc, *nullum pulchrum carcerem dari*, & ipſas etiam aues, niſi fortè à teneris carceri cauearũ ſuarum aſſueuerunt libertatis ignaræ vitam amiſſa libertate interdum ponere ſolere, vltrò ſe fame, etiam eſca copioſiſsima appoſita conficientes.

12. Annon certum, carcerem viui hominis ſepulchrum eſſe, & inter omnes humanas conditiones, ſeruilem eſſe deterrimam.

13. Quiſquis in carcerem compingitur, vel ęre alieno oppreſſus, vel criminis alicuius reus eſt. Si ob æs alienum, an non dupliciter miſer eſt, dum ante oculos ſuos & facultates, & quod omnium cariſsimum eſt, libertatem cogitur amittere? ſæpe etiam *luere ſolet in corpore, qui non habet in ære.* Vtinam aliquam pecuniarum collectam ſancto hoc tempore faceremus, quo poſteà ſuo tempore ſacram quandam colligeremus meſſem, ad aliquem eorum, qui ob æs alienum vel in Regium vel Epiſcopalem coniecti ſunt carcerem, eximendum!

14. Si quis ob æs alienum in carcerem detruſus ſit, & inſuper inopia in eo laboret, an non bis miſer eſt, & duplici onere oppreſſus, cum nec negotiari, nec laborare, nec mendicare queat. Ecqua, Deus bone, miſeria! Dicent mihi nonnulli duri corde, & immites, *Panem Regium habent.* Sed, eheu! amici mei, panis hic tantum nudum Regij nomen habet & aliud nihil. Nam multũ *mutatus ab illo* eſt quem ſua Rex in menſa habet; eſt quippe panis dolorum, panis ater, panis auenaceus, feſtucis paleis plenus, vilis; ac proinde illuſtri illo, quod vulgus illi dat, nomine indignus. Fame miſeri apud panẽ hunc cinerreũ emoriũtur; & ſiti, ſolam bibentes aquam, & eam ſæpè putiſcentem & ſordidam; & frigore vndenam eheu! ligna coëmant ad membra ſua rigida & cõgelata calefacienda? vnde veſtes cõparabũt ad nuditatẽ tegendã? Et noſtis, quã ad intolerabile acris huius hiemis frigus arcendum ſolum tectum domus parum ſufficiat; & cùm ægri ſint, & corpore langueant, ſola ſtramenta illis lectus ſunt, & vetera ſcruta in lodices. An non itaque certum eſt carcerem omnigenarum eſſe miſeriarũ theatrum ac receptaculum? Hos ergo miſeros inuiſite, vobiſque ſpondeo, illis opitulando ac ſuccurrendo,
Pſal. 40. omnia vos miſericordiæ operum genera exercituros. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus opem feret illi ſuper lectum doloris eius.*

15 Si quis verò ob crimen carceri mancipatus sit (vti non pauci sunt) illorum, quæso, pauorem ac terrorem considerate, dum gladium Damoclis ceruicibus suis impendentem habent, & mortis sententiam in singula momenta, exspectant. *Cic. Tuscul. 5.*

Hos diri conscia facti
Mens habet attonitos. *Iuuenal. sat. 13.*

Et sanè ipsa mortis formido plus eos sæpè torquet quã ipsa mors. Hos quoq;, obsecro, cauernis illis obscurioribus detentos inuisite; & iustis illorum pœnis condolete, quia *meritò hæc patiuntur.* Animos alloquio, corpora re & stipe consolemini, & in his *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant vos in æterna tabernacula.* Aliquod ijs punctum eorum quæ in passione Dominica, quæ vnica est dolorosa in extremis illorum miserijs dulcedinis imago obseruastis, enarrate. *Gen. 42. Luc. 16.*

Eò igitur hunc vos conferte, animo reuoluentes, 1. ipsum Domini Iesu carcerem, 2. loci in quem detrusus fuit horrorem 3. oculorum illius splendorem qui amoris nostri sunt lumina, 4. incarceratorum miserijs & ærumnis, pro facultatibus ac viribus suis quisque, succurrere statuentes.

FERIA V. POST DOMINIC. III. Quadragesimæ.

Condemnatio per Pontificem.

HOMILIA XX.

MAnè facto conuenerũt omnes Principes sacerdotum aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Quatuor hîc puncta tractabimus, 1 hoc conciliabulum, 2. interrogationes, 3 responsum Domini, 4. eiusdem condemnationem incipiamus. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 22.*

1. Plurimæ hîc, carissimi, adimplentur Prophetiæ. Eas audite & auditas, si vobis videbitur, ruminate.
Psal. 85. Breuitas enim quam sector, eas me vetat extendere.
Psal. 21. *Deus, iniqui insurrexerunt aduersum me, & synagogæ*
Psal. 118. *potentium quæsierunt animam meam.* &, *Consilium malignantium obsedit me*; rursus, *Sederunt principes & aduersum me loquebantur.*

2. Quàm, ô pulchrarum animarum sponsa, hæ tibi
Psal. 142. expostulationes conueniunt! *Induantur pudore & re-*
Psal. 25. *uerentia, qui malignè loquuntur super me. O diui Eccle-*
Psal. 93. *siam malignantium*, &c. *Quis stabit mecum aduersus*
Psal. 21. *malignantes*, &c. *Salua me de ore leonis. Ne perdas cũ*
Psal. 25. *impijs Deus animam meam*, &c. *Iudica me Deus, &*
Psal. 42. *discerne causam meam. Iudica me secundum innocen-*
Psal. 7. *tiam meam*, &c. *Fac mecum signum in bonum. Iniqui*
Psal. 85. *persecuti sunt me, adiuua me*, &c.
Psal. 118.

3. Verùm inspiciamus iam paululum conciliabulum illud iniquorum, qui omnes à sua passione acti & præoccupati, & sanguinem Iusti sitientes, in vnum
Sap. 2. conueniunt, vt in mortem eius conspirent, & *mortem* quidem *turpissimam* Ab hac autem illos vesania & rabie præoccupatos fuisse sat indicat pecunia, quam ad Agnum hunc tradendum proditori assignarunt. Violentis itaque æstuant febribus, longè sanè vehementioribus, quàm fuêre febres, quibus sancti Petri
Luc. 4. socius in hodierno laborasse legitur Euangelio. Illorum siquidem febris in animo versabatur, & talis quidem erat, qualem super hunc Lucæ textum scribẽs
Lib. 4. in Luc. 4. describit Ambrosius, superbiæ videlicet, iracundiæ, inuidiæ & vindictæ cupiditatis.

4. Vermes illi, à quibus introrsum arrodebantur, ita eos per noctem inquietarunt, & manè expergefactos vsque eò lancinarunt, vt, vix orta luce, conue-
Sap. 2. nerint quò innocentem, qui *inutilis erat oculis* ipsorum, condemnarent. Adeò scilicet verum est, mentem turbatam & passionibus agitatam, sui ipsius esse carnificem, vt veterum nonnemo ait.

Psal. 30. 5. Dauid iratus & cõmotus, aiebat: *Cõturbatus est in ira*

tra oculus meus, anima mea, & *venter meus.* & sua phrasi poëta,

——— *magnoque irarum fluctuat æstu*; Horat.

quæ vera *breui* hoc *furore* æstuantium figura est.

6. Cauete, iudices, ne turbulentis his passionum effrœnium ventis ac fluctibus abrepti ad iudicandum ruatis, nisi vestræ velitis animæ, nec non alienarum facultatum, vitæ & honoris naufragium facere. Hæ nimirum sunt scintillantes illi de nocte igniculi, à quibus in præcipitia conduceremini.

7. Ophthalmia laborantibus visa omnia rubere, aurugine verò laborantibus omnia videntur flauescere. Sic hisce *viris sanguinum* ira persuadet, Redemptorem Iesum morte dignum esse: sæpè etiam auaritia, flauescētis illius metalli, quod & mores corrumpit, & muros peruadit, cupiditate inardescēs, in causa est, vt plurimæ committantur iniustitiæ. *Qui munera super innocentem non accepit, habitabit in tabernaculo* Dei. Psal. 14.

8. Notate, obsecro, vt furentes & iniqui hi iudices, inuidia & malignitate impellente, ceu furijs introrsū acti, quiescere nequaquā potuerint: *Cōfestim manè facto, vt factus est dies*, ait Euangelista. Ab harum passionum violentarum nobis & quietem & cibi appetitum eripientium tyrannide liberet nos Dominus. Aman ab inuidia actus, quiescere non potuit, & fratres Iosephi, ab eodem verme corrosi, *non poterant ei vel verbum vnum pacificè loqui.* Esth. 5. Gen. 37.

9. Mirandum itaque non est, si *prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*, eò quòd *transiissent in affectum cordis.*

10. Videte, fratres, prout Euangelicum suadet consilium, *ne sol occidat super iracundiam vestram.* Hoc enim si fiat, bilis loquitur & crescit, non secus ac tegula testacea in fornace induratur. Ephes. 4.

11. Videte, ne hoc vos præoccupatos lethargo vel calenti febri somnus inuadat: vel enim penitùs intermoriemini, vel saltem in grauissimam prolabemini

phrenesin. Si catharrum hunc à faucibus non diuertatis, metuendũ est, ne gratiæ in vobis vitam offocet.

12. Malignorum verò horum exemplo, adeò tempestiuè strato ad malefaciendum exsurgentium, discamus *ad Dominum orare manè*, eò quòd *manè exaudiet vocem* nostram: *De manè vigilemus ad* Deum, vt canere possimus: *Præuenerũt oculi mei ad te diluculo.*

Psal. 5. Isaiæ 26. Psal. 118.

13. Quid porrò vos, iniqui iudices, huc ad Dominum iudicandum conuenire necesse est? an non is iam præiudicatus est? Sciatis oportet, dilectissimi, peccatorem in quocumque peccato, nonnisi rarissimè in vno primoque scelere manere. Putatisne impudicum aliquem, qui tam diu tantaque contentione puellæ alicuius pudorem ambiuit, vno eius fore concubitu contentum? Atque ita de fœneratore, fure, & alijs sentiẽdum. Non sistent in vno: nam primus ille lapsus nonnisi transitus & gradus est ad plures.

14. Interim verò dum cæci illi plenis faucibus inclamant: *Dignus est morte*; nos cum Angelis pleno gutture occinamus: *Viuat Iesus*, eique quàm possumus clarissima voce dicamus: *Dignus est vita*. Vtinam verò nostris in cordibus in æternum viuat! Amen.

Ad interrogationem autem & quæstiones descendentes rogant: *Si tu es Christus, dic nobis*.

II. 1. Sic Christo in deserto diabolus tentans dixit: *Si tu es filius Dei*. Quid aliud porrò tentator hic molitur, quàm vt per ministros suos eamdem omnibus suggestionẽ proponat, quã *spiritu oris sui* Redẽptor cõfudit?

Mat. 4. 2. Thess. 2.

2. Verùm, dicite mihi, an non omnes quotquot in orbe sunt peccatores, qui *sunt ex patre diabolo*, infidelem hanc & incredulam, Deo quæstionem proponunt? Minimè dubitandum est, quin, sicut quislibet peccator Dominum negat, (vti nudiustertius pluribus declaraui) quædam in quolibet peccato infidelitatis sit species permista. Perfidam illam infidelitatem hîc non intelligo, quæ aduersus Deum nos cogat insurgere, (hæc enim ipsa peccati essentia est) sed quemdam fidei defectum.

Ioan. 8.

3. Fierine eheu! potest, hominem, dum peccatum

admittit, infernum, in quem pręcipitat; cœlum, quod repudiat, nec non præsentem Deum, ante cuius oculos tam fœdè sese coinquinat, verè credere, & fide viua apprehendere? aut si fortè hæc credat, quanta eius impudentia sit oportet, vt coram tanta maiestate delinquere & præuaricari audeat? quo sibi animo tormenta hæc inenarrabilia seligere & incredibilia bona proculcare potest? Adamo is certè persimilis est, Gen. 3.
qui commisso scelere post opaca vmbrosaque virgulta delituit, ratus fortasse ab omnituentibus Omnipotentis oculis frondes illas penetrari non posse, Dei in- Psal. 118.
quam, *in cuius conspectu sunt omnes viæ* nostræ, & à Psal. 68.
quo *delicta nostra non sunt abscondita.*

4. Peccatores nonnulli Redemptorem Iesum sibi spinosum, dolorosum, languidum, eiusque sequelam rudi quadam serenitate pœnibilem repræsentant. Ah miseros! vt qui nesciant, quàm eius sit *iugum sua-* Matt 11.
ue, & *onus leue.*

5. Alij verò, (scrupulosi scilicet) suo modo, qui nequaquam reprobandus est, eum sibi terribilem, austerum, seuerum, rigidum Iudicem, exactum quoque & formidabilem depingunt. Proh miselli, vtpote qui ignorent, quàm sit *in misericordia di-* Ephes. 2.
ues, & libenter nostris delictis ignoscat!

6. Alij, (quod multò deterius) adeò eum sibi dulcem, ac benignum comminiscuntur, vt eiusdem clementia, ceu tabulam sibi ad scelera quęlibet committenda sternant. Proh infelices! nam molliter sibi funem torquent, à quo laxiori illaqueatu, nisi animaduertendo caueant, offocabuntur. *Nunquid quia* Deus *bonus est*, hi *nequam*? ait parabola. Et quidē *dulcis &* Mat. 20.
rectus Dominus, verùm etiam *propter hoc legem dabit* Psal. 24.
delinquentibus in via. Omnes quidem viæ Domini misericordia & veritas, sed additur, *requirentibus testi-* Psal. 72.
monia eius. Est *bonus*, fateor, *Israel Deus*; sed *his qui re-* Psal. 36.
cto sunt corde: Sperare concedo oportet *in Domino*, verum & *facere bonitatem.* Quare *vacate & videte*, fratres, *quàm suauis sit Dominus*; *Spiritus* Psal. 45.
quidem

l. 24. *quidem eius super mel dulcis*, sed eo hanc eius suaui-
v. 25. tatem degustate modo, quo degustari *mel* solet, *ne forte vomatis*, & ratio eius vobis reddenda sit.

7. An non & tempestatis huius Nouatores, vestro iudicio his interrogatoribus persimiles sunt, dicentibus: *Si tu es Christus, dic nobis?* nam semper interrogant & inquirunt, & nunquam credunt. Ipsorum quippe interrogationes ac dubia eò non spectant, vt inde doceri meliora velint; sed quia disputaturiunt, & vt breui hac confricatione animarũ suarum inqui-
Ephes. 4. etarum ac *fluctuantium* prurigini aliquatenus satisfaciant ac compescant.

III. 1. Sed quo (nunquam non petunt) fieri modo queat, Redẽptorem Christum in altari hostiâ sacrâ contineri? (hoc mihi pontis loco futurum est, quo ad tertium meum punctum descendam) nos verò id fieri
Luc. 1. penitùs posse dicimus ab eo, *apud* quem non *est impossibile omne verbum*, quemque omnes omnipotentem esse & credimus & testamur. Itaque illis, vt Scri-
Luc. 22. bis hîc olim Christus, iisdem propè verbis respondeamus: *Si vobis dicamus quòd sic, non credetis, si ipsum euidenter probemus, nihil respendebitis: dicimus nihilominus vobis, illic eum & substantialiter, & realiter, & reipsa contineri.*

Luc. 22. Ioan. 6. 2. Verba illa, sexcentis solibus clariora: *Hoc est corpus meum. Panis hic caro mea est. Caro mea verè est cibus*, ipsos etiam cacodæmones obmutescere cogant, qui hæc & credunt, & ad ipsa contremiscunt. Sed quid? homini carnali (& est omnis hæc noua secta
Mat. 16. nonnisi *caro & sanguis*) non alia credendi ratio est, quàm quæ videndi. Hac eos parte si presseris, confestim inclamare & obstrepere incipiunt, & *loqui labi-*
Psal. 21. *is, & mouere caput*. Quid faciendum igitur? ipsorum deploranda charitas, Deusque ardentissimè rogandus, vt hanc ab oculis intellectus albuginem, à qua miserè occæcatur, & præpeditur, ne veritatis lumen conspiciat, amore dignetur.

3. Scita aptaque hac responsione Saluator cordium

obdurationem qua laborabant, Iudæis spectandam dat, vtpote quæ ad salutis doctrinam recipiendam inepta erant, hac de causa eos illuminare & edocere enucleatiùs noluit: nam, vt benè monuit Sapiens: *Vbi auditus non est, non est effundendus sermo* Atque ideò etiam ipse Seruator, dum Apostolis prædicandi Euangelij modum ritumque prelegeret, suasit, vt, si qua ciuitas ad salutaria ipsorum documenta obsurdesceret, & ipsos repelleret, quamprimùm ad aliam concederent. Eccl. 32.

4. Ad eumdem modum, contemni diuina gratia non sustinet, &: *Qui nō est hodie, cras minùs aptus erit,* ad eamdem recipiendam. Inspiratio, venti instar, euanescit, & pertransit, & sanè ipsa aliud non est, quàm spiritus diuini flabrum.

5. Hac de causa Poëtæ occasionem suam antrorsum capillatam, retrorsum caluam pinxêre & finxêre: nisi enim eam venientem seque offerentem apprehenderis, in cassum eam abeuntem iam insequeris.

6. Videte, quantopere in Canticis sponsa, in dilecto suo, cui ianuam pulsanti aperire noluerat, recuperando reinueniendoque sudârit. Cant. 5.

7. Ex hac Domini responsione & aliud præclarum documentum eruo: scilicet, ipsum munus & officium concionatoriū, vno hoc maximè nomine permolestū esse; nimirum, cùm cathedra ipsa thronus sit veritatis, ac velut tripus, è quo verbi Dei, qui prima veritas est, oraculum profertur; eius ex ore necessariò veritates, semper plurimis, atque ijs inprimis, *qui facti sunt in animam prauam, & dati in sensum reprobum*, exosas prosilire & exire debere. Rom. 1. Magnatibus quoque hoc inculcabo: qui cùm adulatorum, à quibus corrumpuntur, & in exitium pertrahuntur, lenocinijs assueti sint; sincero, nitido, naturalique sanctæ veritatis, à qua sugillantur ac taxantur, quò vitam corrigentes salutem sempiternam consequantur, sermoni aures adiungere nesciunt.

8. Sic Michææ admonitiones sibi displicentes, per- 1 Re.

molestè

molestè tulit Achab; & quia benè monenti credere noluit, interijt.

4. Reg 9. 9. Ezechias Isaiam inhortantem initio quidem audire non sustinuit; sed cùm posteà ad Dominum ex toto se corde conuertisset, misericordiam inuenit.

10. Dauid, Nathane corripiente delictum agnouit, & pœnituit.

2. Reg. 12. Iona 2. 11. Et Rex Niniues, cum omnibus suis Ionam cùm audisset, ad Deum cœli redijt.

Exod. 9. 12. Pharao Moysi benè commonenti auscultare noluit; idcircò quomodo pœnas dederit, nimis quàm notissimum est.

13. Principes quippè alia nolũt audire verba, quàm lanea & serica; molliter fricari malunt, quàm rigidè inungi, qui mente corrupti sunt, non secus ac corpora vlcerosa, ne minimã ferre collisionẽ exteriorẽ valent.

14. Veritatem aliqui benè assimilant potioni medicæ; quam quidem laudant omnes, nemo tamen, etiam maximè æger, eam obbibere cupit.

15. Adeò ipsa resplendet ac fulget, vt oculos imbecilliores aut malè sanos offendat ac præstringat.

Psal. 11. Psal. 4. 16. Quàm ô Deus bone, *diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Peccatores, *quousque graui corde diligetis vanitatem, & quæretis mendacium?* Miser concionator, inter Deum & auditoriũ suum velut intermedius suspensus, haud dubiè ancipiti in loco versatur; & quò se vertat nescius. Veritatem liberè loquatur oportet, si præuaricari ac Deo displicere nolit; si autẽ eam proferat, en, proximo suo exosum se reddit. Quid faciet ergò? si sapit, partem eliget tutiorẽ melioréque id est, in Dei partes concedet, dicens: *Principes persecuti sunt me gratis, sed à verbis tuis formidauit cor meum: lætabor ego super eloquia tua,* &c. *Annũtiabo populo scelera eorũ: Dominus dat verbum euangelizantibus virtute multa, loquar de testimonijs in conspectu Regum & non confundar.*

Psal. 118. Isaiæ 58. Psal. 67. Psal. 118.

Iacob. 1. 17. An non, qui aduersus concionatorẽ, ob sanctã *libertatem Euangelicam* quã prætulit, insurgunt, verè

impij

impij ſunt, dum verbum Dei, illius organũ & inſtru-
mentum ſugillantes impetere audent? Si quis tubicen
caſtrẽſis extraordinario, & indebito tempore milites
ad conflictum iniuſſu ducis, tuba inſtigaſſet, vter pœ-
na dignus foret, tubane an tubicen? hic procul dubio,
& nõ tuba. Ad eundem modum, cùm prædicator om-
nis nonniſi tubus ſit, per quem *ſpiritus in eo loquentis* *Matt. 10.*
(vt ſacer textus loquitur) flatus trãſit ad hominem,
cur, cùm *Deo exercituum* & *Regi Regum, Reges & Iu-* *Pſal. 148.*
dices terræ cum ſublimitate & grauitate alloqui pla-
cuerit, quò iudicia eius metuant quò ei *in timore ſer-*
uiant, ſalutis *diſciplinam apprehendentes*, ne à *via iu-* *Pſal. 2.*
ſtitiæ aberrent, & ſub iræ diuinæ flagello *pereant*; cur
inquam, in hominem, nuncij huius baiulum, qui *pro*
Chriſto legatione fungitur, vindictæ indignationem *2. Cor. 5.*
conuertunt, quam in *terribilem* illum *Deum*, qui *au-*
fert ſpiritum Principum, & *Regibus terræ metuendus* *Pſal. 46.*
eſt, conuertere verentur? Id videant alij: equidem *65. 75. 95.*
cenſeo, id, vel infame quoddam ſacrilegium eſſe, dum
ſcilicet prædicatio verbum Dei eſſe creditur; vel inſi-
gnem impietatem, dum non creditur.

Ex hac interrogatione & reſponſione, quam iam IV.
iam deduximus, ſimilis ſecuta eſt condemnatio, nul-
lam nec æquitatem, nec formam iuris habens: & ve-
rè iniqua, dum ideò duntaxat Redemptor in-
nocens condemnatur, quòd iudicibus diſpli-
ceret.

1. Cùm teſtes, adinſtar nubium ad ſolis intuitum, e-
uanuiſſent, & teſtimonia ipſorum adeò inania & le-
uia eſſent, vt in iuſta bilance nihil omninò ponderis
addidiſſent; ipſi nec audiuntur, nec aduocantur, nec
coram reo producũtur: quomodo enim oculi eorũ ad
præſentem candoris huius niue candidioris, innocen-
tiæ ſcilicet ſuauiſsimi Agni noſtri conſpectum non
perſtricti & offuſcati fuiſſent?

2. Cum illo comparari & in certamen deſcendere
non audebant, iam enim, cùm nonniſi duodeci-

Luc. 2. mum annum ageret, iuuenis huius aquilæ vngues, &
Luc. 2. *leunculi* huius *de tribu Iuda* vngulas expertierant.
Apoc. 5. 3. Atque vt *plusquam Salomon* erat; ita & eo docti-
Matt. 12. or & sapientior erat. Et quid demum ignorare pote-
rat is; *in quo scientia* cœlestis *thesaurus abscondi-*
Coloss. 2. *tus* erat.

4. Puer hic Hercules adhuc in cunis infantilibus agens, ita veteres illos serpentes contriuerat & presserat, vt Rabbinos hos parum admodum scientes & ignaros, de victoria referēda desperare fecerit. Quorum nonnulli, cùm eum sæpè concionantem audis-
Ioan. 7. sent, eò deuenerant, vt dicerent, *nūquam sic hominem*
locutum fuisse. Hinc fiebat, vt reuererentur cum eo
manus conserere, etsi alioquin ipse eos satis sæpè ad
Luc. 22. certamen prouocaret, dicens: *Si interrogauero, non respondebitis mihi.*

6. Itaque cùm rationes & argumenta ipsos deficerent, fremere vlulareve incipiūt, & vociferari, ipsum blasphemasse, & *quòd se filium Dei fecisset*, mori necessariò debere. Malè syllogizant, & malam inducunt consequentiam. Cur enim ipse vitæ auctor, & qui filius Dei viui est, cōdemnandus? Hinc cęcam eorum notate malignitatem: nihilominus simul aduertite, quomodo ipsa Dei bonitas hisce è serpentibus vnicam malorum nostrorum theriacam, & antidotum educat.

7. Hæc Iudæorum conclusio in rem nostram est: Vt enim Theologi asserunt, necesse erat, diuinitatem humanitati coniunctam quādam constituere personam, quæ vt homo pateretur, (cùm Deus pati nequeat) & infinitè mereretur, vt Deus; quod homo in quantum homo facere nequit. Benedicta sit igitur diuina misericordia, quæ summum nostrum bonum è summo Iudæorum malo elicere potuit: hinc quod in ipsorum intentione erat peruersissimum, in diuina prouidentia vt summè salutare erat.

8. Si, ô deuote Spiritus per adoptionem, Dei esse filius velis, vti Redemptor erat per naturam; hinc

disce, non esse ampliùs *tibi* ac voluntatibus tuis
viuendum, sed Iesu Christo moriendum, omnes tibi 2. *Cor.* 5.
passiones interiores, & *membra* & appetitus *morti-* *Coloss.* 3.
ficandos esse, carnem cum concupiscentijs eius *crucifi-* *Galat.* 5.
gendo, & *cum Christo* te *cruci* debere *configi*, vt de vo- *Galat.* 2.
bis dici queat: Mortui estis, sed *vita vestra* consepulta *Coloss.* 3.
& *abscondita est cum Christo in Deo*.

Audistis igitur ex hoc discursu, 1. malignum hoc iniquorum iudicum conciliabulum, 2. eorum interrogationem, 3. Domini responsionem, 4. iniquam ipsorum condemnationem Deus Opt. Max. vos benedicat.

FERIA VI. POST DOMIN. III. Quadragesimæ.

Desperatio Iudæ.

HOMILIA XXI.

S*Vspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia vi-* *Act.* 1.
scera eius Hæc vobis homilia, carissimi, 1 diabo-
li aperiet technas, quibus ad peccatum, & inde
ad desperationem nos pertrahat, 2. falsam & desperabundam Iudæ pœnitentiam, 3. infamem eius mortem, 4 terribilem aliquot virorũ magnorum lapsum & ruinam. Atque ex his omnibus discemus cùm benè viuere tum benè mori.

1. Nimio quàm notissimum & exploratissimum I. i
est, Diabolum patrem esse mendacij & illusionis *Dra-* *Psal.* 103.
co ille quem formasti, ad illudendum ei. Est siquidem Proteus, qui in sexcentas se ad probis illudendum figuras transformat.

2. Dicitur Beelzebub, id est, princeps muscarum: quòd tentationes eius, quæ initio nonnisi muscæ esse videntur, postquam ijs homo peccando assensum de-

dit,& victus succubuit,in elephantos excrescunt,nec non in Athon,& montes adeò vastos, vt in die iudicij ipsi montes damnatis quàm crimina sua leuiores visuri sint;hinc eos inuitabunt,vt sese adobruant & in-
Luc.23. uoluant: *Montes cadite super nos.*

3. Spiritualis catopticæ diabolus est callentissimus, vt qui speciosarum apparentiarum specula componere nôrit; in quibus taliter ipsa obiecta appareant, qualiter ea ipse valet videre; parua quippe repræsentabit vt magna, magna vt parua, remota vt vicina, propè posita vt absentia. Mirum porrò est, quot ille artibus ac versutijs animas decipiat. Nã cùm ad peccandum hominem tentat,peccatum minimum quantum imminuit, veniam facilè impetrandam proponit,& pœnitentiam perfacilem;at postquam iam admissum est,ipsum mirandum in modum adauget,diuinam iustitiam in immensum amplificat, misericordiam verò celat;vt nimirum miserum peccatorem ad desperationem adigat.

4. Voluptates hilari repræsentat facie accedentes, sed cum infamię etiam aritudine recedentes. Insidijs pudicitiæ virgineæ structis honestum amoris & amandi nomen prætexet.Itane ô perfidi illaqueatores simplices & incautas animas decipitis, quò eas deinde in probrum morte ipsa grauius deturbetis?& sanè turpitudo hæc sæpe deceptas ad desperationẽ cogit.

5. Cholerico & bilioso minimam contradictionem vt insignem quandam proponet contumeliam, vt eum in detestabili duello, ad mortem depugnando derepentè faciat occumbere.

Iud.4. 6. Lac videlicet propinat,soporem cõcilians, vti olim Iahel Sisaræ, post autem animam enecat.

7. Muscam vel escam speciosè ostentat, vt deinde desperatæ cuiusdam pœnitentæ hamo infixo interiora dilaceret, vti apud Emblematographum panem porrigit,& lapidem quo feriat,occultat vsurario v.g. rem domesticam necessariò curandam, & è pecunia lucellum aliquod colligere fas esse, persuadebit,

sed

ſed poſteà cùm corpus transfoderit, animam occidit.

8. Saccarum offert palato & ori dulce, ſed interius id vermes generat, & putredinem. Vetus parœmia eſt, ἔχθρων δῶρα ἄδωρα, id eſt, ab hoſte oblata dona, dona non ſunt. Mendax enim vultus eius vos decipiet. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, ingreditur blandè; ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber; & ſicut regulus venena diffundet.* Prou. 25.

9. Aqua ſuo in centro, vt nôrunt vrinatores, grauis non eſt, ſed extra ipſum conſtituta, grauiſsima. Si quis peccato immerſus ſit; onus illius & grauitatem non ſentit; ſed tum demum, quando ipſum ab anima geſtit abijcere. Hinc Dauid cùm eodem egreſſus eſſet, aiebat *iniquitates* ſuas *ſicut onus graue ſuper* ſe *grauatas fuiſſe.* Pſal. 37.

10. Virulentum Heracleotarum mel vulgari quidem melle dulcius eſt, ſed mortalem guſtantibus mortem adfert. Extra controuerſiam eſt, mundanas voluptates ſenſibus longè eſſe quàm ſpirituales ſuauiores & ſapidiores; ſed hæ ipſæ hominem tandem in *abſynthij* furibundæ deſperationis *amaritudinem* conducunt. Prou. 5.

11. Hanc quoque diabolus adhibere in tentando artem ſolet, vt ante crimen admiſſum oculos animi excæcet; poſt commiſſam verò aciem, ad ſceleris enormitatem perſpiciendam, acutiorem reddat. Sic Adamo, poſtquam pomum vetitum delibaſſet, oculos aperuit, quò nuditatem ſuam perſpiceret. & Ionathæ, poſtquam mel iniuſſu patris comediſſet, quò ſuam agnoſceret materiam. Cainum etiam in tam profundam deſperationis abyſſum deturbauit, vt peccatum is ſuum diceret enormius quàm vt veniã mereretur. Gen. 3. 1 Reg. 14. Gen. 4.

1. Huc ſcilicet & perfidum hunc Iudam conduxit: cui cùm veniæ ſpem ſubtraxiſſet, pœnitere eum quantumcumque vellet permiſit; probè cognitum habens, ſine hac tres reliquas pœnitentiæ partes paruo vſui futuras. 11.

2. Videtis enim, carissimi, Iudæ, si veniam modò sperasset & suos vitæ dies laqueo violenter non præcidisset, pœnitentiam completam futuram, & remissionem eum consecuturum fuisse, vti Apostolus Petrus eam adeptus est. Vultisne hæc manifestè cernere? Audite eius contritionem: *Pœnitentia ductus*; confessionem: *Peccaui tradens sanguinem iustum*; satisfactionem: *Retulit triginta argenteos.* Vnica vt apparet, Deus bone, desperatio æterni eius exilij & interitus perpetui causa est.

3 De Petro peccante legimus: *Egressus foras fleuit amarè*: & quia suæ contritioni ac pœnitentiæ spem admiscuit; veniam facilè consecutus est. O beatam & animosam spē! Ne permittas, obsecro, Domine, ea nos vnquam excidere: *Qui sperant in Domino, assument*
Isaiæ 40. *pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient*, atque ideò,
Psal. 30. *in te speraui, non confundar in æternum. In te sperabo,*
Ps. 56. & Psal. 90. *donec transeat iniquitas.* Dixisti enim: *Sperauit in me,*
Psal. 56. *& ego exaudiam eum*, &c. *Qui in me sperabit, liberabo*
Psal. 26. *eum, cùm ceciderit, non collidetur, quia supponam ma-*
Iob. 15. *num meam* Idcircò *si exurgat aduersum me prœlium, in hoc ego sperabo Etsi occiderit me*, etiā *in ipso sperabo.* Nunquam de infinita Dei misericordia desperandum est: profundissima quippe peccati abyssus, imò peccatorum omnium peccatum est, desperatio.

4. Modò ancoram, clauum & velum, (sunt hæc spei symbola) non amittamus, semper nobis portus salutis, omnibus peccati procellis nequidquam infrementibus, intrandi suppetit ratio.

5. Iobum & Abrahamum imitantes nunquam animum despondeamus, quin imò *contra spem* & appa-
Rom. 4. rentiam omnem *speremus.*

6. S. Catharina Senensis cùm oggerentem sibi cacodæmonem audiret, quidquid & quodcunque demùm
Blosius in monili spirituali. ageret, nullius pretij & valoris esse; Credo equidem, inquit, sed Dominus meus tantò me benignior est,
Psal. 41. quanto ipsa sum mala. Hac de causa *sperabo* in eo, & *confitebor illi*, & ipse erit *salutaris vultus mei*, vti est *& Deus meus.*

7 Cete-

7. Ceterùm, vt aliquam ſemper ſpem habeamus, neceſſe eſt, vt noſter de peccato commiſſo dolor, ex amore proficiſcatur, non timore; ac filialis ſit, non ſeruilis. Cum quo timore etiam ipſe amor conſiſtere poteſt de illo namque timore ſcriptum eſt: *Timor Domini ſanctus permanens in ſaculum ſaculi* Pſal. 18.

8. At ſeruilis timor ad deſperationem hanc viam ſternit: cuius formidinis nimietate Iudas in hanc deſperationis abyſſum proruit, & Pantheus quidam factus eſt ab Eumenidibus agitatus, aut velut Oreſtes, paricidalis proditionis ſuæ furijs correptus.

Ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens
Fluctuat.

Vt ſecundus Cain, iuſti Abelis interfector toto orbe *profugus ſuper terram* libenter vagaretur: Gen 4.

Sed quæ illum tellus miſerum, quæve æquora poſſent 3 Aene.
Accipere? &
Quò ibit à ſpiritu Dei, aut quò à facie eius fugiet? &c. Pſal. 138.

9. An non, cum Dalila, eum pœnitet, quòd Samſonem in hoſtium manus tradiderit? ſed ſeriùs. Nullum quidem, fateor, ad pœnitentiam ineptum eſt tempus; tamen non rarò fit, vt *pœnitentia ſera non ſit vera*, cùm coacta quodammodo ſit, & vera contritio debeat eſſe dolor liber, voluntarius, ex amore, non verò è mortis vel inferni timore aut formidine in animo excitatus. Has ergò extremitates præueniamus, fratres, & maturiùs ac tempeſtiuiùs pœnitentiam, ſi quæ concipienda eſt, concipiamus. Iud 16.

10. Interim hoc in pũcto diuerſam duorum horum Apoſtolorum, quorum vnus quidem adinſtar Eſau reprobatur, alter verò, vt *Iacob eligitur*, ſortem vobiſcum perpendite. Rom. 9.

11. Sunt hi duo illi hirci veteris teſtamenti, quorum vnus immolatur, alter liber dimittitur; nec non duo paſſeres, quorum eadem eſt ſors; denique duo Leuit. 16. Leuit 14. Gen. 40.

Gen. 40. serui Pharaonis, Iosephi in custodia socij, ambo quidem carcere emissi, sed hic honoribus in curia donandus, alter verò, vt ad supplicium raperetur: vnus acceptus, alter reiectus: Atque ita, reuera adimpletum illud de Iuda Prophetæ vaticinium: *Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & Episcopatum eius accipiat alter.* Psal. 108. Act. 1.

III. 1. Infortunatus traditoris huius, qui sponsum prodidit, & crepuit medius, finis & catastrophe occasio mihi futura est, vt infelicē vobis finē in mentē reuocem eorum, qui eiusdem sponsam, id est, Ecclesiam prodidêre. Nostis, quàm infelicem scelestus ille Trinitarius Arrius exitum habuerit, qui in locis infamibus aluum dum purgat, omnia intestina effudit & eiecit: *Et diffusa sunt omnia viscera eius.* Act. 1.

2. Nostis Lutherum, instar porci epicurei perijsse, adipe & abdomine non modò distentum, sed & offocatum. Quia etiam *prodierat quasi ex adipe iniquitas eius.* Psal. 72.

3. Caluinus porrò tam vicinus nobis itaque in proximo, (etsi noxius errorum eius habitus territorium hoc non afflauerit nec attigerit) mortuus est, vt si vobis eum è phthiriasi, vel pediculari morbo exstinctum dixero, nec non podagra, & hæmorrhoidibus infamibus, & quidem insolita quadam copia profluentibus, & ex vlcere in membris secretis adeò putenti, vt nemo amicorum ad eum, deterritus fœtore, accedere propiùs vellet, (quod tamen Beza dissimulat, dum id eius adscribit morositati, quæ non minùs diabolicum malum est) si inquam hæc vobis dixero, nihil non allaturus sim; sed repetiturus duntaxat, quod ipsi me iam dudum docuistis. Sed qui nouêre, qua de causa Nonioduno profugus in vicinam hanc Babylonem concesserit, in infami hac morte insuper notant, in illis eum diuina vindicante manu castigatum & afflictum esse partibus, in quibus tam probrosè deliquerat, & pedicularis hæc impetigo & fœditas quid aliud erat, quàm opinionum multiplicium, quibus aliquo- Bolsecus in vita cap. 22.

aliquorum,(quorum conuersionem instanter vos velim à Deo per preces deposcere) mentes infecit,symbolum.

4. In hac verò Iudæ crepatione latentem notare vos & admirari perfidi cordis eius duplicitatem velim,vt quæ hinc manifestè patescit;adeò vt *operiatur sicut diploide confusione* sua,& scelus hoc eius,*in tenebris* peractum,per hanc viscerum effusionem *in lumen* & publicum *proferatur*. Psal.8. Luc. 12.

5. Reuocat hoc mihi in mentem Metij Suffetij,quem reip. proditæ reum quadrigis Romani in varias distraxêre partes,dilacerationem,vt per hanc corporis hinc inde discerptionem mentis & moliminum eius disgregatio significaretur. Liuius lib.1.

6. Nec non historiam illam, quæ in spectaculo Exemplorum, de auaro illo proditur, cuius emorientis cor auro quod tam perditè diligebat insiliens adhæsit,tetro in cordis locum bufone se in vẽtre ingerẽte.

7. Per Deum,obsecro carissimi,videte,ne per indignas corporis Dominici communiones, vti sceleris, ita & infelicis catastrophes perfidi huius proditoris, participes fiatis.S.Paulus tot subitaneas suo tempore mortes,vni huic causæ adscribit:*Propterea*,inquit,*inter vos dormiunt multi*;tot apoplexiæ,tot catharri obruentes, tot suffocationes repentinæ, tot mortes improuisæ & subitæ ab hac plerumque causa originem trahunt. Consentaneum enim & æquum est, vti Magnus ait Augustinus, vt in moriendo is obliuiscatur sui,qui,dum viueret,oblitus est Dei. 1.Cor.11.

8. Cauete hoc,& scitote, non aliter pœnam peccati comitem esse,quàm corporis vmbra est, & vt catena mancipio triremibus addicto imminet.

9. Denique Iudas noster veterem illam maledictionem moriens subit, qua olim malefico morituro dicebatur : *Infelici arbori suspenditor*. Videant igitur peccatores, ne similem maledictionem & infelicitatem incurrant; mala siquidem mors vitæ scelestæ esse fœnus & fructus solet.

1. Quin etiã vocẽ quàm poſſum maximè intendẽdo moneo eos, qui aliqualem iam virtutem & pietatem in flore & lanugine habent, vt à præſumptione inprimis ſibi caueãt: hæc enim alterum ſpei extremum eſt. Deſperatio à ſcelerum grauitate ortum habet, & nimis bona de ſeipſo opinio & præſumptio ab exteriori quadam pietatis & probitatis ſpecie Quàm autem periculoſo in ſtatu v rſatur, qui ſe aliquid eſſe exiſtimat! in ſuperciliosi ſcilicet ſcopuli verſatur vertice, vnde ingentem ruinam in proximo illi imminere conſtat.

Pſal. 130. Vincent. Lirin. cont. profan. hær. nouit. Euſeb. hiſt. Eccl. l.6.c.15. Socr. l. 2. cap. 25. Sozom. l. 4. cap. 5 Ezec. 31 Horat. l. 2. odar. Luc. 3. 3. Reg. 11.

2. Ploramus eheu! & deploramus etiamnum magnorum illorum & illuſtrium virorum ruinas, Origenis, Tertulliani, & Hoſij qui quòd *ambulare noluerint in magnis, & in mirabilibus ſupra ſe*, ſcandali Triumuiratum in Eccleſia conſtituerunt; fictas Phaëontis, Icari, & Promethei temeritates reipſa in ſe veras eſſe oſtendentes: quomodo non timeat abies, cùm celſas cedros Libani ad terram concidere videt? Adeò ſcilicet verum eſt, à reprobationis fulminibus altiſsimos vt plurimùm montes tangi: *Omnis mons humiliabitur.*

3. Admirabili quadam ſcientia donatus Salomon, quia idola adorauit, & hinc de eiuſdem ſaluatione ſine ratione dubitant Scriptores.

4. Doctor ille Pariſienſis, qui, cùm ob vitæ præteritæ puritatem de ſe præſumendo, animam efflaret; poſt mortem palam omnibus in templo, in quo eius exequiæ celebrabantur declarauit, iuſto Dei iudicio ſe condemnatum eſſe, terribili eſſe exemplo poteſt ijs, qui debilibus alis ſuis in cœlum forſitan ſe euolare poſſe ſperarent. Horrẽdus ille caſus cauſa eſt, cur ſanctum Carthuſienſium ordinem Eccleſia Dei habeat; ſiquidem S. Bruno horribili hoc ſpectaculo commotus vnà cum ſocijs, à mundo ſe ſubducens, in ſolitudinem animæ conſulturus ſuæ, conceſsit.

5. Quid? an non eadem præſumptio pulcherrimum Angelorum, vnà cum aſſeclis, è ſummo cœlorum in imum Tartari deturbauit?

6. Pro-

6. Profectò si Iudæ qualitatem & dignitatem, exactè consideretis, comperietis, eius, quod ad sublimia euectus esset, & lapsum multò grauiorem exstitisse, tum scelus multò detestabilius. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Rom. 11.

7. Tremiscamus fratres, & *salutem* nostram *cum metu & tremore operemur*: nam, præterquam quod nemo in hac vita certò norit, *vtrum odio an amore dignus sit*, certè vbi iam mors aduenerit, homo *nescit quò vadat*; tum etiam diabolus summa connititur opum vi, *sciens quia modicum tempus habet*. Vndè nullis est precibus exorabilis aut flexibilis. Phil. 2. Eccl. 9. Ioan. 12. Apoc. 12.

8. Demus operam, fratres vt in Domino moriamur, quò ipse nos dein, si in eius gratia cursum nostrum absoluamus, coronet gloria: siquidem *mors sanctorum Dei in conspectu eius pretiosa est*. Oremus itaque, vt *morte iustorum* nos *emori* faciat, & *fiat* doctrina nostra *illorum* doctrinæ *persimilis*. Quid enim, eheu! aliud nobis in hac vita faciendum incumbit, quàm vt bene mori discamus; & ad bonam mortem nos præparemus? Psal. 115. Num. 13.

9. Periculoso hoc in freto ita cursum nostrum dirigamus, vt scyllam & charybdim inter rectè nauigemus, hinc præsumptionis scopulum euitantes, sed *in pace dormientes in idipsum*, & in quiete somni mortis, humiliter in misericordia dulcissimi Iesu confidentes. Psal. 4.

Hinc discite, artes & vafritiem communis aduersarij nostri euitare, 2. pœnitentiam sub spe veniæ impetrandæ agere, 3. vitam & mortem proditoris huius detestari, 4. omnem præsumptionem à nobis excludere.

DO-

DOMINICA IV. QVADRAgesimæ.

Mittitur Iesus ad Pilatum.

HOMILIA XXII.

Mat. 27. Marc. 15. Ioan. 18. ADducam ergò Iesum à Caipha in Prætorium, ad Pilatum præsidem Noster itaque Agnus à tribunali Ecclesiastico ad brachium mittitur sæculare, quò furenti Scribarum ac Pharisæorum inuidiæ immoletur. Atque hæc quarta est Passionis Dominicæ statio, in qua considerabimus primò, hanc Redemptionis missionem, & Deiparæ Matris ei occursum; 2. ipsam Præsidis interrogationem, 3. Saluatoris responsum, 4. denique innocentiam illius, eius etiam ore confirmatam declaratamque, à quo post iniquissimè morti est adiudicatus. Ingrediemur.

Ioan 3. Mat. 22. Luc. 20. Act. 10. Rom. 2. 2. Cor. 1. Galat. 2. 1. Venerat in terram Dominus, vt mundum vniuersum morte sua saluum faceret; neque enim personarum acceptor est, nec vlla apud eum Iudicei Græci distinctio: sed pro omnibus sine vllo discrimine peccatoribus sanguinem suum effundere vult. Vnde etiam in passione sanguinem eius, tam ab Hebræis, quàm ab Ethnicis, videmus effundi. Fuit quoque patri, tam pro illorum, quàm horum redemptione Ephes. 6. oblatus vtrumque etiam tribunal tam IVDAI-Coloss. 3. CVM, quàm gentilicium in mortem eius curauit; mortuus denique pro ijs etiam est, à quibus neci adiudicatus est.

2. IN HAC IGITVR ablegatione adim-Psal. 107. pletum illud vaticinium: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti*

ĉti sunt. Nec non illud: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ*. Et, *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Psal. 68.

3. Venerat, fateor, potissimum, *propter oues domus Israel*, vt eas saluas faceret: nam in veteris testamenti voluminibus *in capite libri scriptum erat*, de eo non idcirco minus eum Chananæis, Centurionibus, Magis, Orientalibus, Abagaris, gratificari & benefacere cernimus: ostendendo etiam Gentes se in *hæreditatem* accepisse, & in *possessionem terminos terræ*. Cant. 5. Mat. 15. Psal. 39. Psal. 2.

4. OMNES omninò homines DEI imaginem in anima gestant, & hanc ipse imaginem, peccato ADAMI deformatam, reformatum venerat.

5. Videte itaque vt Iacob noster manus decusset, quò Ephraim & Manasse, vtrique inquam populo, Iudaico & Gentilicio, benedicat, bonumque eis pro malo reddat, benedictionem pro maledictione, dilectionem pro odio. Gen. 48.

6. Ita etiam post, ad eius imitationem Paulus & BARNABAS, ab Hebræis verbum prædicationis EVANGELICAE audire nolentibus repulsi dicebant: *Vobis oportebat primùm loqui verbum* DEI, *sed* &c. *ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit* DOMINVS: *Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ*. Act. 13. v. 46. Isaia 49.

7. Rem miram in hac missione notate; noluisse scilicet Pharisæos in Prætorium Pilati intrare, ne commacularentur: & Euangelistæ referunt. Hypocritæ, qui *excolatis culices & camelos deglutitis*. Prô scelesti fas, fidem omnem & æquitatem violatis, innocentem condemnare vultis, & ob nescio quam, cæremoniam violandam angimini scrupulosi. Imitantur hoc superstitiosi, qui de nugis, in speciem exterius pietatẽ redolẽtibus, à parte rei tamẽ veræ religioni directè aduersãtibus tã amicè soliciti sunt. Per hanc verò Mat. 23.

viam

viam *inimicus homo* plurima in veræ fidei agro *seminat zizania.*

8. Erunt siquidem nonnulli, qui ijs, quibus cerebrosa illorum deuotio ieiunandum censuit diebus, suam aquæ linguam, etiam mortis periculo proposito, ne intingere quidem vellent; interim tamen erunt, vt eos describit Apostolus, *elati, cupidi, superbi,* &c. de
2.Tim. 3. quibus in fine ait: *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita.* Vltima hæc verba insigne nos ex hac Iudæorum superstitione documentum elicere posse docent, scilicet omnem esse hæreticorum conuersationem fugiendam, tum illorum domos & oppida non adeundo, tum etiam eos quàm rarissimè in nostras tam domos quàm oppida admittendo. Dignè enim satis verbis exprimi nequit, quàm eorum noxia, contagiosa & letalis sit conuersatio.

9. Inter superstitiosos illos, videre quoque erit ali-
Isaia 58. os auaros, vsurarios, vindictam spirantes, detractores, malignos, de quibus dici queat: *In diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, ad lites & contentiones ieiunatis.*

10. Sunt & alij, qui dum sacras Eucharistiæ epulas inire volunt, exteriori quodam cultu se præparant, melioribus amicti vestibus, & mundum albumque collare induti, & se comentes & fucantes, perinde ac si ad tripudium irent: quorum tamen de anima interea vel minima cura est, quin imò nesciunt, quid sit ornare & præparare conscientiam; qui dum ad confessarij sedile accedunt, vix suum recitare possunt *Confiteor*. Non hîc cultum & nitorem illum externum carpo; Sed hoc reprehendo, quòd animæ, quæ potissima hominis pars est; ornatum negligant quò sepulcrum eius, id est, miserabile hoc corpus, studiosè dealbetur.

11. Alij qui in aliorum obsequio ministerioque versantur, eum, quo Synaxin sacram adeunt, diem sibi feriatum esse, ac nihil omninò se agere debere existi-
mant,

mant. Quis has nugas huc inuexit? Si enim dies festus sit, seruilibus est operibus, iuxta communem cõsuetudinem, abstinendum; at si dies operi dicatus, plus solito & ardentius labori insistendum: cùm *panem viuum, panem Angelorum* Deo assiduè ministrantium & *panem fortium* intra vos sumpseritis. Quis vos docuit communione sancta vestram esse fouendã inertiam ac torporem? An non sacerdotes, in Religionibus & austerissimis, & feruentissimis, quotidie sacra celebrant, attamen ideò vilissima domus officia, prout ab obedientia ijs erit iniunctum, obire non desinunt. *Ioan.6.* *Psal.77.*

12. In hac verò Redẽptoris à Caipha ad Pilatum, quæ summo manè (vt Euangelistæ testantur) contingit, conductione, B. Virgo, (vt contemplantur pij scriptores) Bethaniensi suo manipulo alijsque qui Ierosolymis se illi associarant, comitata ei occurrit, tum inquam, cùm à Pontificis ædibus ad prætorium abduceretur. Quàm, Deus bone, tristis & lugubris hic fuit occursus! Hunc fratres mei, vobiscum taciti expendite: pluribus enim de eodem agere vetat locus, & temporis angustia.

13. Arcâ Noë iam præparatâ, successit diluuium. *Gen. 7.* Arca nostra Iesus in tormentorum aquis, iam præparata erat, videte ergò, quomodo *abyssi* cordis virginei, *intes, & cataractæ cœli* oculorũ eius lacrymarum diluuium emittere incipiant.

14. Satis diu paupercula hæc ad ianuam palatij Pontificij, à quo eam ianitores excluserant exspectarat: modò verò, vbi ex hac egressione carissimi filij sui, condemnationem eius colligit (quæ vt executioni mandaretur & confirmaretur, ad Pilatum mittitur) quanta, Deus bone, matris huius fuit agonia & angustia. Exponere eam, fratres, dignè non possem, imò nec eam animo aut cogitatione percurrere quin dolore disrumpar.

15. Dicerene ausim, quomodo filij huius & matris huius oculi sibi inuicem occurrerint, & quomodo

mutua

mutua radiorum vtrimque refulgentium collisio, corda amborum mortali quadam plaga consauciauerit? dicerene ausim, quomodo respectus hi in silentio & cogitatione *loquerentur lingua Angelorum*? Auderem quidem si possem: sed non valeo

1. Cor. 13.

36. Quoties, heu! benignissima hæc Virgo, inter Ioannis & Mariarum manus, semianimis procidit? quoties etiam hæc ipsa doloris vehementia, quæ deliquium hoc causabat, ab amoris impulsa & victa excessu, eam vrgebat vt ponè sequeretur illum qui sibi auferebatur, quique ante oculos eius ad necem trahebatur? Morte itaque rediuiua ac renascente moriebatur & morte viuebat viuente. Quamobrem, ab exiguo loco sustentata manipulo ad Prætorium vsque dilectissimum filium affectatur: sed cùm id illi intrare nefas esset, ad ianuam cum furibunda illa Iudæorum turba manere coacta fuit: horum verò furore & petulantia illius increscebat dolor, qui etiam in illius gaudentes malis, dolores eius exsibilabant.

II. 1. Pilatus verò exijt ad eos foras in pergulam atrij prætorij (qui locus eminens & sublimis, è magnis erat constructus lapidibus, vnde etiam *lithostrotos* dicebatur) prodiens: atque inde eorum accusationes, quæ ad tria reuocari capita possunt, excepit. Dicebant igitur, adduxisse se illi primò quandam populo seductorem, deinde qui doceret nefas esse tributum soluere Cæsari, denique qui se Regem facere vellet. Quæ certè tres calumniæ ipsamet falsitate falsiores & mendaciores erant, & in ipsorum accusantium recidunt capita.

Ioan. 7.

2. Quid? illene seducebat populum, qui tot morbidos sanabat, totam hominum multitudinem in deserto pascebat, docebat turbas, vt Scribarum & Pharisæorum iussis præceptisque parerent; quamuis cum doctrina eorum orta consentiret; denique qui tam benè prædicabat & docebat, vt non pauci Scribarum, scientiam eius plusquam humanam existimarent?

3. Quid?

3. Quid? illene à tributo soluendo populum auoca- *Mat.7.*
bat, qui ipsemet tributum pendebat, docebatque *red-* *Mat.12.*
dere Cæsari, quæ sunt Cæsaris?
4. Quid? illene regno inhiabat, qui fuga se subdu-
cebat cum turbæ constituissent eum sibi Regem crea- *Ioan. 6.*
re, prout in hodierni diei traditur Euangelio; & qui
regnum magis fugiebat, quàm subiectionem, & do-
loribus honores postponebat? Breui idipsum ad ocu-
lum tum patebit, cùm paucissimis verbis succinctis-
que Pilato dicet, regnum suum non esse de hoc mun-
do.
5. An igitur *iniquè mentiuntur*, & sibi ipsis os oc-
cludunt, qui coram ipsamet Iustitia falsitatem & mē- *Psal. 26.*
dacia depromere non verentur? O verè diaboli filios,
vt cuius nomē Calumniatorem sonat! ô vipereū geni-
mē patris illius mendacij, qui *homicida fuit ab initio!* *Ioan. 8.*
Videte igitur vt nodum quærant in scirpo, *& delictum* *Psal. 2*[illegible]
oris eorum, sermo labiorum ipsorum comprehendatur
in superbia sua, & in execratione & mendacio consu-
mantur.
6 Sic facere mundani solent, cùm concionator ali-
quis has candidè sincereque veritates illis proponit:
hinc illa his displicet, cumque in vita eius nihil inue- *Psal. 51.*
niant quòd *linguæ dolosæ* coarguant, ad *verba* descen-
dunt *præcipitationis*, ad clamores mendaces & ad
murmurandum, eum seditiosum, seductorem populi,
publicæ quietis perturbatorem, & reip. hostem capi-
talem esse iactitando. Sed ô propositiones delicatas!
hæ enim mox vt proferuntur creduntur, antè confir-
mantur quàm examinantur. Nam cùm nihil sit suspi-
cacius quàm Reges, & quæ ad remp. & sæculum spe-
ctant, suspiciones nudæ statim vt veritates irrefraga-
biles admittuntur, & meræ coniecturæ vt argumenta
habentur certissima.
7. Tu ô *munde* semper *malignus* es: mali-
gnitas quippe accidens est à tua substantia
inseparabile, tu semper sinistrâ accipis, quod
tibi

tibi dextra porrigitur, idque ob sinistram & peruersam intentionem tuam. Consolemur itaque, fratres, quando nos calumniabitur mundus. Quid enim non faciat discipulis, cùm ipsum *Magistrum Beelzebub* vocare non sit veritus? Si tam præclaras & sinceras Redemptoris actiones malè peruerseque mundus interpretari potuit? Quid non in nostris adeò imperfectis culpandum inueniet?

Mat. 10.

8. Hac se sinceritate facti consolabatur S. Hieronymus, cùm æmuli illum ob Paulæ & Eustochij institutionem carperent & calumniarentur. *Quamdiu*, inquit, *in mundo hæ vixêre, mundoque seruierunt, tacuit inuidus; mox verò vt me suasore pietati vacare, & seueriorem vitam ducere cœperunt, suum aduersum me virus maleuolorum linguæ euomerunt.* Ita namque verum esse comprobatur illud Redemptoris pronunciatum: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis*, nolite mirari *si odit vos mundus. Beati eritis, cùm maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Ioan. 15.
Matt. 5.

III. 1. Pilatus autem, de his accusationis capitibus minutius percontaturus, à postremo affectati regni vt quod ad Cæsarem Dominum suum præ alijs maximè pertineret, incipit Ad quod Redemptor liquidò candideque respondit: *Regnum meum non est de hoc mūdo*: verè loqueris Domine, quamuis enim tua *esset terra & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*: quamuis eius sis creator & dominus; mea tamen causa dominium hoc à te abdicas, nec non diademati illi, quod tibi ceu legitimo Dauidis successori & filio debebatur renuntias; Da mihi, dilectissime amator, propter te omnia creata contemnere, honores, bona, voluptates, insulas quoque & regna despicere; da vt *omnia arbitrer vt stercora*, vt te habeam & *lucrifaciam*: nam *quid* alioquin *prosit homini si vniuersum mundum lucretur; & animæ suæ detrimentum patiatur?* Et verè: vna namque anima omnibus mundi

Psal. 28.
Psal. 3.
Mat. 16.

mundi rebus potior est, anima porrò sine amore Dei nihil est; hic autem amor cum terreno amore nequit subsistere, quia *amicitia huius mundi inimica est Dei.* Iacob 4.

2. Addit Dominus *venisse se ad hoc* duntaxat, *vt testimonium perhibeat veritati.* Audita veritate, petit Pilatus: *Quid est veritas,* & statim exijt foras. Ad eundem etiam modum mundani sermonem abrumpunt ac diuertunt, quando vitiorum suorum commonefiunt, & ad pietatis studium excitantur. Nam sicut (vti prouerbio dicitur) *importuna in luctu musica* est; Eccl.22. nam ingrata & displicens pœnitentia accidit ijs, qui *ducunt in bonis dies suos,* & *agunt dies lætitiæ,* audire quippe volunt *placentia,* & quæ palatum delectant; *à veritate autem auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur;* quia naturaliter *omnis homo mendax.* Iob. 21. Isaia 30. 2.Tim.4.

3. Vt taceam hunc proprium mundanorum, qui *meditantur inania,* genium esse, serias recreationes inanibus delectatiunculis postponere, & nugis potiùs, quàm rebus solidis serijsque intendere. Videre Psal. 2. hoc est in tot eorum de honore, vel minima prærogatiua concertationibus in tam varijs vestium formis, in tot nouis sumptus faciendi, & vanè sua expendendi rationibus: quas proinde non malè pueris compararem, qui è papilionibus & muscis voluptates capiunt.

4. Redemptor Iesus ipsamet *veritas* est, adhæc *via, & vita:* contra mundani *quærunt mendacium* ad *declinandum vias suas, & vmbram mortis,* quæ est peccatum. Ioan. 14. Psal. 4. Luc.1. Isaia 53.

5. Is, in cuius *ore dolus non est inuentus, sermonibus odij circumuenitur.* Neque hic *fortis veritas præualet,* sed mendacium & impostura superiores ferunt. 3. Esd. 4.

6. In leui hac Pilati rogantis *quid est veritas?* & responso non exspectato exeuntis actione, notate præterea, cor eius fomitem aptum non esse, ad fulgidas hasce scintillas concipiendas. Quamobrem vobis auctor ego sum, vt corda vestra ad diuinarum inspirati-

onum lumen accipiendum diſponatis.

7. Hem rem deplorandã! ſunt qui,dũ pauperes ſtipem petunt,nunquam minutos nummulos penes ſe habent:date igitur aliquoties per annum altioris pretij nummum,qui tot eleëmoſynæ negatæ defectus reſarciat.

8. In hac præterea Pilati actione ſpiritum notate vertiginis & immutabilitatis, à quo ætatis noſtræ hæretici obſidentur. Vbi enim de vna controuerſa quæſtione diſceptare cum ijs cœperis, quamprimùm de alijs plurimis ſimul loqui incipiunt, vt per hanc mutationem materiæ effugium inueniãt,ſi rem vnam preſſeris,exeunt, & ſe ſubducunt,pietatem adire non ſuſtinentes.

9. Ad alia duo accuſationis membra Redemptor Ieſus verbo reſpondere detrectat, cùm nonniſi meræ eſſent calumniæ, ad libitum excogitatæ, quæque ſeipſæ iugulabant. O prudens ſilen ium,quo notato,Pilatus ſummopere Redemptoris eſt conſtantiam demiratus, vitam & honorem ſuum verbis defendere
Pſal. 38. non ſuſtinentis.Dicere itaq; poterat: *Obmutui, & hu-*
Pſal.27. *miliatus ſum, & ſilui à bonis*, nec non *factus ſum ſi-*
Pſal.38. *cut homo non audiens*.Et: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.*

10. Quid igitur aliud ex his ſequitur, quàm vt veſparum harum mordacium aculei in pectus hoc æreum omni morſui impenetrabile, confixi retundantur?

IV. 1. Vnde Pilatus in pergulam ad Iudæos foras egreſſus palàm Iudæis inclamat, *nullam ſe mortis cauſam in homine iſtoc inuenire*. Videtiſne quàm fortis ſit innocentia , cùm *ſalutem ex inimicis & de manu odi-*
Luc.1. *entium* elicere videatur.
Pſal. 66. 2. Hic locum habuiſſe videbitis verba illa Pſaltis:
Pſal. 118. *Odio habent me gratis,Gratis me perſequuntur, Gratis*
Pſal.34. *abſconderunt laqueum mihi.*

3. Quis poſt hac innocens, ſecurus , in media hominum cæcitate , & periculoſis vitæ huius tene-

tenebris viuere audeat? Rusticus ille qui Aristidem condemnabat, non alia ad eum condemnandum ratione mouebatur, quàm quòd illi displiceret Iustum illum passim vocari. Quid? annon certum est, illud *hosanna in excelsis*, & acclamationes illas populares, primarios fuisse stimulos, à quibus maledicta Scribarũ inuidia, ad Redemptoris mortem omnimodis & quolibet pretio inferendam fuerit exstimulata? *Marc. 11.*

4. In quem inuidiæ labyrinthum præcipitatis vos, qui mundi applausum & gloriam insectamini! incassum & frustra magnã vobis virtutum ac meritorum collegeritis segetẽ, illa sunt n. inuidiæ alimẽtũ, à qua opprimemini, nisi prudentię adminiculo eã declinetis.

5. Pilatus nullam in Christo mortis causam inuenit: nos verò duas inueniemus, præter quas eum mori oportuit. Primò delictorum nostrorum grauitatẽ, quæ tali piamento debuit expiari: deinde extremæ eius charitatis excessũ, quæ eum ad mortẽ hanc voluntariã adegit. Harũ causarum vnã, quæ in nobis est, execremur, alteram, quæ in benigno amabiliq; sponso nostro est admirando laudemus.

6. Hac innocẽtiæ manifestatione audita Iudæi, veriti ne hæc manibus suis præda elaberetur, inclamare ocepiũt populũ omnẽ iã inde à Galilęa ad Ierusalem vsque ab eo concitatũ fuisse Pilatus verò Galilęã audiẽs & percõtãdo intelligẽs Iesũ verè Galilæũ esse, importunũ se rabiẽtiũ harũ tigridũ clamorẽ à se depellere posse credebat; si eũ ad Herodẽ Galilææ Regem, qui illis fortè diebus Ierosolymam venerat, mitteret.

7. Hæc vltrò citroq; Redẽptoris ablegatio in memoriam mihi reuocat lõgas tędiosasq; litium productiones, à quibus mundus lento igne cõsumitur. Quid dicam? Rota Ixionis est, & vita finem non habens. Hîc & vita & facultates, & amici, non rarò etiam anima ipsa perditur: adeò vt sæpè multò foret satius citò causa cadere, quã serò post longam vitilitigationem superiores ferre, cùm in impensas inutiles res, de qua controuertitur, non rarò eliquata pereat.

8. Non minima bonitatis iustitiæ vestræ, ô Iudices, pars est, ipsa breuitas. Festinate itaque in litibus diiudicandis & tollendis: nostis odia restringenda & minuenda: atqui in contentiosis litibus & controuersijs, aliquod odium plerumque interuenit.

Sueton. cap. 30. 9. Caius Caligula Imp. capitis reos longis lentisq; supplicijs consumebat, *vt se* (aiebat) *mori sentirent*. Vnde cuidam mortem suã vt acceleraret roganti respondit: *Nondum mecum in gratiam rediÿsti*.

Ioan. 13. Tacit. Gellius l. 3. c. 9. 10. *Quod facitis*, Iudices, *facite citò*; &, *bis dat qui citò dat*. Imo verò addo, propè donare, esse, auferre id, cuius iniusta possessio, (vti equus Seianus) plus detrimenti adfert quàm emolumenti.

11. Iesu verò Prætorio egrediente, quò ad Herodem abiret, denuò dolens mater occurrit. O noue Antipheron, qui tuam semper ante oculos versantem imaginem habes! Nam, fratres mei, sicut in diuinis, qui videt Filium, videt & Patrem: ita in humanitate, filius & mater magnam adinuicem habebant similitudinem.

Virgil. 4. Aene. 12. Ecce, ô pulcher sol, sed iam tenebrose, vt vmbra te tua vbique locorum comitetur: *Omnibus vmbra locis adest*. Interdum verò, satellitum multitudine & cohorte laxando se aperiente, lucidum hoc sidus velut inter duas nubes promicans amicos quosdam in matrem suam carissimam, eiusque comites intuitus emittebat, sed intuitus, qui nubes has in lacrymas resoluebant.

Deut. 22. 13. Hem quæ, Deus bone! crudelitas! In veteri lege vetitum erat, auem in nido incubantem vnà cum pullis comprehendere. Videte autem vt hic secus ac lex vetet, filius simul & mater, eodem tempore crucientur; hæc quidem corde, ille autem corpore.

14. Lex quoque prohibebat ne agnum vnà cum oue matre quis Domino immolaret. Sed an ista hîc violata est? Verùm quid omnis passio hæc dolorosa aliud est, quàm continua quædam legum diuinarum & humanarum omnium violatio? Sed prô nouã & prodigio-

digiosam Dei prouidentiam, qui ex hac inordinatione redemptionis nostræ ordinem & œconomiam elicit!

Ex hac homilia discite 1. missionem Iesu Christi ad Pilatum, 2. huius extraordinationem, 3. illius responsum 4. innocentiam Agni miris laudibus extollite, cuius & *inimici facti sint iudices.*

FERIA II. POST DOMINIC. IV. Quadragesimæ.

Ablegatio ad Herodem.

HOMILIA XXIII.

S*Preuit illum Herodes, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* In sancta hac passionis statione notaui, quomodo Redemptor Iesus, & ipse Princeps tenebrarum (cuius Herodes imago est) suas in mundo ambo excitent academias, diametraliter inuicem oppositas. Mundus sectatores suos & academicos, ad sapientiam erudit mundanam, Iesus verò ad sanctam quandam stultitiam, ipsam inquam deuotionem, 2. Ille ad curiositatem, Redemptor ad simplicitatē quod in Herodis Dominum Iesum vt fatuum irridentis curiositate manifestè patuit, 3. Docet ille loquacitatem, quam falso eloquentię nomine donat, at Redemptor silentium; sicut hoc loco declarauit, dum ad nugacia Herodis postulata ne verbum quidem respondit. 4. Ille ad pompam & splendorem vestes gerit, suam Redemptor ad harū vanitatū contemptū. Hæc vobis iam prosequar, Auditores, vt videatis vtranam in academia nomina dederitis. *Luc. 23.*

1. Prima itaq; academiæ maligni magistri lectio & præceptum, circa prudentiam sæculi versatur. Dicunt siquidem prudentiores, Discenda ars viuendi est: hinc illud poëtæ afferunt dicentis:

Nullum nomen adesse, si sit prudentia.

Credunt adhæc, quod

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, felix,
Pulcher, honoratus, diues, Rex denique Regum.

Hoc primum parentes, dum filios ad studia mittunt, ijs præceptum prælegunt: Emergendum est, aliquo esse loco in mundo oportet. Hinc magnam vanitatis curam gerunt, de virtute parum laborant: si linguam Latinam & Græcam, Poëticam, Rhetoricam & Philosophiam perdiscant: in ijsque artibus excellant, gaudent & plaudunt, at de vera sapientia, quæ in legis diuinæ obseruantia sita, ne hilum curatur: maiore etiam laborant cura, vt Ciceronem, Aristotelem, Platonem hi calleant, quàm decalogi præcepta. Deniq; mundus adinstar firmamenti stellaris omnes ad seipsum conuersos intro oculos habet; omnesq, cõmoda & lucra temporalia spectant, vix vllus spirituale, &
Hebr. 13. perinde ac si *haberemus hic ciuitatem manentem, de futura* minima omnium solicitudo est.

2. Hæc quippe tua illa scientia est, à qua olim sophorum aut sapientium nomine dicebantur ij qui ea vel modicum tincti erant. Arrogans & præsumptuosum id nomen cùm esset, Pythagoras id nonnihil emolliuit, dum eos Philosophos, id est sapientiæ amatores, dicendos existimauit.

3. Sunt & alij sapientes mundani, multò sciolis illis Gentilium Sophis nequiores, illi inquam, qui in dignitate aliqua sunt constituti: quos Redemptor *prudentes sæculi filios* appellauit. Noctuæ sunt in terre-
Luc. 16. stris regiminis tenebris acutum videntes; sed ad cælestium rerum lumen cæcutientes atque ideò in qualibet pietate & probitate ignari & idiotæ.

4. Machiauelistæ, inquã, qui virtutẽ esse dicũt si quis tectè dextrè mẽtiatur, industriè proximũ decipiat & circũueniat, egregius simulãdi sit artifex, ita auẽ deplumet vt clamorem tamen non edat, per fas & nefas rem suam faciat, sacramento & iuramento velut laxillis ludat (Lysandrum imitando) scitè cauteq; aliquem prodat, per stultitiam simulatam & vafritiem

in caf-

in casses pertrahat; si quis denique ouicularum, quæ se à lupis his canum fideli m exuuias indutis, incautè simpliciterque conduci & excoriari sinunt, simplicitatem proculcet & illudat. Omne horum studium est cœlo terram, tempus æternitati, vitam præsentem futuræ religioni, Politicam gubernationem, denique *Principem tenebrarum Patri luminum* anteferre Sunt autem hi inprimis perniciosi, *vestiti duplicibus*.

5. Academia verò Saluatoris Sapientibus & versutis hisce Sophis planè contraria est: hæc enim fatuam *Iaceb. 1.* *Prou.31.*
horum sapientiam sapienti quadam stultitia, quæ in ignorantia & sinceritate simplici consistit, è diametro oppugnat. Hîc Platones & Aristoteles planè nihil norũt; hic quidẽ adinstar genij subtilissimi, nulla naturæ arcana penetrauit; sed in supernaturalibus ingenuè semetipse profitetur instar noctuæ cęcutire. Hic Euripus scilicet est, in quo mergatur: Quin & in naturalibus sæpenumerò hallucinatus est, & turpiter lapsus; exempli loco sit stupidus ille error, quo mundum æternum & esse & futurum adstruit.

6. Ille verò (vt quidẽ fertur) Hebræorũ imbutus erat sciẽtia, sed tot eã nugis & inanijs offuscauit, vt hæc ei nonnisi in offendiculũ & lapidẽ offensionis fuisse videatur. Finxit quidẽ ex Olympi & Rheæ coniũctione natos esse amores. Sed eò nõ penetrauit, vt crederet è copula cœli & terræ, diuinitatis scilicet & humanitatis in tẽpore Iesũ Christũ nasciturũ, qui cœli terræq; foret deliciũ: quomodo igitur ad vsq; sapientem stultitiam crucis, quæ *Gentibus* quidem *stultitia, nobis autem sapientia*, prouenire potuisset?

7. Sic scilicet **Deus**, fratres, *per stultitiam fidei saluos facere voluit credentes*: nam *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. E contra, *sapientia humana stultitia apud Deum*: & *stultam fecit Dominus sapientiam huius mundi*: idcircò *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 3.* *1 Cor. 1.* *Ibid.*

8. Hem! quantum, diuinæ prouidentiæ prodigum est, *quòd fortitudinem fortium* per debilitatem expugnet

pugnet! Vniuersam Aegyptum virgæ Mosaicæ mini-
1.Reg.2. Exod. 7. & seqq. sterio, per sciniphes, locustas, ranas, tenebras, muscas subijciat! Philisthæos asini mandibula cõterat! Abrahę stirpem & semen per eum multiplicet filium quem Iud.14. Gen.15. mactari præcipit! quòd puero dissecari iusso, veram 3.Reg 3. eius matrẽ per Salomonis sententiam ostendat! quòd Mat. 10. etiã per oues lupos subiuget, (*Ecce ego mitto vos sicuti oues*, &c) & serpentes per columbas! vitam denique per mortem propinet! *Verè tu es Deus faciens mirabilia, tu es Deus solus.*

9. Ignorantiam selegit piscatorum, qua arrogantem Philosophorum scientiam contereret; Iuditham Iud. 14. quò Holofernem eiugularet. Dauid habetur *tanquam vnus ex histrionibus*, tamen coram oculis eius sapiens erat. S. Paulus ob zeli sui excessum *stultus* appellatur: 1.Cor.1. *Nos stulti propter Christum*, &c. *Supportate modicum* 2.Cor. 11. *quid insipientiæ meæ vt minus sapiens dico.* sic & Apo- Act.2. stoli vt stulti & ebrij habiti sunt.

10. S. Franciscus à proprio patre reputatus est vt fatuus & ecce vnus de prudẽtiorib⁹ Ecclesiæ fulcris est.

11. Quis non B. Ignatium de Loiola vt fatuum reputasset, si quis eum è Monte serrato Manresam sacco Gen. 15. indutum, & baculum manibus gestantem, altero pedum calceatum, altero nudipedem abeuntem conspexisset? & ecce, factus est in gentem magnam, & cõgregationis omnium quæ sub cælo sunt, doctissimæ & sapientissimæ parens.

12. Quomodo mundũ de deuotis spiritualibusq; hominibus loqui putatis? non secus ac de hominibus insensatis & emotæ mentis Sed veniet dies, quæ carmine & tono immutato, irrisores & subsannatores, in Sap. 5. flammis æuiternis cantabunt: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* &c.

13. Quid verò hæretici de Religiosis Reformatis dicunt? tantum verò abest, vt eos admirentur vt eos ceu fatuos, suiipsorum interfectores, manticarios, mendi- Mat. 5. cos, denique quo non nomine? appellent Sed *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

14. Ma-

14. Materiam hanc duabus claudam insignibus sententijs: vna sapientis est, dicentis: *Ne sis sapiens apud temetipsum*: altera Apostoli: *Si quis videtur inter vos sapiēs esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Sic fecit S. Dionysius Areopagita, sic alij plurimi. Eligite igitur, & statuite, vtrum sapientes esse velitis secundum sæculum & fatui stultique apud Deum, an verò stulti secundum sæculum, sed sapientes & pij apud Deum. Suadeo autem vobis vt meliori vos academiæ aggregetis. *Prou. 3.* *1. Cor. 3.*

II.

1. Secunda Academicorum sæculi lectio est curiositas, maximè in ijs quæ ad mundana spectant. Et sanè, aliqua niti hi ratione videntur: nam cùm ille tenebrosus sit, quomodo in eo ambulare possint, si non assiduè explorent, & velut palpando incedant? An non enim vulgò apud mundanos, si alter alterum inuisat; ante omnia & primo loco quæritur, quid dicitur noui? quonam loco res mundi sunt? an non quis suo eos statu & conditione minimè contentus viuere, & nonnisi nouitatem censeat quærere? Meritò ergò Iob cùm miserias hominis recensuisset, illis velut complementum & epiphonema subnectit, *nunquam* eum *in eodem statu permanere*. Sic vicissitudinis eius rota perpetuò voluitur, sic etiam suas mutat terra vices, sic denique cœli perpetuo rotatu voluuntur. *Iob. 14.*

2. Quibus autem de rebus frequentiùs mundani inter se confabulantur, quàm de moribus factísque alienis? in aliorum enim factis coarguendis carpendísque serij & actitantes sunt, in proprijs corrigendis negligentes, ait de veteribus nonnemo.

3. Scientiarum hodie nulla magni fit, quàm curiosa: nihil iam pulchrum ducitur, nisi quod rarum est: noua & inaudita afferenda sunt, quò delicatis mundanorū auribus satisfiat: quod ni fiat, palato illorum videberis inficetus, & ingratus. *Placentia* illis *cantanda* sunt. Quousque Auditores *prurientes auribus*, vani vestri humoris contagium in mentes infundetis illorum, qui, quia fatui sunt, suis in sermonibus solùm *Isaiæ 30.* *2. Tim. 4.*

vestros quęrũt applausus? Quid? fierine potest, isthanc vanitatem, se etiam in cathedram veritatis ingessisse? aut potiùs intrasse? Nolite, ô prædicatores, *esse sicut plurimi, adulterantes Verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquamur: non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos.* Hoc est quod alio loco idem de se Apostolus ait: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus virtutis fuit.*

2. Cor. 2. 2. Cor. 4. 1. Cor. 2.

4. Redemptor Herodi ne vllo quidem verbo respondens, nos docet, non tot esse nobis curiositates & affectationes consectandas, quando ante Reges & terræ Magnates erit loquendum, sed sincerè simpliciterque illis veritatem aperiendam esse, *non* verò *in sublimitate sermonis.* Sanctus Paulus, eheu! *nihil scire* volebat, *nisi Iesum & hunc crucifixum?*

1. Cor. 2. Coloss. 2.

5. Hæc Herodiana curiositas à Redemptore Iesu retusa, nos docet præterea, si, vel aliquam rerum spiritualium & pietatis notitiam habeamus, de ea affectatè & per modum confabulationis ludicræ non esse loquendum, de rebus siquidem Dei seriò matureque agendum est.

6. Discimus ad hæc, nonnisi apud homines eorumdem capaces de hisce studijs nos agere, nec margaritas ante porcos, qui eas conculcarent, *& blasphemarent quæcumque ignorant*, debere iacere.

Matt. 7. Iudæ vit. Matt. 12.

7. Videris insuper, vt Herodes, (vti olim Iudæi) *signum petat;* sed Redemptor vllum facere detrectet, quòd suis eum gratijs indignum censeret, eumque ad fructum inde aliquem colligendum minimè dispositum cerneret. Hinc discamus in statu gratiæ nos constituere, quò cœlestibus charismatibus digni reddamur. Discamus quoque in nostris non esse speculationibus curiosi, quò in mysteriorum adyta penetremus. Discamus denique visiones & reuelationes in nostris pietatis exercitijs non petere, credentes, quòd

sicut

sicut audiuimus, ita videbimus: alioquin enim, qui *Psal. 47.*
scrutari diuinam *maiestatem* vult, *opprimetur* ab e- *Prou. 25.*
iusdem *gloria*.

III.

1. Alia Academiæ sæcularis lectio, est loquacitas, quæ vulgò habetur eloquentia: at garrulitas potiùs dicenda est, quæ suam & originem & nomen* à confusione Babel hausit.

* Gallice huc alludit verbum *Babili*, id est, garrulitas.

2. Eloquentia sine probitate, importuna quædam loquentia est: vnde etiam Rhetores orationem diffiniunt *virum bonum dicendi peritum*: Laudabile quid est ex lingua diserta, quæ à bona conscientia radicem ducit. Hæc est quippe, quæ priscos Ecclesiæ Patres ita facundos & fœcundos reddidit, ex *bono thesauro cordis proferentes noua & vetera*. *Matt 13.*

3. Qualis radix est, tales & flores, frondes & fructus. Vir bonus semper benè loquitur: dicit enim sincerè *Psal. 44.*
candideque ea, quæ cogitat. *Eructat cor* eius *verbum* *Psal. 56.*
bonum, eò quòd *dicat opera* sua *Regi* regum. Verùm *Psal. 11.*
eloquentia mundana, velut ensis est in manu amentis: *Lingua* eius *gladius acutus*, & *linguam* suam *magnificat*.

4. Dolenda & deploranda res est, velle benedicere & nescire benefacere: tamen primarium academiæ mundanæ studium est, verba scitè disponere, periodos rotundas, & in orbem decurrentes facere, vocesque catenatim connectere. Quæ tamen omnia vanus & inutilis sunt labor (*Quis enim accuratè loquitur, nisi qui vult putidè loqui*) & castum verbum cœli inprimis dedecens. Quàm illi in sacram Scripturam commentarij pulchri sunt, qui sacri textus stylo, loquendi methodo & spiritui se adaptant.

5. Mũdani suo in ludo solos laudãt disertos, & quotquot ad palatũ & mentem ipsorũ concionantur. Redemptor verò in suo, velut alter Pythagoras, laudat eos qui benè tacere nouerunt. Silentium ab ipsis filijs sæculi ceu pecuina stupiditas ducitur, à Redemptore verò velut perfectionis indicium. Audite vt S. Iacobus id manifestè doceat: *Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir*.

6. Vnde

6. Vnde etiam non sine summa admiratione, veterum Anachoretarum silentium legimus. Alius enim (fuit is Agathon) triennio integro lapillum ore continuit, quo tacere assuesceret. Alius decennio toto hûc

Psal. 38. versiculum Psalmistæ ruminauit: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Alius ob ieiuniorum continuationem, vtque tacere disceret, vermes dentibus innasci permisit. Quod factum mihi apophthegmatis illius Laconis memoriam refricat: hic quippe ab alio intelligens, fœtidum se habere anhelitum, credo equidem, inquit, quia quamplurima in ore meo verba computruerunt. Quamobrem, fratres, cùm Deo adeò gratum sit silentium, vt olim in Sanctis Sanctorum in silentio adorari voluerit, mundanæ academiæ loquacitatem remis velisque fugiamus.

IV. 1. Illius quoque pompas & vanitates detestemur. Quid? an non in omnibus contubernijs & congregationibus mundanorum, semper potior benè ac splendidè vestitorum ratio habetur? an non verè, horum comptulorum corpora, ceu vehicula esse putaretis luto cœnoque onusta, aurea tamen acupictura, serico & bysso conuestita? Quàm etiam corpora nostra introrsum longè fœtentiora & putiscentiora sunt, quàm cœnum & fimus?

Matt. 23. 2. Quæ proinde asimilem *sepulchris* illis *dealbatis*, vel è marmore & lapide porphyretico constructis. Introrsum nonnisi putredinem & corruptionem habemus, & foris gemmis & auro quaquauersum splendemus.

3. Verùm quid est quo delicatuli illi qui *mollibus vestiuntur*, tantoperè insolescunt & superbiunt? an non sericum, quod bombycum nonnisi saliua & excrementum est; in hoc lana contemptibilius & vilius quòd viles hi vermiculi ouibus dignitate posteriores sint. Sed quia sericum carius est, hinc pluris vulgò æstimari solet.

4. Ceterum sicut fuso & colo indifferens est, sericone circumdetur an lana, vel lino. Sic parùm referre

corporis puto, quanam materia tegatur; modò sit

——*toga quæ depellere frigus*

Quamuis crassa, queat.

Mors vbi aduenerit, penitùs nos denudat, vt nudi in terram reingrediamur, in quam nudi venimus. Postquam exacta vitæ comœdia est, corpus Regis corpori mendici per omnia pariatur, cùm tamen se ille in theatro tantùm extulerit.

5. S. Ioannes Baptista simpliciter & pauperis in modum vestitus erat, at, à quo necari iussus est, Herodes splendidè: sed ille iam gloria donatus est, hunc depasta pthiriasis miserè mori coëgit. Par diuitis & Lazari sors fuit. *Matt. 11.* *Luc. 15.*

6. In textu præsenti quis non mirabitur, filium & successorem Herodis huius splendidè cum omnibus proceribus & asseclis vestitum videns, & Redemptorem Iesum velut fatuum, ceritum & blennum alba ac curta lacernula amictum?

7. Quàm ô rutilans vestis Domini mei albedo (quę sanctam nimis amoris eius fatuitatem declarabas) nostras ad longè sublimiora arcana inuestiganda animas sustollis! Tu siquidem immaculatam eius innocentiam, puritatem, benignam simplicitatem animæque eius candorem repræsentas. Vestis Transfigurationis aliàs niuis instar alba erat, & ecce hæc defigurationis eius etiam candida est. An non de hoc eius excessu tum Moyses & Elias loquebantur? *Matt. 17.*

8. Videte hîc, animæ piæ, quomodo *dilectus* vester *candidus sit & pascatur inter lilia*. An non, ô *Iesu corona virginum*, in hac veste alba te virgines in cœlo *sequentur quocumque ieris*? *Cant. 5.* *Cant. 2.* *Apoc. 14.*

9. O animæ puritas, quàm sacerdotum superpellicea & altaria significas, an non alba hac Domini veste repræsentaris?

10. Aut potiùs tu candor & simplicitas infantilis, sine qua nemo ad Dominum venire potest, vel eius regni consors reddi. *Matt. 18.*

11. Ad vestis huius albæ imitationem suas S. Bruno,

Bernar-

Bernardus, Romualdus monachos candida vti voluerunt, vt albedo illa exterior nunqnam non conspecta interioris illos puritatis commonefaceret.

12. Ecquo verisimile est pium Virginis benedictæ cor dolore cōcussum fuisse, cùm carissimū filiū suum hoc in schemate Herodis regia egredientem conspexit, quò ad Pilatum reduceretur, quòd videret nimirum, æternam Patris sapientiam, instar stulti haberi & illudi? Hi occursus virginei, fratres, mentem meam quàm maximè afficiunt; quæ proinde doloris & amaritudinis huius extremitatem vix potis est concipere.

13. Quando sol iridem respicit, cœlum pluuiam
Isaiæ 19. destillat; ita languentes Redemptoris oculi, ad ma-
Psal. 17. trem hanc, quæ *nubes leuis & tenebrosa* est, cùm se conuerterent, minimè dubitandum, quin oculis eius densus lacrymarum imber decideret.

14. *Candida Luna pluit:* & alibi Saluatoris Iesu vestis, matrem hanc, quæ Luna purior & immaculosior est, ad lacrymas cogit.

Exod. 15. 15. Ipsa manna est quod ad solis radios liquefactum diffluit, à quo etiam amoris & doloris æstu accenditur. O amor, ô amaror!

Thren. 3. 16. Ebrietas, quam causat absynthium, oculis lacrymas excutit: Sic quoque sancta hæc mater dicere poterat: *Inebriauit me absynthio.*

Quatuor ex hac homilia documenta elicite, 1. discite stultam & perniciosam mundi sapientiam repudiare, quò sanctam & salutarem stultitiam crucis, ipsam scilicet deuotionem, sequamini, 2 curiositates sæculares abdicate, quò sanctam simplicitatem amplectamini, 3. fugite loquacitatem, & amate silentium 4 vestium superfluarum pompam & fastum reijcite, vosque modestos & humiles in vestitu gerite. Ita fiet, vt falsam mundi academiam derelicturi, & in Dominicæ matriculam nomina vestra daturi sitis. Gratiam ad hoc ipse vobis elargiatur.

FERIA

FERIA III. POST DOMINIC. IV. Quadrageſimæ.

De Barraba.

HOMILIA XXIV.

QVem vultis vobis dimittam, Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? Sexta hæc Redemptoris ſtatio ab indigniſsima Barrabæ prælatura, qua Saluatori Ieſu præpoſitus eſt, incipit. Cuius occaſione cogitabam ipſe 1. miſerorum nos miſeratione tangi debere, ſicut Pilatus Agni noſtri innocui miſertus eſt, 2. eſſe nobis inconſtantia & iniqua hominum iudicia parui pendenda. 3. Expendebam, quantum Redemptoris fuerit probrum & dedecus hoc cum latrone componi. 4. qui denique ſint, qui Barabbam ſpiritualiter ei anteponant. Luc. 23.

1. Pilatus itaque, Redemptorem videns veſte candida indutum redire, ſtatim agnouit, eum ab Herode vt ſtolidum & fatuum habitum fuiſſe potiùs, quàm ſceleſtum & perduellem, qualem eum malitioſa aduerſariorum inuidia depinxerat; quamobrem aliam excogitauit ei liberando induſtriam & ſtratagema: proponit inquam populo, vtrum è duobus liberatum vellent, Chriſtum aut Barabbam, qui homicida erat infamis, & omnium vinctorum facilè ſceleratiſsimus, idque pro conſuetudine Iudæorum in memoriam maiorum è ſeruitute Aegyptia liberatorum circa Paſchalia ſolennia, vnum è vinctis liberum abire ſinentium Vnde tria eliciemus documenta. Primum, quę in iuſtitia afferũtur effugia vel dilationes, plerũq; malo fine terminari ſecũdum, nunquã eſſe Dei benefacta, tã generalia quàm ſingularia obliuioni tradẽda I.

cùm hanc ipſe à nobis recognitiouem & gratitudinem exigat. Hac etiã de cauſa liberationis huius memoriam in ipſo decalogi exordio inculcat. Tertium, nullis rationibus aut conſilijs mentem animæ conſciſcere facinus aliquod firmiter conſtituentis curſum inhiberi poſſe.

Virgil. *——— quid vota furentem,*
Quid delubra iuuant?

2. Liberatio hæc annua in mentem quoque mihi reuocat non abſimilia nonnullarum Eccleſiarum & Epiſcopatuum priuilegia, nec nõ piam illam Regum conſuetudinem, qua captiuos omnes ea in vrbe in libertatem aſſerunt, quam ſolenni & triumphali inaugurationis omine ingrediuntur. Iam ante vos commonui, vt in ſancto hoc tẽpore vinctorum & carcere detentorum vos caperet miſeratio, denuò eiuſdem rei memoriam, occaſiône conſuetudinis huius Iudaicæ, vobis refrico.

Pſal. 10. 81. 3. Vos præterea, Iudices, ex hoc Pilati Præſidis (qui iniuſti licet, innocentis & derelicti imiſeretur) facto diſcite, viduæ, pauperi & orphano gratis fauorabiliterque iudicare.

4. An non videtis, vt in Euangelio diei huius, iudex
Luc. 10. quidam iniquus importunitate victus, ſuum mulierculæ inopi ius adminiſtret? quare ſi iuſtitiæ veſtræ adminiſtrationem longè magis meritoriam velitis reddere, eam ex charitate & pietate, aut ſaltem ex commiſeratione faci ote. Miſerorum illorum oppreſſorum miſeratione tangamini Aduocati S. Iuonem patronum veſtrum imitantes, qui quòd cauſis pauperum patrocinaretur, immortalis gloriæ theſaurum
Pſal. 9. ſibi comparauit. Hinc *derelictus erat pauper, orphano erat adiutor.*

Luc. 6. 5. Vos quoque medici & pharmacopoli pauperum ægrorum miſereat, veſtra eos ſcientia & arte iuuate; & Deus erit remunerator veſter, *& merces veſtra magna nimis.*

6. Quin omnes, cuiuſcumque gradus & ordinis ſitis,

ſitis, adhortor, vt miſerorum & egenorum miſerijs commoueamini; ac velut miſerabilium perſonarum pătronus & protector (eſt hoc quippe vnum de Epiſcopi muneribus) huc vos inuito, ſcriptum eſt enim: *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo*, &: Beatus qui *intelligit ſuper egenum*, alioquin *cor durum malè habebit in nouiſſimo.* *Pſal. 40. Eccl. 3.*

7. Proximo inquam, compatiamini, nō modò re & ſtipe ipſum iuuando, ſed etiam corde & animo, offenſam & iniuriam omnem irrogatam *de corde ſincero ei remittendo*, & propter Ieſum Chriſtum, omnibus in genere mortalibus libenter ignoſcendo, *nulli malum pro malo reddentes.* *Matt. 18. 1. Theſſ. 5. 1. Pet. 3.*

8. Veſtri ipſorum etiam, animarum inquam veſtrarum, quæ eheu! tam malo ſunt in ſtatu, peccatores, miſeratione commoueamini Pilatus innocentis miſeretur, cur igitur vos animæ veſtræ reæ & flagitijs copertæ non miſeret? ſi, qui in peccato mortali verſaris, horribile præcipitium, in cuius crepidine tam ſecurè dormitas, cerneres, non dubito, quin horrore concutereris Deum pro ijs rogemus, fratres, qui in damnabili illo peccati mortalis ſtatu, & inter vngues diaboli verſantur: nam reuera inter omnes miſeros hi commiſeratione digniſsimi.

1. Sed quid de inconſtanti inſtabilitate, & iniquis falſi huius mundi, quo nullus nobis hoſtis capitalior, iudicijs dicemus fratres? An non dux ille imprudenter ageret, qui eo aciem ordine conſtrueret, quo eam inimicus conſtrui vellet, eique loci & ſitus prærogatiuam concederet? quantò verò maior eorum eſt imprudentia, qui eò ſua dirigunt ſtudia, verba & intentiones, vt vni mundo placeant, qui tamen aliud non ſpectat, quàm vt in ſuis nos vanitatibus perdat.

2. Et nos vaporum inſtar habeat, qui dum exaltantur ſublime diſsipantur.

3. Quò luna terram verſus clarior eſt, eò à parte cœli obſcurior; & è contrà: ita ſæpè, quò pluris à

mundo æstimamur, minoris eo nos Deus facit: *Beati*
Ioan. 15. *estis, si mundus vos odit.*

4. Non aliter mundi iudicia & opiniones contemnendæ sunt, quàm primorum iudicum, à quibus appellare licet, iudicia. Quando nos ille claumnijs impetet, ad supremum diuinæ maiestatis tribunal appellemus: Deus enim nouit & videt omnia, & illi nihil absconditum, & in illũ nulla cadere potest iniu-
1. Cor. 2. stitia. Hanc ob causam aiebat Apostolus: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano ore, qui me iudicat, Deus est.*

5. Si quãdo seruus aliquis semel nobis imposuit, vix illi posteà fidimus. Quotnam, eheu! homines falsum & iniquum mundi iudicium decepit!

6. Demetrius Phalereus centum sibi statuas octidui spatio erigi vidit, & ecce illas omnes octo post dies deijci & in locum infamem rapi conspexit, quod summum illi probrum & dedecus fuit.

7. Iulius Cæsar Romanorum, qui tunc potissimam orbis habitabilis partem sub imperium redegerant,
Sueton. Imperator antè paulò publicè proclamatus erat, cùm in Senatu à coniuratis fœdè est interfectus.

Gen. 39. 8. Ioseph manè in domo Putipharis supremam œconomiam administrabat, hero suo grauissimus & carissimus existens; & vespere illius odium incurrens, in carcerem conijcitur.

Dan. 14. 9. Daniel hodie Babylone ad Satrapiam euectus est, & cras in lacum leonum conijcitur.

Ioan. 1. 10. Ioannes Baptista à tota Iudæa colebatur in deserto, quin & eò venit nominis, vt legatos ad eum mittere synagoga non dubitaret, scifcitaturos num ipse Messias esset. Atque adeò apud ipsummet Herodem summo loco erat; sed cùm veritatem dixisset, in carcerẽ cõpingitur; cùmq; nemo illius partes tuẽdas susciperet, caput illi præsecatur, quod deinde saltatriculæ lucar & ludibrium fieret, ipsumque in adulteræ incestuosæ vindictam immolaretur.

Act. 14. 11. Lystrij Paulum & Barnabam vt Mercurium &

Iouem

Iouem colebant, eosque vt tales adorare volebant: quos honores & idololatriam dum Apostoli non ferrent, & ceu sacrilegos à se abdicarent lapidantes eos extra vrbem eiecerunt.

Tantum mortalia pectora cæca
Noctis habent.

12. Cur hæc exempla tam studiosè huc congerimus? paria omnis tam noua quàm vetus historia suggeret. Quod autem hodie in Redemptore Iesu accidit, an non eiusdem planè generis est? Vix sex elapsi sunt dies cùm illi omnes inclamarent *Osanna*, iam verò *Crucifige eum* inclamant, tunc eum ceu Regem inaugurabantur, iam alium se præter Cæsarem Regem nosse & habere velle negant; tunc dicebatur *benedictus*, iam nonnisi maledictiones cernere est. Mar. 11.

13. Exemplum hoc Magnates, Prælati, & Præfecti, & Gubernatores, quibus festiui & solennes fiunt occursus, consultò facient si intueantur, nec vanis mundi applausibus nimiùm fidant vel insolescant. Vnica tantùm interueniat necesse est musca, imò nihil; & qui te laudibus extulêre, calumnijs proscindent. Ille igitur imprudenter & insipienter agit, qui populare iudicium magnifacit. Si te populus laudat, tibi metue; si contemnit, certus esto de filiorum Dei te numero esse, modò nullum scelus aut crimen admiseris, ob quod meritò calumnijs onereris.

14. Interim in hac Iudæorum mutabilitate verè locum habet illa Ieremiæ prædictio: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Thren. 1.

1. Examinemus iam probrosam illā infamiam, quæ in Redēptorem hinc redundauit, quòd cum sicario & homicida componeretur; vt nimirum illa prophetia adimpleretur: *Et cum iniquo reputatus est.* Equidem omnium indignitatum, quas graues tota in Passione Dominus passus est, primam & facilè maximam hanc crediderim, quòd cùm omnium morta- III. Isaia 53.

lium tum in Iudæa nequiſsimo & probroſiſsimo, & terræ cœloque abominabili temperaretur & poſthaberetur. Hic igitur ſponſus noſter dicere poterat: *Poſuerunt me abominationem ſibi.* Pſal. 87.

2. Quid? ſi honeſta pudicaque matrona confunditur, & erubeſcit, cùm apud aliam ſiniſtræ famæ verſatur; quanta confuſio Domino noſtro innocenti fuerit oportet, cũ homini adeò facinoroſo pariari ſe, imò deteriorem iudicari conſpexit? Eſt hoc reuera maxima attentiſsimaque conſideratione digniſsimum. Hinc canit Eccleſia: *Popule meus, quid feci tibi, vt Barabbam eligeres, me autem crufigeres?*

3. Barabbas hic, Domine, aliorum erat interfector; Iudic. 16. & tu, Ieſu bone, an non tuijpſius eras, vt me redimeres, homicida, vti olim Samſon? An non ideò morti Iſaia 53. *oblatus es, quia voluiſti*? Ille ſeditioſus fuerat, & Cæſari 1. Reg. 5. rebellis; & tu, noua arca, an non Dagonem ſupplantaſti, *principem tenebrarum* acriter perſecutus es, ac regnum Beelzebub, quod cùm per peccatum, tum per mortem per vniuerſum terrarum orbem ſe extendit, deſtruxiſti?

4. Quàm, ô ſumme Deus, bonus es, quòd etiam è malo bonum elicias! Iudæorum, fateor, electio ſua in intentione maligna erat & peruerſa, ſed in diuinæ prouidentiæ gremio nobis vtiliſsima; quid enim, obſecro, nobis ſceleſti huius ſicarij mors profuiſſet, cuius ſanguis, ne vnum quidem peccatum expiaſſet; ſed profuit ſanguis Agni noſtri, cuius vel vna gutta decem mille mundis redimendis pluſquam ſatis fuiſſet. O hominum nequitiam! ô bonitatem Dei!

5. Olim in Iſraël homicidæ ad vrbes refugij & aſyla Ioſ. 21. confugiebant, at ſummo Sacerdote emoriente ab hoc exilij loco ad proprias ſedes redibant. Redemptor Ieſus ſummus Sacerdos erat ſecundum ordinem Pſal. 109. Melchiſedech, cuius morte Adam, qui ſua præuaricatione vniuerſam poſteritatem ſuam interfecerat, è refugij ſui loco (limbo inquam, qui veterum Patrum antè Meſsiæ aduentum aſylum erat) redire debebat.

6. Quid

6. Quid porrò, in rem noſtram, ex hac comparationis indignitate diſcemus, videlicet non indignari, ſi quem, qui nobis videatur & minor & indignior, nobis præferri videamus; qui fortaſſe maioris ante oculos Dei meriti eſt & nominis. Pericles prætura ſua deturbatus gaudebat, & Athenienſibus congratulabatur, quòd plures haberent viros, qui ſibi probitate & meritis præcellerent.

7. Velut balſamum genuinum omnibus alijs liquoribus ſubnatat; nos proximo ſubijciamus; non verò præeminere ei & exſtare velimus, ſicut aliud oleũ leue, ſordidum & putiſcens liquoribus alijs ſupernatat.

8. Docemur ex Euangelio in ſocietatibus, contubernijs, cõuiuijs & congregationibus ſemper vltimum locum ſeligere, &, ſi quis alius nobis præponatur, ob hanc noſtri humiliationem in Domino exultemus, & 1. Pet. 2. *ſubiecti ſimus omni creaturæ propter Chriſtum.*

9. Dicimus quidem exteriùs, nihil nos eſſe, omnium eſſe peccatorum maximos, omnigena nos opprobria promereri: interim tamen ſecùs in corde cogitamus, vti tum patet cùm ad rem ipſam venitur.

10. Deus bone! quàm mundus hic moroſus eſt, in quo nemo non omnimodis allaborat, vt ſocium ſugillet, & contemnat, vt ſe alijs altiùs extollat, vt proximum & vicinum ſupplantet, vt omnes poſt ſe longo interuallo relinquat, vt de humilitate, charitate, humanitate, imò de ciuilitate morali minima cura ſit. Vt plurimùm autem ſuperbia honeſto dignitatis habitæ prætextu palliatur, quam dicimus coli & honorari velle: ſed reuera non dignitatis honorem, at proprium quærimus. Porrò vera apud Chriſtianos gloria auditores, in ipſo gloriæ conſiſtit contemptu, vti nos docet Euangelium, quod hodie in ſacro Miſſæ legimus. *Ioan. 7.*

IV.

1. Ceterùm propiùs iam diſpiciamus, quinam ſint illi, qui Iudæos in ſiniſtra hac Barabbæ prę Ieſu Chriſto electione æmulantur? verbo id dicam? Peccator quilibet. Cùm enim peccatũ quædã ſit à Deo auerſio,

quò ad creaturam ſe homo conuertat; quis adeò cæcus,qui non videat, ipſum peccare, idem omninò eſſe quod Ieſum crucifigere,quò Barrabas eligatur?

2. Sic ſuperbus cœleſtem deſerit gloriam, quò terrenæ gloriolæ vmbram conſectetur. Sic cholericus honorem Dei lædit,quò vltionem de quadam iniuria ſumat:Sic auarus diuitias negligit æternas, quò temporaneas conquirat: voluptuarius, quò fœdam & momẽtaneam voluptatem captet, hæreditati ſuę cœleſti renuntiat. Denique peccatores omnes, vti olim Iſraëlitæ, Deum deſerunt, vt vitulum aureum adorent,&,vt in hodierna Eccleſia legimus: *Fontem derelinquunt aquæ viuæ*, vt fœtentes *aquas ciſternarum* effluentium ſæculi bibant.

Exod. 32.

Ierem. 2.

3. Hæretici quoque iniquam hanc electionem faciunt, vniuerſalem Eccleſiæ doctrinam contemnunt, quò proprij cerebri opinionibus adhæreſcant.

4. Mundani quoque prauè eligunt, dum ſua commoda Dei obſequio & pietate deuotioneque potiora ducunt.

5. Dum etiam indignos ad dignitates ſublimari,dignos in ordinem redigi,dum ineptos muneribus publicis admoueri; aptos verò priuatos & ſubditos eſſe; dum ſceleratos rerum gubernacula moderari,probos verò in duræ ſeruitutis compedibus gemere videmus;quid hæc ſunt aliud,quàm cum mundo,Barabbæ Ieſum,& vitio virtutem poſthabere: *Ponendo lucem tenebras,& tenebras lucem?*

Iſaia 5.

6. Phryne infame ſcortum aliquando Xenocrati philoſopho exprobrabat, quòd plures ipſa aſſeclas, quàm hic diſcipulos haberet:cui ille: Id minimè mirum eſt, tu enim ſectatores tuos per viam conducis deliciarum,ego meos per aſperum & ſalebroſum virtutis tramitem.Nolite mirari igitur auditores,ſi tam multi eligant Barabbam, Chriſtum verò repudient, hic enim ad ſpinas,cruces, Caluariæ montes, ille ad infrenes licentias & diſſolutiones voluptuarias ſuos conducit.

7.Ego

7. Ego tamen sic non eligam, dilecte animæ meæ: semper namque clamabo: Apage munde, facessant eius voluptates & pompæ; optans vt is *mihi sit cura fiscus, & ego illi*: Contrà verò millies, & iterum millies, læta voce inclamabo *Viue Iesus*. Gal. 6.

8. Hic clamor meus afflictum dolentis matris tuæ animum, quæ circa prætorij huius ianuam ob hanc populi electionem penitùs consternata & mœrens consistit, aliquatenus saltem poterit consolari. Dicere verò illa potest: Hæccine mihi ergò in nimij illius gaudij, quo delibuta sum, dum filium recens natum à Magis vidi adorari, compensationem amaritudo accidit.

9. Mirabar olim dum inaudirem Synagogam credere, Ioannem præcursorem, Messiam esse potiùs, quàm prodigiosum filium meum, & iam illum homicidæ ac sicario postpositum video.

10. Cæsarem illi præponi non miror equidem, cùm omnibus ille mundi imperijs renuntiârit.

11. Dum triginta illum argenteis proditor venderet, aliquo saltem eum pretio dignum ducebat.

12. Sed eum sicario scelesto, homicidæ, nequam posthaberi, imperscrutabilis quædam humilitatis abyssus est. Tantis porrò tamque vehemens is in sanctæ huius matris corde dolor erat, vt eum admirari quidem liceat, exprimere tamen non valeam.

13. Quatuor hinc documenta habetote, 1. miseros commiserari, 2. mundi existimationem & reputationem contemnere, 3. indignitates æquanimiter ex amore Iesu Christi tolerare, 4. Mundum è cordibus vestris eliminare, & Redemprorem Iesum seligere, vt *partem* vestram *in æternum*. Psal. 72.

FERIA IV. POST DOMIN. IV. Quadragesimæ.

i Flagellatio.

HOMILIA XXV.

Ioan. 19. APprehendit eum Pilatus, & flagellauit. Primò meditabimur flagelltaionis huius causas, 2. quā illa ignominiosafuerit,3. quantū Domino inflixerit dolorem, 4. In quo eam imitari valeamus. Ioan 9. Vtinam verò intellectus nostros, vti oculos cæci nati in huius diei Enangelio, Dominus illuminare dignetur, quò mysterium hoc, prout oportet, penetrare possimus.

1. Prima, quæ Pilatum impulit causa, vt Iesum dirè flagellari iuberet, fratres dilectissimi, extremā quandam, sub miræ æquitatis specie, iniustitiam tegit. Quo enim iure innocentem offendat is, qui eum vt talem Iob. 31. agnoscebat & confitebatur, quò furibundæ horum Psal. 34. *virorum sanguinum*, qui mortem eius sitiebant, quique de *carne eius saturari* volebant, *gratulantes malis* eius, rabiei satisfaceret?

2. Offendi tamen eum permisit, quò lupos illos Ioan. 10. placaret, canem illum fidum aut potiùs *pastorem* illum *bonum* ante oculos eorum cædens.

1. Pet. 2. 3. Vtique elephantorum horum furorem *Agni* hu- Plutarh. ius *sine macula* discerptione sedaret.

4. Sic suam olim Dionysius tyrannus, Syracusano- Ouid. rum rabiei filiam exposuit.

5. Et Agamemnon, quò militum suorum seditionem Malalius tumultusque sedaret, Iphigeniam filiam dare coa- lib. 5. ctus fuit Dianæ immolandam.

Mythol. cap. 5. 6. Sic Pentheus Bacchantium Mœnadum furori

fuit

fuit victima. Terribile quid est populi furor, præsertim vindictam spirantis. Pilatus igitur Redemptorē Iesum, prout aduersariorum furori & immanitati allubebat, & vti merebatur qui, Barrabbæ Iudæorum omnium nequissimo postpositus erat, iubet flagellari.

7. Et cædi immaniter direque, quò populum (secunda hæc causa est) ad commiserationem commoueret. Sed causa hæc, sub quadam pietatis specie, horribilem includit impietatem. Pietas in Pilato esse videbatur, quòd per graue hoc supplicium & tormentū Redemptori vitam conseruare conabatur: perinde ac chirurgus in eo crudelis est; quòd brachium suppinās amputet; sed in eo pius, quòd ægrum morti certæ eripere velit.

8. Atque vt pauperes & inopes statum quàm possunt miserrimum induunt, mala sua & plagas quàm possunt miserabilissima forma ostentantes: sic sponsum nostrum Pilatus quàm potuit cruentissima figura spectandum dedit, quò corda illorum ad compassionem, si vel aliquis commiserationis sensus adhuc ipsis restaret, commoueret. sed quid in scelestos hos benignus noster Iesus peccarat, vt tam crudeli ijs modo oporteret satisfacere?

9. Comperio & alias duas flagellationis huius causas ex parte Saluatoris. Prima fuit, vt illæ Prophetiæ adimplerentur quæ dicunt: *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis*. Et hæc: *Ecce ego in flagella paratus sum*: & : *Congregata sunt super me flagella*. Psal. 72. Psal. 37. Psal. 34.

10. Altera verò, vt patris sui irati à nobis flagella auerteret, in se illa velut alter Moses excipiens & prouocans, & cum Dauide dicens: *Auertatur furor tuus super oues pascuæ tuæ, auertatur furor tuus. & dixi, conuertimini filij hominum*. Benedictus sit bonus ille Dominus, qui hoc modo *verè languores nostros tulit*. Exod. 32. Psal. 37. Isaia 83.

11. Verum essentialis & primaria immanis huius flagella-

gellationis causa in nobis est:nostra siquidem peccata hoc eum modo discerpunt & excoriant. Super nos ipsos igitur imploremus & super malam tam immanis effectus causam.

II. 1. Effectus quoque adeò ignominiosi. Videte enim, quomodo opprobria & ignominiæ eius increscant,in quibus probrosa illa in domo Annæ alapa, indigna illa cum Barabba comparatio, & modò seruilis hæc probrosaque instigatio satis eminent & excellunt, suaque nobis gradatione ostendunt, quomodo *superbia ascendat* sēper,& vice versa humilitas sēper descēdat. *Psal.73.*

2. Hoc castigationis genus semper infamium & triuialium hominum fuit Vir nobilis millies mortem perferre mallet, quàm per compita ciuitatis publicè flagris cædi. Ad quod autem nihilitatis pūctum te redigis, ô *antique dierum*, ô illustri de tribu Iuda prognate, ô Regum Rex, dum sic instar sordidi hominis & plebei cæderis? *Dan. 7.*

3. Sed nondum hic ignominiæ finis,nam noueritis oportet quòd, præterquam hoc correctionis genere nonnisi in triuiales & plebeios aduerteretur, etiam aliqua inter liberi & serui flagellationem fuerit distinctio. Liber & ingenuus quippe virgis, (vnde de se ait Apostolus, *Ter virgis cæsus sum*) seruus autem flagellis aut loris cædebatur.Redemptor porrò noster vt qui *serui formam acceperat*,seruili & ignominiosiori modo flagellari voluit. Putatisne verò hic ignominiæ huius finem fuisse? Nequaquam. Nam & ex alijs partibus eam probrosiorem adhuc fuisse ostendam. *2.Cor.11.* *Phil. 2.*

4. Propter probrosam videlicet & pudendam eius nuditatem. Anne igitur,ô maledicta prosapia Cham patris vestri,præ amore quo erga vos fertur,ebrij nuditatem irridetis? *Gen. 9.*

5. Ergò, ô misselle Iob, penitus nudus es, longè sanè deterius, quàm si fimario insideres; vndeundique scilicet à diabolis illis incuruatis, & in cutem tuam delicatam certatim sæuientibus flagellatus? *Iob.2.*

6. O miser *vermis*,totus nudus, *& non homo*? *opprobrium* *Psal. 21.*

probrium hominum & abiectio plebis? Hem quodnam pulcherrime adolescens, ipsa puritate & castitate purior, profanis hisce paganis, & lasciniæ huic militari *spectaculum factus es! Tota die verecundia contra te est, & confusio faciei tuæ cœperunt te.* Cùm enim Rex ille Virginum veste nudatus esset, quanam tegi re poterat nisi pudore solo & verecundia? 1. Cor. 4. Psal. 43.

7. Notate probrum hoc, pudicæ mentes, & contẽplamini omni tegmine carentem eum, qui lilia agrorum tanto decore, & pulchritudine conuestit, vt ad eam nec Salomon, cum omni gloria sua queat pertingere; eum quoque, qui aues plumis, & quælibet animalia pilis communit; eum qui in diuinitate sua vestem habet gloriæ, & terram *niue velut lana* cooperit. Hem quanta Deus bone indignitas! Mat. 6. Psa. 147.

8. Virgines Milesiæ nuditatem magis metuebant quàm mortem, dum tum demum necem sibi inferre passim deserunt spontaneam, cùm post mortem eas nudas per compita raptandas magistratus indixit Plut.

9. Saltem, vt hanc sponsi nostri nuditatem ipsi continuemus, tot prauos habitus & consuetudines vitiosas exuamus. *Expoliantes veterem hominem, & induentes nouum. Expurgantes vetus fermentum. Renouantes nos spiritu mentis* nostræ. Coloss. 3. 1. Cor. 5. Ephes. 4.

10. Aperiamus corda nostra per sanctam confessionem, vt quę dulcem nobis confusionem & dolorem de peccatis nostris dabit. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino.* Psal. 117.

11. Illius porro oculus omnes conscientiarum nostrarum angulos, duplicitates & sinuosas anfractus penetrat: *Omnia nuda & aperta coram oculis eius:* Nihil illi clausum, quod non aliquà pateat; illi denique penitus patemus. Hebr. 4.

III.

1. Iam enucleatius circumstantias & ritus, qui sensibilissimum illum flagellationis Dominicæ dolorem aggrauarũt, examinemus. Primò ex parte carnificum

& fla-

& flagellantium: illorum siquidem multitudo nobis terrorem incutere debet: Dicit enim Euangelista: *Congregauit in eum Pilatus vniuersam cohortem*; quæ, vt quidem historijs proditum est, sexcentis sexaginta sex militibus constabat: quo numero ipsum Antichristi, qui circa finem mundi suis flagellis & persecutionibus mysticum Iesu corpus, id est Ecclesiam affliget, nomen denotatur.

Apoc. 13.

2. Porrò ex flagellationis lege vnumquemque militum verberando in reum manus mittere oportebat; vti, dum quis miles reus gladijs sociorum necandus est, suum singulos ensem vibrare necesse: sic, dum Iudæi aliquem lapidabant, omnes assistentes aliquem in reum lapidem iacere oportebat. Adeò vt illud Prophetæ oraculum; *Circumdederunt me sicut apes*, locum hic habeat. Nullus quippe harum vesparum à Saluatore compungendo & rubricando se continuit, tum quòd proprio furore & rabie, tum quòd à diabolo instigarentur; qui cùm Saluatoris innocentiam perspiceret, summopere eos exstimulabat, vt suum, hunc affligendo, reatum aggrauarent.

Act. 7. *Psal.* 117.

3. Videte etiã, quomodo effera illorum rabies & furor, per Agni huius patientiam increscendo, magis magisque efferasceret; quippe in tot verberibus & tunsionibus is iacebat, & in tam dira laniena verbum non loquebatur: maior quippe huius in patiendo erat constantia, quàm illorum in cædendo pertinacia: hic ferendo non cedebat, etsi illi cædendo defatigarentur.

Isaia 53.

4. His addenda duplex aliunde iussio, quæ illorum furorem non mediocriter adaugebat. Prima Pilati, qui ita eum cædi volebat, vt spectantibus sui commiserationem excitaret. Altera Scribarum fuit & Pharisæorum; qui veriti, vt Pilatus eum à morte liberaret, carnifices qua poterant instigabant, vt ad mortem vsque eum cæderent. In quo hos atrocibus illis Iudicibus assimilo, qui & ordinarijs & extraordinarijs suis eculeis sæpenumerò innoxios reos, falsò delatos ita elum-

elumbant & eneruant, vt quod restat vitæ in summa
miseriá traducant, mille mortibus deteriori.

5. Si ad ingentem hanc cædentium multitudinem
iam ipsam verberum qualitatem & numerum adiú-
gamus, quis non pilus comarum præ horrore vobis
arrigatur, vbi audieritis eum (vt plurimis sanctorum
reuelare dignatus ipse fuit) quinque verberum millia
& quadringenta recepisse?

6. Quo in numero Iudæorum lex & præscriptum *Deut. 25.*
seruatum non fuit, vt quibus vetitum erat quadrage-
simum in flagellando numerum excedere. Vnde de se
dicit Apostolus: *Quadragenas vna minùs accepi.* No- *2. Cor 11.*
tandum quoque est illos milites fuisse Gentiles, qui
Redemptorem Iesum flagellantes, legis huius statu-
tum ignorabant.

7. Alia circumstantia in ipsa punitionis huius for-
ma sita est. Alligarunt namque primò Saluatorem
columnæ deinde pedes eius & palmas tam arctis vin-
culis constrinxêre, vt in nullam se partem conuerte-
re posset; quem cùm totum ab vno latere discerpsis-
sent & flagris dilaniassent, aliud latus foras obuer-
terunt: vt hoc modo adimpleretur prophetia, quæ *à*
planta pedis vsque ad verticem nullam *in eo sanitatem* *Isaia 58.*
fore pronunciat.

8. Quomodo, ô generose & valide Samson aulæ hu- *Iud. 16.*
ius columnam non conuellis, te vnà cum insolenti-
bus hisce Philisthæis ruina inuoluens?

9. Ipsa flagrorum forma, alia etiam est circumstan-
tia, è qua doloris huius extremitatem perpendere &
colligere est. Contemplatiui quippe triplicis generis
fuisse docent, primò, è spinis & vepribus; deinde è
neruis, & taureis, demum è funibus & catenulis, ad
extremitatem hamulis vel aculeis obarmatis. Quæ o-
mnia fratres cùm feriunt, simul frustilla cutis,
sanguinis, carnis, & cartilaginis necesse est discer-
pant.

10. At tu, Deus bone, in nos cædendo es longè man-
suetior. nam flagella tua, quibus paternè nos flagel-
las,

Ioan. 11. las, nonnisi ex *funiculis* compacta sunt, paruis inquam quibusdam morbis, aduersitatibus, iacturis, doloribus: sed ea, quibus teipsi affligimus & cædimus, maledicta inquam peccata nostra, cor tuum lacerant, &
Gen. 6. *dolore quodam intrinsecus* tangunt.

11. Si præterea admirabilem incredibilemque corporis Dominici complexionem ac teneritudinem consideremus, corporis inquam opera Spiritus sancti è sanguine virgineo compositi si haud difficulter perspicere poterimus, quàm dolor hic illi sensibilis fuerit & grauis.

12 Vidistisne vnquam à densa grandine tenellas vinearum gemmas vastari, molles frumenti spicas in agris ad terram affligi, flores prosterni, & arborum frondes decuti, denique plantas & frutices post ca-
Gen. 2. Cant. 2. sum emori: ita vos hic, pulchram arborem nostram paradisi, *florem* nostrum *camporum*, fructum nostrum vitæ, innumera verberum à flagellis inflictorum multitudine adobrutum videre putate: hæc enim carnem simul & cutem discerpentes *ossa* illius detegebant, &
Psal. 21. *numerari* faciebant.

13. Lictores itaque hi, lassati cædendo, etsi nondum satiati Iesũ dissoluunt; sed adeò is exanguis & exhaustus fuit, vt prænaturaliũ viriũ defectu in terrã semianimis prolabens, vix se mouere potuerit, quin extremos sentiret cruciatus Amor tamẽ vnica eius tot inter mala & mortes vitæ, nec nõ verecundiæ & pudoris studiũ animos illi suppeditãt & vires vt collecta sua veste nuditatẽ hãc verecũdã tegeret, quæ profectò intolerabilior lõge illi erat dolor quã quẽ iã iã subierat. In memoriã mihi hic mihi venit Iul Cæs. qui cõiuratorũ vndiq; impetitus pugionibus, vestẽ infernè studiosè cõuoluit, vt *honestè caderet*, vt de eo scribit Suet.

Sueton. cap. 28. 14. Hic anima mea, sãctæ cuiusdã affectionis offer vas, vt eo rubicundantẽ hunc sanguinẽ, & pretiosa carnis frustilla, quibus pauimentũ circũsecus gemmatũ est, colligas; vide hic secundã & minutim discerptã sponsi tui myrrham, nec non secundam torcularis illius dolorosi expressionem.

15. Vt-

15. Vtinam verò eam nobis Redemptor Iesus gratiam concedat, quam olim adolescenti pioq; illi Religioso concessit, cui Exemplorum promptuarium testatur in Parasceue datum, vt omnes acerbæ huius flagellationis puncturas & aculeos in corpore suo inuisibiliter persentisceret! *Discip. Verbo Passio.*

1. At, dicite mihi obsecro, quid erit in mora, (nisi sola iners nostra negligentia, & paruus affectus) quominus miserum hoc corpus nostrum aliquam doloris huius ideam, per bonam mortificationem & sanctam disciplinam, hodie sentire faciamus? Vobis itaque, fratres, cum Regio Vate inclamo: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via iusta.* Qui verò propositionem hanc parum æquis auribus excipiunt, cùm eodem Vate ijs dicam: *Tu verò odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* IV. *Psal. 2.* *Psal. 49.*

2. Pius quidam Religiosus illam olim resolutionem concepit, se, si corpus, cùm tertiò *caue* illi interminatus esset, titillare non desineret, flagris in ipsum quã dirissimè animaduersurum. Quid factum? Tam diris id modis prima vice excepit, vt, quotiescunque *caue* vel legeret, vel ore duntaxat proferret, etsi alia intẽtione, vel aliud agens, corpus eius totum tremisceret & horreret, caroque consternata palpitaret.

3. Hoc scilicet erat Paulum imitando, *castigare corpus* suum, *in seruitutem redigere.* Vt in triremibus remiges & mancipia naualia taureas metuunt, & nõnisi verberibus morigeri & obsequentes redduntur; sic nos rebellantem carnem nostram tractare par esset, quò eam spiritui subditam parentemque redderemus. *1.Cor. 9.*

4. Nostis, quomodo S. Franciscus corpus suum *fratrem asinum* appellaret, & vt asinum agaso, ita suam ipse carnem haberet, ne fortè refractaria iussa detrectaret. *S.Bonau. in vita*

5. Præcipui quique sancti & sanctæ in hoc mortifica-

tificationis genere excelluêre. S. Catharina Senensis etiamnum iuuenis & tenera ferrea in corpus catenula sæuiebat; sic & S. Ignatius de Loiola & alij sexcenti.

6. Sic & Rex noster S. Ludouicus, ô Galli, tametsi Rex, tametsi de numero Magnatnm, tametsi aulicus, tametsi delicatus, tametsi coniugatus, tametsi negotia varia tractans, tametsi in bellis esset assiduus, singulis tamen per annum ferijs sextis & tem o:e e-uentus & Quadragesimæ, ter per hebdomadam, à suo se Sacellano cædi permittebat.

7. Hem! quàm præclarum & illustre id exemplum est, ad delicatulos nostros mundanos confundendos, qui *pereuntes in contractione Chore*, & *in errore Balaam abeuntes*, mortificationes Moab subire non verentes, dum risu omnia excipiunt, cum hæreticis, hasce mortificationes explodentibus, quo ad hoc iam consentire videntur. *O filij Belial*, id est sine iugo, *disciplina pacis* non *est super* vos.

Iudæ ep.

Iudic. 19.

Isaiæ 53.

8. De B. Virginis in tragico & cruento hoc spectaculo compassione verbum vnum dicamus, fratres mei: illi miserabilis hæc gratia facta, vt, per aliquẽ ianuæ prætorij angulum, funestum hoc spectaculum videre potuerit, imò, vt pius aliquis contempletur horrendum verberum numerum inire. Quomodo, ô dolendum matris cor, sat habebas loci ad quinque millia & quadringenta verbera ante complectenda! Verè hoc in casu eam Dominus *posuerat quasi signum ad sagittas*. Ictus hi per internorum dulcissimæ huius matris penetralium cauernas iustitię nigricantes resonabunt,

Thren. 3.

Insonuêre cauæ, gemitumque dedêre cauernæ.

Aene. 2.

9. Hic scilicet *Luna vertitur in sanguinem*; heri candida erat, quia *dilectus* erat *candidus*; hodie verò rubet, quia *& rubicundus est*. Luna rubicunda præsagium ventorum est. Quotnam, eheu! è corde matris huius suspiria prorumpebant, quæ, ceu venti & folles, amorosi doloris eius fornacem succendebant.

Ioel. 2. *Act. 1.* *Apoc. 6* *Cant. 5.*

10. In

10. In lege veteri vetitum erat, coquere hœdum in lacte matris suę; eius ecce, barbari hi & sanguinarij lictores, matris huius cor in filij sanguine coquere non verentur. Vnde *Exod.34.* *Deut.14.*

Pro peccatis suæ gentis
Vidit Iesum in tormentis
Et flagellis subditum

O lacerum filij corpus! ô dolens matris cor! Vtinam cor & corpus hoc eius sint potētiæ, vt *cor meum & caro mea deficiant in Deum viuum!* *Psal.83.*

℟. Hinc supplicij huius 1. causas, 2. confusionem, 3. acerbitatem colligite, 4. denique aliquam corporis, aut mentis saltem condolentiam & compaſsionem, obsecro, in animis vestris excitate. Ite in pace.

FERIA V. POST DOMIN. V. Quadragesimæ.

Iesus coronatur spinis.

HOMILIA XXVI.

E*T plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Hic 1. Redemptorem Iesum propria spoliatum veste, & purpurea lacerna indutum, 2. spinis coronatum, 3. arundinem manu gestantem, 4. explosum & illusum contemplemur. *Mat. 27.* *Marc.15.* *Ioan.19.*

1. Prima denudatio, quam heri examinauimus, immanis fuit in sua confusione & ludibrio; Secunda verò diei huius, in sua immanitate probrosa fuit. Heri Redemptorem puduit, quòd pulchritudinem & candorem suum improperantium horum scurrarum oculis expositum cerneret; hodie verò etiam magis illum pudet, quòd se *non habentem speciem, neque decorem, & quasi leprosum,* exponere omnibus cogatur. I. *Isaia 53.*

2. Suam ergò Iesus denudat innocentiam, quò ve-

ſtitionem illam, qua ſe reus Adam veſtiuit, dum poſt peccatum commiſſum nudum ſe eſſe comperit, repararet.

Pſal.146. Exod.40. Exod.16. Pſal. 103. 3. Hem quàm miſerabile ſpectaculum erat, diſcerptum hocce corpus videre! Quin tu, qui *operis cœlum nubibus*, quique *operiebas nube tabernaculum, qui ponis nubem aſcenſum tuum, & tegis aquis ſuperiora eius*, aërem in tenebras Aegyptiacas condenſas, quò oculis noſtris ferale hoc corporis tui ita cruentati ſpectaculum ſubtraherent?

4. Sed quemnam, eheu! in ſecunda hac denudatione dolorem noto! Cogitate quando chirurgus prima plagæ alicuius enormis malagmata leuat, quantum inde læſo doloris accedat? ſed imaginatio hæc nimis quàm humilis eſt & tenuis ad dolorem, qui conſiderandus nobis eſt, exprimendum.

5. Noſtis, vt tenaciſsimum quoddam cœmentum componatur, ſanguinem ei immiſceri. Sic vobiſcum cogitate quomodo Saluatoris veſtis oſsibus eius, ſanguinis adhæreſcentis & carnis hinc inde dilaceratæ cœmento, conglutinata eſſe debuerit.

Aene. 4. 6. *Quis tibi*, ſanctiſsima Virgo, *tunc talia cernenti ſenſus* fuit? vno inquam eodémque tempore duplici filium tuum, quam à te acceperat, veſte denudari ſpoliariq; cernenti! Vna quidem tuis in viſceribus, è tuo compacta erat ſanguine, cutis inquam, alia, tunica erat opus manuum tuarum! Caro enim vnà cum pelle, eheu! auellebatur, dum tunica exueretur, ita vt nuda oſſa conſpicerentur, adeò vt iam propè eſſet non *caro de carne* tua, ſed *os* tantùm *de oſsibus* Gen. 2. *tuis*.

7. *Chlamydem coccineam circum dederunt ei* Scriptura & Contemplatiui, fateor, ſemitritam purpuream lacernulam illi à ſceleſtis ſicarijs datam fuiſſe tradunt; ſed duæ aliæ piæ mihi cogitationes quoad hoc inciderunt: quarum prima eſt, qualiſcunque ei tunica data fuit, ſtatim eam à ſanguine eius purpureo circum-

cumquaq; defluente purpureum colorem imbibisse. Altera, quòd fortasse propriam eius tunicam, quæ tota introrsum à sanguine purpurabat, inuerterint, vt parte intima exterius exstante chlamydis purpureæ speciem præbuerit.

8. Horribile spectaculum! Solet cutis vt plurimum esse sub veste, hîc vestis erat sub pelle: nam carnis dilaceratæ frustilla foris patebant, & vestis ossa nuda duntaxat operiebat.

9. Hic scilicet *vestimentum* Regis nostri *rubrum est, sicut calcantium in torculari.* Videte hîc botrum terræ promissæ expressum, & eum, qui se vitem nuncupat, in proprio liquore natantem. *Lauit in vino stolam & sanguinem vuæ bibit meracissimum.* Isaia. 63. Ioan. 15. Deut. 32.

10. Vestis eius similis est cortinis tabernaculi; vtpote *cocco bis* tincta & rubricata. Primò, sanguineo sudore in horto, qui fundum colori secuturo posuit; deinde in flagellatione. Exod. 26.

11. Vide hîc, ô Virgo mater, dilectum tuum *candidum & rubicundum*, non tamen *electum*, sed eiectum *ex millibus.* Leprosi quippe similitudinem iam induit. Cant. 5.

12. Vide, ô mater, tunicam filij tui Ioseph, quem *fera pessima*, lictorum inquam effrenis rabies, dilacerauit; vide eam non in hædi, sed proprio sanguine tinctam. Gen. 37.

13. Verùm ad nihil aliud prodest, Calpurniæ Cæsaris sui vestem cruentatam ostendere, quàm vt hac visa dolores eius increscant, & perennes fiant.

II.

1. Vestem per ludibrium & contumeliosè regiam, secuta æqualis coronatio scilicet sertum è spinis consertum. Sed quibus è spinis? è truncis marinis, implexis & inuicem contextis, quorum aculei acutissimi & durissimi magis & penetrantiùs pungunt, quã acus, & digitali sunt longitudine. hæc quidẽ fuit materia.

2. Iam locum cui id impositum dispiciamus Molestum & spinosum hoc diadema capiti infigunt, quo

nulla in toto corpore pars est sensibilior, nec cranium vel ossa hisce puncturis queunt resistere; vnde vniuersum caput transfossum &confixum est. Inauditum sanè id martyrium fuit,& quidem tã dolorosum, vt, nisi diuinitatis adminiculo sustentata humanitas fuisset, iam dudum ex eo ipse exspirasset.

3. Hic, qui rheumata, & catarrosos defluxus patimini, qui hemicrania laboratis, aliquam dolorum vestrorum mitigationem inuenietis; quinimò penitus euanescent si eos cum inaudito hoc cruciatu ęquiparetis.

4. Mirumne ergò est,vos ô anxię solicitudines & curæ,quæ perpetuæ diadematum & infularum comites estis) humanum ita cerebrum penetrare & adurere, cùm extrorsum ostendatis rosas, & spinas introrsum obtegatis?

5. Nolite post hac mirari,piæ animæ,quòd angustia-
Luc. 9. tus & miser Iesus noster *nõ habeat vbi caput suũ reclinet.* Nam admodum paucos reperire est, qui capiti huic spinoso esse ceruical, & ob sanctum eius amorem austeritates aliquas complecti velint.

6. Vos verò,quæ meliori in loco edoctæ estis,quàm mundani, cordis vestri ianuam sponso huic aperite,
Cant. 5. interim dum *caput* eius *plenum est rore*; & concretos hosce sanguinis, quem hæ spinæ capite eius eliciunt, grumos sedulò colligite, vt his animam vestram emundetis.

Apoc. 10. 7. Et obstupescite *iridem* illam, quam diuinus hic Angelus suo in capite gestat, cæruleo suffusionum & sugillationum, viridi truncorum, & rubeo sanguinis
Gen. 9. eius colore variegatam. O præstans *arcus* & iris, nostrę cum Deo reconciliationis & *fœderis* initi testimonium?

8.9 Contemplemini hîc Eliam sub spinosa Iunipero
3.Reg 19. requiescentem, & Deum in hoc rubo ardenti. Quid e-
Exod 3. nim sunt sanguinis illius guttæ,quàm ardentes quæ-
Iud. 9. dam scintillæ? *Ignis oritur de rhamno.*

10. Rhamnus in libro Iudicum, dominatum & imperium

perium in reliquas arbores obtinuit. Quid verò homines aliud ſunt quàm arbores inuerſæ & frugiferæ? & ipſe Ieſus arbor vitæ, ſpinoſus, an non ſupremus hominum Rex eſt? Tu itaque cordium ſpinoſorũ Rex, auſterorum Princeps, animarum mortificatarum Imperator, benedictus in æternum eſto. Amen.

11. Vos verò, caræ ſpinæ, iuſtis grauis huius doloris ſenſibus inſenſibile cor meum compungite. Eia igitur ſpinas has, vt ad illas in tentationibus noſtris confugiamus, nobis ſeligamus, ex his corollas nobis hic in terra, ſanctam Catharinam Senenſem imitando, contexamus, roſas verò in futura & immortali gloria expectemus.

12. In ſpinis S. Benedictus prauos carnis ſuæ rebellantis ardores reſtrinxit, vti & S. Franciſcus Minorum parens ſuos. *S. Greg. Dialog.*

13. Vt roſeta aculeata candidas & puniceas nobis, ſpinis ſuis intermixtas, roſas præferunt. Sic videte hic, vt vno eodemq; tempore ſpineum hoc diadema, candidæ Mariæ cor, & cruentum rubicundi Ieſu corpus occupet.

1. Coronam hanc contumelioſam & probroſam eiuſdem farinæ ſecutum eſt ſceptrum, Redemptorem quippe immanes hi lupi ſilueſtrium illarum arundinum vel canuarum marinarum & aculeatarum fruſtum in manus cogunt accipere, à quo manus illius perforantur & ſauciantur. Hic ſcilicet ſanguinis illius guttæ *ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrunt.* II. *Sap. 3.*

2. Videte hic piſcatorem noſtrum hominum, vt arundinem virgamque ſuam manu geſtet: aliquod ex hoc auditorio, cor quàm libentiſsimè ad ſe ipſe attraheret, ſancti ſui amoris eſca, ineſcatum.

3. Videte, vt noſter Cato, noſter magnus Pater, cum filijs ludens *equitet in arundine longa.*

4. Vnde etiam primaria illuſorum horum intentio erat, hoc ſchemate eum ceu ſtolidum, imò Regem inſenſatorum declarare; vti reuera eorum ſtultorum

1. Cor. 4. Rex eſt,qui *ſtulti ſunt propter Chriſtum*, ſtulti inquam pia & contemptibili illa pietatis ſtultitia.

5. Hoc quoque ritu eum paludium & locorum vliginoſorum, nec non ranarum & bufonum Regem eſ-
Exod. 8. ſe ſignificare voluit. Satis id oſtendit in paluſtribus Aegypti, ranis immiſsis AEGYPTIOS ſibi ſubijciens.

6. Sumite igitur animos, animæ lacunoſæ & ob criminum veſtrorum bufones lacrymoſæ, conſolamini inquam pœnitentes, ecce REX veſter.

7. O fatuum amorem! ô amoroſam facilitatem! ô ſanctam ſimul ſtultitiam & amorem! Videre hîc eſt mollem fuſum in Herculis noſtri manibus, nam

Quem nullus potuit vincere, vicit amor.

8. Sceptro hoc arundineo,quod leuitatis eſt ſymbolum; imperij eius vanitatem (quod ceu phantaſticum,vmbraticum,& imaginarium ſubſannabant) indicare etiam ſceleſti hi volebant.

9. Sed ipſa ſceptrorum terrenorum imbecillitas lõgè melius per arundineũ hoc ſceptrum deſignatur. Illa quippe omni vento agitantur, vel minima emotione turbantur.

10. Arundo exterius ſpiſſa & viridis eſt, ſed debilis, & medulla carens introrſum talis eſt haud dubiè va-
4. Reg 18. nus mundi honor. Hinc ſcriptum eſt, non eſſe *baculo*
Iſaiæ 36. *arundineo* innitendum. Tot ſceptra deiecta & confracta, quorum deploranda in hiſtorijs ſupereſt memoria, Regibus terræ inclamant non eſſe magnitudini regiæ vſquequaque fidendum.

IV.

1. Ecce, vt ſuum cruciatui huic corollarium addamus, immanes & immites hi carnifices ſexcentas ore ſuo impuro in Chriſtũ contumelias & opprobria euomere, & ſuis multa indigna & nefanda manibus in eum committere incipiunt. *Genu flexo* (vt Euangeliſtæ ſcribunt) & per modum illudentis, ipſum ſalutant. Vnde ſuperbi illi, qui vno poplite tantùm flexo Dominum in templis ſalutant, diſcant adeò non laudare

dare se eum, vt potius subsannent & illudant; in illo Iudæis similes, & Stephano protomartyri dissimiles, qui *positis* orabat *genibus*, vti & reliqui sancti & veri adoratores. *Act. 7.*

2. Simili quoque derisione illudunt illi, qui vno humi in templo genu posito, oculis hinc inde vagantur, lasciuos, infandos & impuros obtutus licenter defigentes, ***adulterantes in cordibus suis***, & ***domum sanctitatis*** & ***orationis in speluncam latronum*** conuertentes. *2. Pet. 2.* *Mat. 21.*

3. Post has genuflexiones, manu eius arrepta, & arundine, quam gestabat, erepta, caput eius contundunt, quò corona spinea profundiùs ei infigeretur? Quod sanè diabolicum fuit inuentum; è quo eruimus primò, sceptra & diademata fontes esse, è quibus omnis anxietas & solicitudo cerebri promanat: Secundò, hæreticorum hinc discimus genium scripturam scriptura destruentium, & ea ceu hastili vtrimque acuto vtentium, vt hoc modo veritatem, quæ verus sensus ac velut caput eiusdē scripturæ est, oppugnent.

4. Addunt colaphos. Priores, eheu! in genas inflicti fuerant, sed hi in ossa genarum (vtpote quæ flagris iam penitus discerptæ erant, infringuntur!

5. Spiritualiter verò Dominum colaphizant praui ac scelerati Catholici, quorum cæcitas ab hæresi non longè distat, mera illa ***genimina viperarum*** matris, quę ipsos in sinu fouet, viscera perrodentiū & discerpētiū. *Mat. 3.*

6. Insuper putentissima in faciem eius sputa coaggerant, quæ tetram quandam colorum ob sanguinem interfluentem & cohærescentem mixturam faciebāt. Quàm verò hæ indignitates cor eius ceu spinæ quædā acutæ compungebant! non absimiles porrò illi iniurias irrogant blasphemi, nec non ij qui voluntariè deliberateq; suis in orationibus distrahuntur, quæ, proinde ipsis ***in peccatum fiunt***. *Psal. 108.*

7. Denique, non secus ac Dauidi Semei, mille ei iniurias & opprobria oggerebant. *2. Reg. 16.*

8. Inter reliquas porrò irrisiones non postre-

ma fuit hæc: *Aue rex Iudæorum.* Nihil, ô patientissime
Psal. 37. me & mitissime Iesu, ad hæc omnia respondes, & non
Psal. 67. *habes in ore tuo redargutiones?* Nec ô benignissime A-
Psal. 21. gne *increpas feras arundinis, & congregationem tauro-*
2 Reg. 16. *rum* etsi te *circumdent vituli multi, tauri pingues obsi-*
deant te, *aperientes super* te *os* suum. Dauidem scili-
cet imitatur, hosce Semeides impedire nolens, ne sibi
maledicerent.

9. *Rex Iudæorum*, id est, laudantium: vnde discimus
anima mea, suauissimum hunc sponsum laudare, cùm
Rex sit eorum, à quibus laudatur: *Lauda anima mea*
Psal 145 *Dominum. Lauda Ierusalem Dominum* &c. *Laudate*
Psal. 147. *Dominum de cœlis. Laudate Dominum omnes gentes.*
Psal. 148.
Psal. 116.
10. Et loco *Aue* illius contumeliosi illi cum Ecclesia
cantemus: *Aue Rex noster, tu solus nostros miseratus*
errores, hæc suffert delens quæ commisit Adam.

Baruc. 5. 11. Quis verò tuus, sacratissima mater, mediis his-
ce in tormentis sensus fuit? tu scilicet illa eras *auis*,
Eze. 30. quæ *sedes super spinas.*

12. An non tibi illa Ezechielis accommodari pos-
sent verba: *Quasi parturiens dolebit Pelusium.* Quid
aliud parere potest dumus & rubus quàm spinas? &
hæ ipsæ quæ caput cingunt eius quem genuisti, an nõ
cordis tui sunt cruciatus, è quibus in die quo eum pe-
peristi immunis fuisti?

13. Dicitur erinaceus femina tota vita nonnisi v-
num fœtum parere, eò quòd spinæ & aculei fœtus
matricem eius conuulnerent, matremque enecent. Ec-
Psal. 28. ce hîc, ô sancta mater, vnicus filius tuus, qui *dilectus*
Psal. 103. *quemadmodum filius vnicornis*, factus est *petra refugiis*
herinaceis: mirumne igitur, si hodie à spinis eius vis-
cera tua interioribus doloribus discerpantur?

Luc 7. 14. Legimus hodie, fratres, in Euangelio Missæ, hi-
storiam de vidua Nain, cuius lamentis motus Do-
minus Iesus, filium eius vnicum, quem *irremediabili-*
bus ea lacrymis extinctum lugebat, ad vitam resusci-
Thren. 3. tauit. *Quis verò medebitur tui*, ô sancta mater, cùm
dulcedinis tuæ causa eadem sit quæ doloris,
nec

nec alius tuus sit medicus, quàm qui te morbidam reddit?

15. Vnde idem tu nobis hodie dicas oportet, quod olim vetus illa vidua Noëmi, è Moab in Iudæam reuertens: *Nolite vocare me Noemi, id est, pulchram; sed vocate me Mara, quia amaritudine repleuit me Dominus*. O suauissima mater. *Ruth. 1.*

Virgo Virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Ruminate vobiscum 1. secundam hanc denudationem, aut potiùs excoriationem, 2. hanc coronationem, 3. hoc sceptrum, 4. indigna hæc ludibria, & blasphema improperia.

FERIA VI. POST DOMINIC. IV. Quadragesimæ.

Ecce homo.

HOMILIA XXVII.

ET *dixit eis Pilatus*: *Ecce homo*. Hoc in mysterio examinabimus 1. particulam admirandi *ecce*, 2. verbum *homo*, 3. quemdam compassionis actum eliciemus, 4. alium adorationis. *Ioan. 19.*

1. Particula hæc *Ecce*, dilecti in Domino fratres, vix vnquam in Scriptura adhibetur, quin semper aliquid magnum innuat, & singularia quædam significet mysteria; hinc ea nobis ruminanda est. Adam cùm præuaricatus (sicut peccatorum proprium est, tenebras consectari) se abscondisset, eum Deus euocat, eumque temeritatis insimulans ait: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis*. Nos verò nonne nostro secundo Adamo dicere possumus: *Ecce Adam quasi vnus* ex iniquis, quia *cum iniquis reputatus est*. Ille esse volebat sicut Deus; *Eritis sicut Dij*; hic verò se facit hominem: *Ecce homo*. I. *Gen 3.* *Isaiæ. 53.*

S 5 2. An

2. An non Cherubim propitiatorio resistentes, situ
Exod.25. suo, velut consternati & admiratione pleni dicere videntur; *Ecce*, dum manna, virgam, & legem considerant, quæ figura erant sacræ humanitatis eius, de quo hodie dicitur: *Ecce homo*?

Luc.1. 3. Angelus pastoribus ait; *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*, dum eis incarnati Christi mysterium
Isaiæ 7. annunciaret; de quo iam olim Isaias ratiocinatus erat dicens: *Ecce virgo concipiet*; & Angelus Mariam
Luc.1. alloquens: *Ecce concipies & paries*, &c.

4. Mysterium baptizati à Ioanne Redemptoris per
Matth.3. quoddam *Ecce* insinuatum est: cùm enim eum baptizaret, *Ecce vox de cœlo audita est.*

5. In Transfiguratione quoque *Ecce vox de nube audita est*, &c. Et de triumphali in Ierusalem ingressu
Matt.17. *Matt. 21.* legitur: *Ecce Rex noster venit mansuetus & mitis.*

6. Præcipua à Redemptore patrata miracula, hoc admirandi aduerbio prænotantur. Vnde de paraly-
Matt. 9. tico sanato legitur: *Ecce adducunt ei paralyticum.*

7. De filio viduæ in Naim ad vitam reuocato: *Ecce*
Luc 7. *defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ.*

8. In Lazari resurrectione, quæ hodierni Euangelij
Ioan. 11. materia est, audite nuntium à sororibus missum: *Ecce quem amas infirmatur.*

9. De postremo filij Dei in mundum aduentu scri-
Luc. 21. ptum legimus: *Ecce veniet Dominus cum potestate*
Matt.25. *magna*. De nuptijs Agni: *Ecce sponsus venit*. De aduen-
Matth.2. tu Magorum: *Ecce Magi venerunt.*

10. Damnati iustorum gloriam admirantes cum
Sap.5. stupore clamant: *Ecce quos habuimus aliquando in derisum.*

11. Dauid de Iudæorũ aduersus Saluatorem Iesum conspiratione & machinatione loquens ait: *Ecce Re-*
Psal. 47. *ges terræ congregati sunt*. Et de Synagoga Iudaica sic
Psal. 7. canit: *Ecce parturit iniustitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

12. Idem quoque quoddam habet, *Ecce homo*, sed hoc nos, quò ad propositum faciat, non in sensu litterali,

rali, sed allegorico accipere oportet: *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.* Redemptor quippe in omnibus doloribus suis, diuinitatis auxilium & opem, ab humanitate sua quodámodo visus est sequestrasse, eã in puris (vt dicitur) naturalibus pati sinẽdo.

13. Per hanc ergò particulam, auditores optimi, deiectionem extremam admiremur eius, qui *habitat in excelsis.* Deiectionẽ inquã lõgè profundiorem, quàm fuit illa Noëmidis, quæ in angustia & dolore de terra Moab reuertens Israëlitas fortunæ suæ mutatione in admirationem rapiebat. *Psal. 112.* *Ruth. 1.*

II.

1. Igitur *ecce homo.* Consultò facis, immanis Pilate, dum voce tua præuia populum præmones, hominem te ostendere, illum enim tam dirè immaniterque habitum qui videret, quis eum hominem credidisset? in quo ineptos illos imitatus pictores est, qui inscriptiones addere debent ijs, quas pinxerunt, imaginibus, vt ex ijs quid res sit, legatur potiùs, quàm è lineamentorum ductu spectetur & colligatur.

2. S. Bartholomæi excoriatio cùm esset vniformior, aliquam ei, ablata etiam pelle formam corporis carne, neruis & venis cõstãtis dabat, sed quinquies mille & quadringentorum verberũ concisione, ita Redemptoris Iesu pellis, sanguis, caro, venæ, cartilagines dilaniatæ ac discerptę erant, vt exosse & exangue cadauer plus formæ, quàm Iesus referret. Quare *videte eum despectum, & virum dolorum.* *Isaia 53.*

3. Imò ne Lazarus quidem, qui hodierno in Euangelio *quatriduanus* fuisse perhibetur, tantum horrorem intuentibus incutiebat. *Ioan. 11.*

4. O animos Iudæorum verè adamantinos! bulliẽs hirci huius emissarij execrationibus vestris onusti sanguis vos non emolliet? minimè, nam *Cant. 6.*

———Duris genuit vos cautibus horrens *Aene. 4.*
Caucasus, Hyrcanæque admôrunt vbera tigres.

5. Totum caput LIII. Isaiæ locum hîc habere comperietis, si ipsum examinare per singula eius membra volueritis.

6. Ecce

6. *Ecce homo.* Illi hîc tacitè sugillantur & reprehenduntur Christiani, qui huic imagini tam parum conformes sunt. Hoc dico vobis, fratres, Pilatum Gentilem, hoc dicendo, ordinariam illam prædixisse obiectionem, qua infideles & improbi nobis semper obijciunt, habere & profiteri nos omnium quæ fuerunt legum sanctißimam, sed eius esse nos frigidißimos & inertißimos obseruatores. Ecquę enim similitudo & comparatio inter caput hoc spinosum, & membra delicatißima?

7. Ipse amplectitur ignominias, nos vanitates amamus & pompas; ipse dolores suscipit, nos ad dulcores anhelamus; ipse paupertatem diligit, nos diuitias diligimus: incommoda ipse partem suam esse confitetur, nos commoda consectamur: & longè secus, atque Vrias, in palatia nostra concedimus, *arca Domini a-*
2.Reg. 11. *gente sub papilionibus*, & Ioab super duram cubante. Hui! quàm ineptæ sumus imagines ad tale, tamque cruentum exemplar efformatæ! ipsum contrario planè modo videmur imitari velle.

8. Redemptor Iesus nostrum quidem hac in parte speculum est; sed ipsi contrarios nos & obliquatos in eo speculamur, sinistram scilicet partem à dextris, &
1.Ioan.2. dextram à sinistris. Nam adeò non in eius vijs *ambulamus*, vt etiam longè aliam & contrariam viam insistamus.

9. Porrò in hac Redemptoris in pergula Prætorij ostensione, talem latere existimo ignominiam, vt ma-
1.Cor. 4. ior esse nulla queat, cùm *spectaculum factus* sit *mundo, Angelis, & hominibus.*

10. Vir nobilis omne mortis genus subire malit, quàm omni populo ferro ad collum vinctus, de superiore loco spectandus proponi, quò sannis & opprobrio populari exciperetur. Hanc tamen nostri causa contumeliam Redemptor excipere dignatus est, quæ menti eius generosæ morte ipsa erat grauior.

III. 1. Dolorosam itaque & amorosam in cordibus nostris

ſtris compaſsionem efformemus, fratres, cùm videamus, ad quàm miſerandum Rex ille mortificatarum mentium redactus ſit ſtatum. Sanè, quoties alicuius vulnera & vlcera ſpectamus tabida, horrore introrſum concutimur, & oculi noſtri naturaliter ſanguinem auerſantur. Quid fiet igitur ſi vulnera & ſanguinem contemplemur eius, qui ſponſus eſt noſter, & Deus noſter? an non igitur duplici commiſeratione concitabimur; naturali & ſupernaturali?

2. Omnes profectò humanæ miſeriæ, qualeſcumque demùm eæ finguntur, vmbræ duntaxat ſunt, ſi cum Domini noſtri malis conferantur; vti omnis purpura Romana etiam pretioſiſsima, nonniſi adulterina videbatur comparata cum eo coccino, quod inde vſque ab India ad Aurelianum Imperatorem miſſum fuit, & quod is in Apollinis templo ſuſpendendum curauit.

3. Miles quidam Romanus iam ſenex & exhauſtus, multos Cæſari libellos ſupplices obtulit, quibus miſſionem, accepto ob res geſtas honorario & congiario, petebat, vt poſthac ſcilicet priuato ſibi viuere liceret. Sed cùm libellis nihil reſponderetur, ſtatuit Cæſare curia egrediente, tunica exuta, quinquaginta eorum quæ acceperat vulnerum cicatrices oſtentare, quæ eius fortitudines & pugnacitates euidens erant argumentum. His conſpectis, Cæſar hominem agnouit, eique miſsionem honorificam conceſsit. Quòd hactenus vix vllas hominum Domino Ieſu voluntates lucrari potuerim, ideò iam eum vobis dicendo, ***Ecce homo***, ſpectandum do quinquies mille quadringentis tuî cauſa plagis conſciſſum. An non, aliqua ſaltem, ô animi ærei, reciprocatione & amoris correſpondentia amorem eius compenſare vultis?

4. Hoc ſaltem agnoſcite, eſſe vos *eius liuore ſanatos*, & deformatam animæ veſtræ imaginem ſanguinis eius & liuorum ſugillationumque coloribus, qui in proprio eius corpore tẽperati ſint, & fœda illuuie *Iſaiæ 53.*

& ſpu-

& sputaminibus conglutinati, & per clauorum, fustium & lancearum penicillos adhibiti, restauratam refectamque fuisse.

5. Si triste & ferale vulneratæ Clytemnestræ spectrum, quod assiduè ante Orestis parricidæ oculos obuersabatur, eum tandem emotæ mentis reddidit; quin ipsi extra nos rapimur, dum in hoc, *Ecce homo*, verbera & plagas conspicimus, quas peccata nostra Domino & hero nostro inflixêre.

6. Sicut enim in speculo faciei nostræ næuos & maculas conspicimus etsi ipsum in se tersum & emaculatum sit: ita etsi Redemptor noster Iesus *speculum sine macula* sit, tamen sanguis ille, sputa illa, manus illæ transfixæ, pedes illi confossi, caput illud vepribus rigens, tetræ criminum nostrorum in ipsius innocentis crystallo apparentes figuræ sunt.

Sap. 7.

7. Dicuntur in quadam Africæ ciuitate mulieres pollutæ & immundæ, quasdam speculis etiam intensissimis maculas inspergere. Quàm verò immunditiæ nostræ pulchrum sponsi nostri corpus horrendis plagis deturpant!

8. Hoc saltem doleamus, esse nos per flagitia, sinistrorum horum effectuum causam, atque vt venusta olim Helena

Fleuit, vbi in speculo rugas conspexit aniles;

sic nos exteriori illa Domini conspecta deformitate, interiorem turpitudinem plangamus, & *emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus.*

Discipulus in exempl. ver. Passio.

9. In Promptuario Exemplorum scribitur, Redemptor Iesus aliàs iuueni Clerico vano & licentioris vitæ eâ apparuisse formâ, quâ eum Pilatus spectandum ad populum produxit, & ei exprobrasse, quàm parum ipse, dum vanitatibus, nugis, superbiæ & mollitiei studet, duram coronam suam, nuditatem & dolores imitaretur. Quo spectaculo commotus adolescens, statim vitam emendauit, & ad meliora conuersus est.

Ibidem.

10. Alius adolescens cùm de nocte in hortum cum aliquot

aliquot lasciuis mulierculis ingressus esset, in cacodæmonem incidit, qui vnius sociorum figuram indutus; illum ad malum committendum est adhortatus. Vlteriùs mox progresso apparuit Redemptor Iesus, sub specie Religiosi Dominicani, eumque filij nomine compellauit. Tum ille qui priùs ei apparuerat, funesta sua interrumpi molimina ægrè ferens, hunc patrem eius esse negauit. Sed Dominus Iesus vestem suam adaperiens. Vide, inquit, nam verè tuus sum pater, & quos subierim te regeneraturus cruciatus? Ad quem tot vulnerum conspectum adolescens, in terra se prosternens, cum Apostolo Thoma exclamauit: *Dominus meus & Deus meus*; & ad Deum se conuertens sanctam posteà vitam inijt.

11. Sunt hæ singulares quædam prærogatiuæ, nec omnibus passim conceduntur. Nam *spiritus vbi vult spirat, & dat singulis prout vult*. Sufficere nobis Moyses, Prophetæ, & Euangelistæ debent, cùm id genus apparitionibus indigni simus. *Ioan. 3.* *1. Cor. 12.* *Luc. 16.*

12. Non melius autem plagis Dominicis compati possimus, quàm si scelestum & ferale illud peccatum, quod harum causa est, ab anima nostra eliminemus; nam *propter scelus populi sui percussus fuit, & posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrûm.* *Isaia 53.*

IV.

1. *Ecce homo*, Ecce Christiane, ille homo Deus, quem vt Creatorem & Redemptorem tuum adorare debes. Atque ideò, in hac productione, loco maledictionum Iudæorum, benedictionis & adorationis multiplicare debemus actus. Dixit olim Dominus: *Pauet ad sanctuarium meum.* Quanta verò ab Israëlitis sancta Sanctorum religione colebantur! Hæc tamen nonnisi figura & vmbra erant nostri *ecce homo.* *Leuit. 26.*

2. Bethsamitæ, quòd arcam Domini irreuerenter inspexissent, fœdis percussi sunt plagis. Quomodo ergò in cordibus nostris nos percuti par est, cùm arcam nostram in tam miserabili statu videamus!

Saucia,

Saucia, Deus cordis mei, potenter animam pungentibus harum spinarum, à quibus *coronaris in misericordia & miserationibus*, aculeis.

Psal. 102.

3. Manue vxori suæ dicebat: *Moriemur quia vidimus Dominum*. Sed non erat plus quàm Angelus. Nunquamne in me, ô abominanda peccata, quæ me Deo inimicum constituitis, moriemini, hunc *hominem* conspicientes, hunc magni consilij Angelum? Eiadum *exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius.*

Iud. 3. Psal. 67.

4. S. Ioannes Euangelista cum suo Angelum in splendore conspicatus esset, in terram se abiecit, eum adoraturus: nos sponsum nostrum sanguinolentum amore radiantem adoremus, & eò maioris meriti nostra futura est fides.

Apoc. 22. Apoc. 5

5. Coronas nostras ad Agni huius pedes deponamus, vti senes illi Apocalyptici, eique occinamus, *dignum eum esse, qui ab omnibus honorem, gloriam, & benedictionem accipiat.*

6. Cùm nuper Romæ agerem, subinde (vnde me beatum prædico) in scala illa sancta, vel gradibus saxeis, multis in locis sanguine Dominico sanctificatis, quibus ad pergulam prætorij, è qua populo spectandus datus fuit, ascendebatur, orationem meam fundere concessum fuit. Orauimus itaque & adorauimus eum in illo pedum eius scabello, *in loco vbi steterunt pedes eius.*

Psal. 131.

7. Sed, vos dilectissimi, in sacrosancta Eucharistia quotidie *adorare scabellum pedum eius* potestis; (ita namque illa Psalmographi verba exponit sanctus Augustinus) quin imò ipsummet ibi adorare & adorari.

Psal. 98.

8. Adeò, vt dum sacerdos in Missę solennijs hostiam sacram & consecratam in altum eleuat, interiùs vobis ab aliquo dici credatis: *Ecce homo*, & Redemptorem vestrum Iesum spiritu humilitatis adorate.

9. Dum in sacris mysterijs symbolum Apostolorum

lorum legitur, nostis sacerdotem ad illa verba: *Et homo factus est*, prosterni; idque in gratiarum actionem ob humanam carnem ab eo assumptam.

10. Puellis deterioris famæ antiquitùs & ab olim concessum est, vt si quem maleficorum morti addictorum in coniugem deposcerent, illum ab eadem eriperent. Eheu! nullamne hìc animam reperiemus, quæ sponsum hunc sanguinum habere velit, quamuis sit *despectus & nouissimus virorum*. *Isaiæ 53.*

11. Tuum, ô sacra Agni huius mater, filium deformatum vix agnoscis: nullam enim hominis similitudinem gerit, & vix esse crederetur, qui est, nisi suo Pilatus id testimonio & proclamatione confirmaret. Hiccine pulcher ille puer est, qui sine vllo sensu tuo è puris virgineisque tuis visceribus prodijt, quique omnes suo aspectu cœlos ridere fecit, & Angelos præ gaudio, dum eius contemplatione in admirationem raperentur, canere & plaudere compulit? O florem iam emarcidum & euigoratum! Ecquæ barbara & immitis manus tuo te virore & candore priuauit?

12. Sanctus Alexius post longas multorum annorum peregrinationes adeò mutatus extenuatusque Romam redijt, vt nemo eum in domo paterna agnosceret, in qua etiam, instar ignoti pauperis, cui sub gradibus aliquibus è commiseratione commorari daretur, exspirauit. Talis tu es, dulciscime Iesu, quin etiam deformatior, & mutatus magis.

13. Si quis cranium mortui, quocum viuente sæpè egisses, tibi ostenderet, nunquam id, cuiusnam esset, agnosceres: Sic Domini nostri Iesu Christi viuens mors multò minùs etiam cognoscibilis fuit. Prô sacrilegas & atroces Iudæorum dextras! quônam sponsi nostri pulchritudo abijt, quem immanis impietas vestra tam barbarè dilaniauit? Itaneergò, ô caste Spurina, formosum & liberalem vultum tuum deformari passus es?

14. Cùm fulgidus hic sol deliquium patiatur, minimè ambigendum, quin pulchra illa vt Luna, mater eius scilicet, etiam obscurata & obtenebrata fuerit. Nostis duo hæc sidera ita inuicem coniuncta esse, vt quas vnum patitur impreßiones, eæ quàmprimùm ad aliud per sympathiam transeant.

15. Discimus è Genesi, columbam Noë, cùm locum non inueniret, adhuc durante diluuio, in quo requiesceret pes eius, ad arcam redire compulsam fuisse. Ita in hoc sanguinis Dominici cataclysmo, *vnica columba* nostra, locum non reperiens, in quo oculorum suorum aciem tutò defigeret, torrentibus doloris animam eius obruentibus, ad arcam redire suam coacta fuit, constanterque se in Patris æterni voluntatem resignauit, naturalem *fortitudinem* in supernaturalem *commutans*, & sine defectione vlla, *assumptis* columbæ *pennis* volans, vt in diuinæ prouidentiæ gremio requiesceret: & quò his amaritudinum aquis cor eius magis obruebatur, eò adinstar arcæ, magis cœlum versus sustollebatur. Ibi namque vnicum eius, inter oppreßiones & dolores, à quibus opprimebatur, erat refugium. Quamobrem rogo te, cara mater, vt

Gen 8. Cant. 2. Psal. 97. Isaia 40. Gen. 8.

Tui nati vulnerati
Iam dignantis pro me pati
Pœnas mecum diuidas.

Vos autem fratres mei, 1. admiremini, 2. hunc hominem Deum, 3 eidem compatiamini, 4. adorate. Pax Domini sit semper vobiscum. Amen.

(*.*)

DOMI-

DOMINICA V. QVADRAgesimæ.

Rabidi Iudæorum clamores.

HOMILIA XXVIII.

ILli autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Hodie, fratres, de importuna Iudæorum violentia, & violenta importunitate agemus, qua à Pilato iniustam Redemptoris Iesu condemnationem extorserunt, tumultum miscendo & minas adhibendo. Itaque 1. ostendemus, quàm supremi conatus & connisus vltimi vehementes sint, 2. quàm furibundi Iudæorum clamores, 3. veritatem illos mentiendo locutos, dicendo, *secundum legem* illum *debere mori*, 4. vanum Pilati explodemus metum, dum Cæsaris excidere gratia veretur. *Ioan. 19.*

1. An non secretus quidam horror vos occupat, fratres, cùm lupos illos vlulantes, & leones rugientes auditis, in vnum ad prædam captandam conuenientes, *sicut catuli leonum rugientes, vt quærant escam*? An corda vestra fornicata & saxea, ceu echonina ad rabidos & efferatos hos clamores aliquam non dant saltem resonantiam, si ad compassionem non emoueantur. I. *Psal. 103.*

2. Nos dum morimur, scriptum est *diabolum descendere habentem iram magnam, cùm sciat, quia modicum tempus habet*; ac tum illusionum ac tentationum suarum violentiam reduplicare; quia iam momentum imminere perspicit, quo sperat de nobis victoriam referre posse nos perdendo, vel perdere posse nos superando; & cùm certò nôrit, quòd *Apoc. 12.*

Sit fractis rebus violentior vltima virtus.

3. In re militari prudens illud documentũ & præceptum est, nunquam hostem esse ad extrema despe-

rationis redigendum: si fugit, fugiendi illi tempus dandum esse, quin imò aureum illi, vt dicunt rei peritiores, struendum pontem esse. Periculosum enim haud dubiè est aggredi eos, quibus alia non suppetit salus, quàm *nullam sperare salutem*.

4. Aper retibus inclusus, audacter in venabula se induit, vitam suam intrepidè exponens, quò eam tueatur.

5. An non fax tum maiores flammas euibrat, cùm iam iam exstinguenda est?

6. Et homines, qui in mortis agone versantur, an non tum magis quàm ante oppugnantur?

7. Lapis in altum iactus, eò maiori descendit vehementia, quò centro suo fit vicinior. Omnia præcipiti cursu feruntur, dum termino suo vicina sunt.

8. Iudæi, veriti ne Pilatus manifesta Iesu innocentia motus, eum liberum abire sineret extrema tentant, & *Cæsar aut nullus* esse cupientes, omnem mouent lapidem; & potentissimos lacertos suos in vltimum hunc conflictum, & in litis suæ conclusionem, validissima quęque argumenta & persuasiones apud Pilatum prægnantissimas reseruant. In prauo itaque hoc molimine simul coniungtur, conspirant, conueniunt, & monopolium sinistrum ineunt, quò clamores ipsorum iam iuncti, maiorem ad meticulosum hunc iudicem percellẽdum terrorem præferrent. Sic multa arenæ granula in nauim collecta ipsam tandem demergunt:

Nam quæ non prosunt singula multa iuuant.

Dan. 14. 9. Sic inuidi Satrapæ Babylonij tam potenter collatis consilijs aduersus Danielem conspirârunt, vt illorum rabie victus Rex, eum in lacum leonum conijci præceperit. Sed in eos deinde Deus pro merito animaduertit: nam *obturauit ora leonum*, ne Danieli nocerent; sed cùm illi in eius locum leonibus obijcerentur, confestim discerpti sunt. *Heb. 11.*

10. Hinc discat populus, omnem seditionem & mo-

nopolia

nopolia cane peius & angue deteſtari: nam *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13.

11. Conſtat, quàm malè murmuratoribus illis ſeditioſis, Chore, Dathan, & Abironi ceciderit; quos nimirum viuos terra abſorpſit, quòd aduerſus Moyſen inſurrexiſſent: Maria quoque ſoror eius, quòd murmuraſſet obloquens, lepra percuſſa fuit. Num. 26. Num. 12.

12. Infelicem pulchri Abſalonis, qui ſuis monopolijs, ambitioſis machinis & artibus populum Iſrael ad ſeditionem & rebellionem concitabat, eumque ſpecioſo quodam prætextu à Dauidis imperio alienabat finem conſiderate. Væ & anathema omnibus hiſce rebellibus & nouarum rerum ſtudioſis. 2. Reg. 18.

13. Væ quoque omnibus murmuratoribus, ſeditioſis, & publicæ quietis perturbatoribus. Facile, eheu! admodum eſt populum concitare, ſed perdifficile eum poſteà tranquillare. Mare ſemel vẽtis agitatũ, etſi ventorum iam fragores interquieſcant, multò tamen poſt tempore fluctus adhuc concitatos, tumentes & ſpumantes habet. Cogitate, fratres, ſeditionem omnem popularem marinæ tempeſtati non abſimilem eſſe. Quàm multæ enim in hac tempeſtate & procella naues, nedum integræ ſoſpiteſque familiæ pereunt! vt taceam quoque, aquas *multas populos multos eſſe.* Apoc. 17.

14. An non maris huius irati mugitus & fragores vobis audire videmini? *Voces aquarum multarum*, & frementia eorum tonitrua? *Vocem dederunt nubes.* Apoc. 1. Psal. 92. Psal. 76.

15. Quàm, Deus bone, horrendum quid eſt populi cuiuſdam ad iracundiam concitati & indignantis furor! Ipſe ſcilicet quidam Briareus, vel centimanus gigas eſt, fulmen, inflatus etiam torrens, grando, denique impetuoſus quidam ventus.

Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. Aene. 1.

16. Hoc in præſentis diei Euangelio legimus, in quo cùm Redemptor Ieſus veritatem multis exoſam loqueretur, *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Ioan. 8.

1. Sed quis vniuersalis furentis huius turbæ clamor est? Non iam cum Moyse vnà cum Iosue è monte
Exod. 22. descendente, dicamus: *Vocem cantantium ego audio;* sed cum hoc, *vlulatus pugnæ auditur in castris* Audite clamores, & vt vociferentur : *Tolle, tolle, crucifige eum.*

2. *Fel draconum in labijs eorum, venenum aspidum*
Deut. 32. *insanabile.* Ambo hæc animalia sanguinis inprimis auida sunt, in quem mox vt morsu suum infuderint venenũ, irremediabile & insanabile virus efficiunt. Dracones hi nostri aliam virulenti facti sui rationem non habent, quàm iustum hunc esse crucifigendum. Et reuera, quænam esse furori & rabiei posset ratio?

3. Sanguisugæ semper dicunt: *Adfer, adfer*: hi verò
Prou. 30 clamant: *Tolle, tolle;* sanguine & cruciatu Agni nostri nunquam saturati.

4. Imò, sicut canes venatici, ad currendum & latrandum animantur, cùm feræ quam insequuntur & vestigia & sanguinem odorati sunt.

5. Et sicut tunc milites ad certamen acuuntur, cùm hostium suorum vident sanguinem.

1 Mac. 6. 6. Et sicut Elephantes & tauri ad coloris rubei conspectum exasperantur & efferascunt.

7. Sic immanes hi lupi, adeò non miserabili hoc Saluatoris Iesu spectaculo commouentur ad commiserandum, vt etiam maiorem rabiem, visa duplici purpura tum chlamydis, tum sanguinis induant
Iob. 31. dicentes forsitan cum inimicis Iob, *quis det, vt de carnibus eius saturemur?* Dicunt: *Euge, euge, deuorabimus*
Psal. 34. *eum.*

8. Quia ab animali rabido morsus est, semper videre se in aqua eius figuram putat: Sic hi in sanguine Iesu Domini nostri videre se arbitrantur eas, à quibus exagitantur furias. Atque vti illi qui virulẽto & rabido animalium dente impetiti sunt, non ante menti restituuntur, quàm cùm mari inijciuntur: sic hi su-

hi suam componere rabiem & furorem nolunt, nisi rubicundo sanguinis Iesu immaculati & innocentis mari innatent.

9. Sed aduertite, quomodo permittat Deus, vt dicant: *Tolle, tolle, crucifige*: vt nimirum verum esse comprobetur illud Domini de se oraculum: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ioan. 3. Verùm vnde fieri dicam, vt per serpentis huius excoriati, Redemptoris inquam aspectum, phrenetici hi à virulento maleuolentiæ morsu non sanentur? Praua scilicet eorum voluntas, cœlesti gratiæ obicem ponit, imò ipsimet serpentes fiunt. Videte siquidem, vt 2. Aen.

Attollant cristas, & cærula colla tumescant:

Videte, vt ad solem sibilent, & maledicas venenatasque linguas suas adacuant.

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus Virgil.
Arduus ad solem linguis micat ore trisulcis.

10. Adeò vt de homicidis hisce vociferantibus meritò dici queat: *Aperuit super eum puteus os suum.* Psal 68. clamant: *Eradamus eum de terra viuentium, vt nomen eius non memoretur amplius*, Ierem. 11. si cum ijs velis contestari; *Nihil plus agas, quàm si insanias cum oratione, quia gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent immaculatum.* Psal. 58. Psal. 62.

11. Hinc discite, fratres mei, quantum malum sit lingua maledica & virulenta, *Mors & vita in manibus linguæ.* Prou. 18. Sic videtis quomodo lingua Epulonis, non minùs gulosa quàm maledica, apud inferos siti inextinguibili crucietur. Luc. 16. Næ ille sapit, qui membro adeò labili & lubrico frœnum inijcit.

12. Vti fecit B. Iuniperus, vnus è primis Seraphici Patris Francisci socijs: qui die vno propter amorem Dei, altero in honorem Deiparæ matris, tertio, in obsequium cultumque alicuiuspiam Diui silentium obseruabat. Atque pia hac industria fiebat, vt

Psal 37. sæpè menses integros nihil prorsus loquendo: *Et sicut mutus non aperiens os suum*, traduceret.

13. S. Antonius Patauinus feruens & zelosus erat cōcionator, extra cathedram verò rigidissimus silentij obseruator & amator: in cuius rei prodigium & prœmium lingua eiusdem etiamnum hodie integra & vernans exstat. Insignia hæc exempla nos doceant salutarem taciturnitatem complecti.

14. E ferali & dæmoniaca hac siti, qua febricitantes hi phrenetici sanguinem Redemptoris sitiebant, sanctam & amorosam quandam in animabus nostris excitare sitim discamus, quæ nos ad sacrosanctam communionem frequenter sumendam impellat, vt cum psalmographo canere possimus: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Psal. 62.

III. 1. Post suum *tolle*, ad infamiæ suæ honestum colorem & prætextum inducendum, addunt: *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Videte, vt nefarij hi *Scripturas ad suam ipsorum perditionem* producant & conuertant, suoque eas parricidio, quod mente agitabant, adaptent. 2. Pet. 3.

2. Sic diabolus, qui *homicida est*, iam inde *ab initio* Redemptori Iesu, Scripturæ allato testimonio, persuadere satagebat, vt se è templi pinnaculo præcipitem daret, vt, si potuisset, illum ad ceruices sibi frangendas adigeret. Ioan. 8. Matt. 4.

3. Notate hîc hæreticorum consuetudinem, semper falsa sua dogmata scripturis colorantium, & prauas intentiones ijsdem propugnantium.

4. Verum quidem Iudæi dicebant, si verba, prout sonāt inspiciamus: nā vniuersa lex & Prophetæ nonnisi figuræ erāt mortis Messiæ. Sed in corde suo mentiebantur: *Cor eorum non erat rectum, nec fideles habiti sunt in testamento Dei.* Audite vnum S. Scripturæ locum, ab hæretico productū; vos eum vt indubitatum quoddam veritatis punctum & articulum haberetis; sed si ad eum, quem ipse ei dat sensum, attenderitis, videbitis eū sensui litterali planè aduersari. Proferentem Psal. 77.

tem eũ audite hæc verba: *Hoc est corpus meum*; sed si ijs illius tropũ & figuram addideritis, contradictoriũ illud Reformatorũ dogma, *Hoc non est corpus meum*, inde effici comperietis. Sed, pro dolor! quid faciemus pertinaci illorum contumaciæ, *qui firmauerunt sibi sermonem nequam?* cordis illorum durities potius nobis deploranda est, & experiendum num nostra mens illorum lacrymis emolliri poterit, ipsique induci, quò doctrinæ salutis & veritatis condescendant. *Psal. 63.*

5. Vos interim, piæ mentes, cogitate, veram mortis Dominicæ causam fuisse, quòd Dei esset filius, & quòd ideò eum mundo tradiderit, vt *per ipsum mundus saluetur*, nosq; ex eius tormentis redemptionem, & è temporali eius morte vitam æternam eliceremus. *Ioan 3.*

6. Atque hinc secretum quoddam spirituale permagni momenti discite, scilicet nullum in Dei filiũ & *fratrem & cohæredem Christi* adoptari posse, quàm qui *carni suæ moritur*, *eam* Christo Iesu in cruce pœnitentiæ *concrucifigendo*; quàm qui moritur mundo, *vitam* suam *abscondens in Christo*; quàm denique qui propriæ moritur voluntati, quò se diuinæ subijciat. *Rom. 8.* *Gal 5.* *Coloss. 3.*

7. Manifestum & euidens conformitatis huius argumentum est, à mundo repelli, & ei exosum esse, ad exemplũ eius, qui cùm *in mundum venisset, eum mundus non cognouit nec sui eum recepêre; quotquot autem receperunt eum, facti sunt filij Dei, credentes in nomine eius, non* iam amplius *voluntatem carnis, neq; viri, sed voluntatem Dei* facientes. *Ioan 1.*

8. De perfecto ergò Christiano dicamus, quod de vero Religioso dicebat gloriosus Minorum parens Franciscus, eum debere esse ceu mortuum, & tam ad opprobria & iniurias insensibilem, quàm mortuum cadauer est.

9. Venit hic mihi in mentẽ factũ illius veteris eremitæ, qui à quodam tyrone & nouitio rogatus, quonã ad perfectionis apicem modo pertingeret, tertiò eum

ad cœmeterium misit; prima vice cadaueribus & ossibus illic sparsis laudes dici iussit, secunda, contumelias in eadem euomere; tertia, lapidibus eadem petere: cumque retulisset, nullum ad hæc tria sensum ossibus infuisse; Hoc imitare, senex inquit, fili mi, cùm laudaberis, contumelijs proscinderis, & verberaberis; & perfectus eris. In plena ergo mortificatione plena & perfecta archetypi nostri consistit imitatio.

IV. 1. Deniq hic arietem & ballistam fortissimam videte, qua molle & semifractum Pilati cor Iudæi arietant, & tam vehementer quassant & tundunt, vt tandem cedere faciant, & ad iniquè Dominum condemnandum impellant. *Si hunc inquiunt dimittis non es amicus Cæsaris*: ad quam simplicem interminationem ille vti S. Petrus ad vocem ancillæ, ilicò victus succumbit. Luc. 22.

2. Quas non iniustitias cõmittunt aulici, quò Principum, quibus ceu mancipia aureis spei & votorum suorum compedibus constricta, obsequuntur, gratiã aucupentur, conseruent & non perdant! Vtinam tam fideliter & constanter Deo seruiatur propter cœlestem gloriam & vitam æternam, quàm Principibus mundi huius propter bona terrena!

3. Prô nefandam muniorum venalitatem! (nec verò dubitandum, quin per hanc portam auream ad præfecturam præturamque Iudææ Pilatus peruenerit.) Tu scelesta bellua euersionis omnium regnorũ, & omnis æquitatis ruinæ es causa. Quid enim non committitur, ad dignitates emendas! illis iam coemptis, quid non fit, ad effusam pecuniam recuperandã! quid denique non agitur, ne illæ iam habitę amittantur.

4. Bona est ipsa ratio status, si quando veræ religionis præceptis conformis est; verum, quando iuxta regimen & politiã adaptatur religio, & Agar Saram supplantare & ei prædominari vult, quænam sequitur confusio? Gen. 21.

5. Lapis obliquus & tortuosus rectæ regulæ & amussi adaptandus est,& inconstantes sæculi sententiæ irrefragabilibus veræ fidei axiomatis attemperãdæ; & in mundo regendo cœli aspectus sequendus & respiciendus, sicut & in naui dirigenda: qui enim hanc pyxidem amittunt, semper in syrtes & scopulos impingunt. *Sapere* oportet *quæ sursum sunt, non quæ super terram.* *Coloss. 3.*

6. Vtinã tã metuerent homines *patrem* offendere *luminum*, quàm rectores tenebrarum! quàm omnia feliciter succederent! sed vti olim maius erat piaculum iurare per genium Principis quàm per nomen Dei; ita de mysterijs religionis (quæ secreta augusta & adoranda sunt) per tabernas & compita iam passim homines loquuntur : & de mysterijs iniquitatis, quæ per mundum laxatis feruntur habenis, tollendis nemo verbum loqui auderet. Vnde dolor hic miserabilis necessariò corde premendus, quia de quo conqueri & plangere interdictum est. *Iacob 1.*

7. Ex panico hoc Pilati timore etiam discamus, quã sæpè ob priuatum quæstum & commodum, Dei numen violetur, quomodo aurum intellectum excæcet, & æquitati præiudicet.

8. Quid dico? quàm etiam stultus & inanis mundi pudor multas, sed imbecilles & effeminatas, parumque constantes mentes à sanctis deuotionis exercitiis auocat! tacitè hi cultum & famulatum Iesu condemnant, ne vanam mundanorum pios explodentium, & ijs *Tolle* inclamantium æstimationem amittant.

9. Quoties peccant homines vt complaceant ijs, quibus amicitia iuncti sunt? quàm multi in duello secũdi se iugulari sinunt, ne amico suo in discrimine constituto defuisse videãtur, præferentes *amicitiam huius mundi* amicitiæ Dei. *Secundi sunt qui à duellãtibus assumuntur, quò ijs cadentibus succedant, & perduellum renouent.*

10. Dauid Vriam necari iubet; & ecce Ioab iniquum hoc iussum statim exequi studet. *2. Reg 11.*

11. An non Balaam sine vlla causa, sed duntaxat vt Balac Regi gratificaretur, Israẽlitis maledicturus abit? *Num. 22.*

12. Quam

12. Quàm multæ filiæ inuitæ connubia ineunt, quã multæ vitam monasticam profitentur nihil minus volentes, sed

——— *altum retinentes corde dolorem*;

Ea solùm mente, vt voluntati parentũ morem gerãt, vel quòd ijs displicere vereantur. Quàm, ô munde, violentus tyrannus es; cùm suam tot spiritualibus libertatem arbitrij ijs in rebus eripis, in quibus plenam & absolutam libertatem Deus ipsis concessit!

13. Rapidum igitur proprij cõmodi Mobile, tandem Pilati timiditatem & inertem iniquitatem ad se rapit, qui veritus, ne diceretur tolerare ac propugnare eum, quem populus Cæsari aduersari & regalitatem ambire criminabatur, in innocentem Iesum iniquam illam condemnationis sententiam, quam crastina examinabimus die, protulit.

Ion 1. 14. Interim dum hæ procellæ sæuiunt, Beatissima Virgo, ceu secundus Ionas, doloribus oppressa gemit libenterque se in mare hoc procellosum mortis deijciendam obtulisset, quò carissimo filio suo vitam conseruaret. Tam intensi porrò hi plebis Iudaicæ clamores sunt, vt Agnus noster, ob confusos hosce sonos & vociferationes, benignissimæ matris suæ gemitus nonnisi cordis auribus excipiat.

15. Quàm verba illa, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige*, cor eius, ceu acuti quidam mucrones confodiebant, verba inquam barbarorum & anthropophagorum! Fingunt Poëtæ, nymphas dum Iouem penes se occultant, strepitum excitasse, ne vagitum eius audiens Saturnus pater eum deuoraret: & hi Iudæi vice versa ideò succlamant, ne innocentem hunc filium Pilatus matri reddat complectendum.

16. Sacerdotes Cybeles strepitus & tumultus ciebant interim dum paruulos idolo suo immolabant, ne gemitu & ploratu eorum ad commiserandum mouerentur; sic scribæ hi clamorem tollunt & vlulant, ne filij huius & matris cõpassione Pilatus cõmoueatur.

17. Quin

17. Quin tu, ô vente calens, qui potenti quodam flatu olim *locustas* Aegyptias *in mare rubrum proiecisti*, Exod. 20. ardenti quodam charitatis habitu, omnes hasce streperas cicadas & vespas in mare sanguine Domini mei rubricans demergis? sed, peruicaces hi *in peccato suo mori* constituunt.

Doceat hęc homilia vos, 1. violentias & monopolia fugere, 2. stomachabundos clamores euitare, 3. vos ipsos mortificare, 4. terrenum commodum Dei obsequio non præferre. Ite in pace.

FERIA II. POST DOMINIC. V. Quadragesimæ.

Adiudicatur Iesus morti.

HOMILIA XXIX.

SAnguis eius super nos, & super filios nostros. Hac homilia exponemus, 1. Pilati per vxorem commonitionem, 2. quomodo suas lauerit manus, 3. Iudæorum imprecationem, qua sibi Redemptoris Iesu sanguinem eos imprecatos iamiam audiuimus, 4. quomodo ipsum voluntati ipsorum tradiderit. Mat. 27.

1. Variæ sunt spiritualium scriptorum circa hanc vxoris Pilati in somnis visionem opiniones. Sunt enim qui ab bono Angelo eam oblatam volunt; qui impedire volens, ne insignem hanc iniustitiam, innocentem condemnando, committeret, & inspirauit ad maritum nuntium mittere quò eum is neci subduceret. Pium officium, quodque æquitati Angelicæ videtur conforme.

2. Contrariam opinionem tuentium pars & maior, & (vt quidem censeo) fortior est: docentium videlicet, ab Angelo malo eam turbatam fuisse, boni

qui-

quippe Angeli semper nuntij sunt pacis, & hominis securitatem, & dulcedinem, & consolationem adferunt.

Ioan. 8. 3. Neque verò mirandum est, eum, qui *homicida est ab initio*, consuetudinem & naturam suam hîc mutasse. Cùm enim iam pretiosi sanguinis Domini Iesu vires & effectus sentire, & sanctæ crucis vmbra suos iam crudeles effectus exerere inciperet; magnamque videret mansuetudinem, patientiam & prodigiosam Redemptoris tolerantiam; accederent adhæc violenta mirabilium vitæ eius operum iudicia, nec non eius in deserto olim profligatio in mentem rediret; suspicari haud inaniter cœpit eum Messiam esse: cuius mortem cùm è scripturis & prophetijs suam fore mortem intelligeret, nec non vniuersalem hominum redemptionem, & inferni destructionem, eam diuertere per mulieris huius præmonitionem studuit: peccatum scilicet vnum impedire conatus est, quò infinitum quoddam bonum subuerteret, & vniuersalis ruinæ suæ ictum declinaret: quemadmodum etiam diabolus coactus, veritates interdum proloquitur, sed malignas & peruersas, eas deprauare & corrumpere satagens: sic sæpè etiam homini bona suggerit apparentia, quò in grauia eũ scelera dein præcipitet.

4. An ignoratis quendam Laconem vitæ scelestæ, bonum quoddam suggessisse consilium; quod tamen ob eius iniquitatem peruersitatemque sequi senatus noluit?

5. Qui tradunt, bonum Angelum hoc suggessisse monitum, suam confirmare opinionem possent ex eo, Dan. 10. quòd Angelus Persarum resisteret ei, qui Israëlitas captiuos è Perside reducere vellet.

6. Sed alij replicare possent, bonos Angelos minus quàm diuinæ voluntati vnitos esse & conformes, quã Marc. 8. vt ei aduersentur, & S. Petri, Redemptori passionem diffundentis errorem imitentur; qui propterea *Satanas* ab eo dici meruit. Vt hinc videremus eũ per mulieris huius artificiũ & industriam passionis Domini remoram inijcere velle.

7. Vti

7. Vti olim sub mundi initium, per fœminæ seductionem & deceptionem peccatum in orbem inuexit: sic Gen. 2.
iã feminæ ope vti voluit, quò peccati Adami reparationem impediret: tunc hominẽ mori fecit dum eum è vetito fecit fructu comedere; iam vero spiritualem nostram resurrectionem, per fructus vitæ manducationem impedire conatur.

8. An non quoties malignus hic mortificationes nos facere impedit, toties spirituali morti nostræ obstaculum obijcere satagit, in quibus tamen nostra cum filio Dei conformitas consistit?

9. Mysticè per hanc vxoris Pilati præmonitionem, synderesis vel remorsus conscientiæ capi potest; quæ, à facienda iniquitate, capienda vindicta, percutiendo, furando, iniurias irrogando, omniq́ue demum peccato nos non rarò auocat.

10. Saura Serpens philanthropus hominem in agro dormitantẽ expergefacit, quò alterius serpentis venenosi & misanthropi, morsum euitet.

11. Hinc discite etiam, mariti, amicas & humiles, vxorum vestrarum monitiones suasionesq́ue, si quando blasphemias, vsuras, lasciuiam, & libidines vestras coarguunt, bonam in partem capere: nam

Est etiam olitor sæpè oportuna locutus.

12. Vniuersa Samaria ad vnius peccatricis à Domino conuersæ prædicationem conuersa est. Ioan 4.

13. Benignè & in bonam partem accipite placidas illarum exhortationes, præsertim cùm salutem eę vestram respiciunt: nolite eas reijcere, quasi earum admonitione non haberetis opus: sunt enim procul dubio maioris virtutis quàm vos. quid, quæso, Deus bone de mundo foret, si ea feminarum esset nequitia, quę virorum!

14. Sunt illæ multò maiori virtute ac pietate quàm vos: hac de causa orat Ecclesia *pro deuoto femineo sexu*; ideò benignè eas audire debetis, si quando vos salutis vestræ commonefaciunt: nam, vt ait 1. Cor. 7.
APOSTOLVS, *vir infidelis per mulierem fidelem*

fidelem sanctificatur; maritus indeuotus sæpenumerò per vxoriam pietatem deuotionemque magnum periculum effugit.

15. Neque est quòd aliquam ijs debilitatem, quam inesse illis creditis, exprobretis. Noueritis namque Adamum nonnisi è luto compactum fuisse, quæ materia mollis & fragilis est: Euam verò è costa, materia nobiliori & solidiori quàm terra diluta & diffusibilis. Viri, fateor, corpore sunt robustiores, ad peccandum tamen fragiliores & proniores.

16. Ac præsertim in peccato carnis: mulier enim, quævna cùm pudicitia sua honorem cordi habet, longè verò tentationibus sensualibus resistit validiùs ac potentius.

17. In eo, ô viri, prædominamini, & (quemadmodum vobis persuadetis) estis excellentiores, quòd vitæ sitis liberioris, lasciuiores, gulosiores, & magis Deum blasphemetis quàm feminæ: quæ tamen prærogatiuæ potius sunt contemnendæ & reijciendæ.

18. Vnde etiam Pilatus noster benè non facit, quòd
Gen. 2. vxoriæ suasioni consilioque auscultare detrectet; sicut
Iudic 16. vice versa plurimi decepti fuêre quòd earum monita
3. Reg. 11. suasionesque secuti sint, vti Adam, Samson, Salomon, Achab, alijque sexcenti.

II. 1. ***Sed accepta aqua lauit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius.*** Prô hypocritam, longè ceremoniarum quàm æquitatis exactiorem obseruatorem! Manus tuas incassum, & vano studio lauas,
Ierem. 4. *laua* potius *à malitia cor tuum.*

2. Per hypocriticum factum hoc suum tegere & excusare peccatum studet, vti olim Adam & Cain. Hem!
Gen. 3. & 4. quas commisiones, quos internos carnifices, quæ spiritus tormina & eculeos iniquus hic intra se sentiebat, quòd ad innocentem condemnandum compelli se cogique cerneret!

Hem, quid agat, quonam populum placare furentem
Aene. 4. *Audeat affatu, quæ prima exordia sumat?*

Rursus

Rursus ad nos foras egreditur, declaraturus nullam se inuenire causam, ob quam mortis sententiam in eum ferat. Addit, quò eos ad hunc liberandum inducat, petens: *Regem vestrum crucifigam?* Verùm illi ex opposito occlamant & vociferantur. Frustra itaque præses obtestatur & coniurat, ne se ad tam manifestam iniquitatem committendam violenter & inuitum adigant.

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & supplex animos dimittere amori, Aene. 4.
Ne quid inexpertum hic intentatumque relinquat.

3. Oratio verò duras & inflexibiles has mentes emollire nequit: adeò vt suas lauans manus, *innocentem* se dicat à *sanguine iusti huius.* Anne manifestiùs digniusq; alicuius declarari innocentia potest, quàm eum *iustum* appellando? Benedictus ergo sit Saluator noster, qui tot suam innocentiam indicijs hac in causa voluit declarari: Vt hoc me pacto doceret, se, dum peccata mea in se assumit, suo sanguine mihi albam primariæ innocentiæ stolam reddere.

4. *Accepta aqua.* Hui! quàm multos Pilati sectatores hodie inuenire est, qui veræ pietatis medullam relinquunt, quò solum eius corticem & extimam speciem amplectantur! Inuenire quippe nonnullos est, qui si domò non compti calamistratique prodeant, contristantur, qui tamen de anima comenda ornandaue non nisi semel in anno solicit i sunt; & adhuc satis tenuiter & vixdum. Luc. 15.

5. Alios videas etiam, vt quandam inciuilitatis notam & piaculum religiosissimè fugere, mensæ illotis manibus accumbere, qui tamen pecuino more mensæ ne benedictionem præmittent, nec gratiarum actione eam claudent: addam hos etiam de conscientia expianda eluendaque, cùm sacras Eucharistiæ epulas ineunt, parum solicitos esse.

6. Alij tot supplicationes & peregrinationes adibunt, quot poterunt; sed de alienis rebus restituendis,

dis, de confeſsione inſtituenda, & communione adeunda nullus eſt ſermo. Toties, ah? vobis, iam dixi, nihil vobis bona opera profutura, ſi peccato letali inquinata ſit conſcientia: quoſnam enim putrida & corrupta radix flores aut fructus producere poterit?

7. Quos nullis melius comparem, quàm ijs, qui dū inter ſomniandum (vnde etiam vulgus indoctum *& vigilans ſtertit*) nuces enucleant, putamen ori ingerunt, & nucleum abijciunt: exteriori ſcilicet deuotionis cortici adhæreſcunt, interiorem verò, quæ in animæ puritate conſiſtit, & ſine qua omnia opera exteriora ad gloriam parum aut omninò nihil proſunt, relinquunt.

8. Alia religioni ſibi ducet die ſabbathi fila trahere, quæ tamen in ſua nihil agentia toto die detrahet, murmurabit, & obtrectabit. Alia in facie ſtibio, & fuco pingenda, & manibus odorata aqua abluendis perſtudioſa erit, quæ interim animam habebit inquinatiſsimam.

4. Alius à luſu reuertens, in quo Deum deteſtatus & execratus eſt, templum ingredietur, eum in multiloquio oraturus, & ibi reuerenter admodum aqua luſtrali ſe reſperget, ac ingentes ſibi efformabit cruces: qui mox eodem egreſſus, rurſus ebrietati, fornicationi, licentiæ laſciuiori ſeſe dat. Cui ſi de confeſſione peccatorum loquaris, eam ceu mucronem, quo omnes ſuæ reſecandæ ſint deliciæ, ſubire detrectabit, atque adeò fortaſſe ſibi perſuadebit, aquâ benedictâ letalia ſua ſcelera eluenda.

10. Quid Pilato hæc lotio profit, niſi vt hæc illum aliquando condemnet? ait S. Leo, qui *ijs innocentem lauijs condemnauit, quæ eius antè teſtabantur innocentiam.* (S. Leo ſer. 3. de Paſ.)

12. Doceat hæc aqua nos plorare ſuper corda noſtra, vt per *hyſſopi* huius ſalutaris *aſperſionem ea dealbemus.* (Pſal. 50.)

III. 1. Sceleſti hi vociferatores *ſanguinem iſtum* à Pilato no-

nominari audientes, sic sibi eum vnanimes imprecantur, *Sanguis eius super nos & super filios nostros*; fugerunt scilicet *benedictionem*, & ipsa *elongata est ab eis, dilexerunt maledictionem*, & *venit eis*, & eam *sicut vestimentum induerunt*, & *sicut oleum* per *ossa illorum* penetrauit. *Psal. 108.*

2. *En sanguis. Ioseph requiritur* in tetro illo sanguinis profluuio, quod in misera hac gente, quæ adinstar Cain fratricidæ errat *profuga super terram*, continua traduce perseuerat. *Gen. 42.* *Gen. 4.*

3. Quàm verò etiam sanguis hic à malis Christianis, à quibus negligetur, & qui eo per indignas communiones abusi fuerint, requiretur!

4. Insuper in hac sanguinaria postulatione notate, quàm sit vindictæ furia præceps & violenta: quæ, modò effreni appetitui satis faciat, secuturam non respicit pœnitentiam, non mala inde emanatura, non honoris iacturam & facultatum, non deniq; familiæ & generis occasum.

5. In hoc Iudæorum facto notanda quoque venit illorum nequitia, qui quò simpliciores ad peccandum pertrahant, illorum in se suscipere peccatum spondent: nec non malorum illorum confessariorum, qui suam ignorantes potestatem, vel eam malitiosè transgredientes, pœnitentiam ignorantium conscientiarũ onera in se transscribunt, qui cæcutientes, à cæcis hisce ductoribus duci se sinunt, vnde *ambo in foueam cadunt*. Denique noxiorum illorum hominum, qui vt animas timoratas & sanctas impediant, quò minùs ad monitoriarum fulminationes resipiscant, suos se in humeros illorum peccatum dicunt accipere. Verè quidem eo se onerant, alios tamen quibus imponunt, quique per id genus friuolas & malignas protestationes decipi ac circumueniri se sinunt, minimè exonerant. *Mat. 15.*

6. Sanguinaria hæc imprecatio etiam me meminisse facit, quàm *viri sanguinum* apud Deum sint *abominabiles. Viri sanguinum declinate à me.* *Ps. 5. & 138.*

Psal. 50. 7. Dicebat Dauid, *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Horum verò *pedes veloces* dici possunt *ad effundendum sanguinem*; & appellare cum Sapiente eos licet *necatores absque misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis. Effuderunt sanguinem* Agni *tamquam aquam in circuitu Ierusalem.* atque ideò ipse ait: *Sicut aqua effusus sum; & dispersa sunt omnia ossa mea.*

Psal. 13. Sap. 12. Psal. 78. Psal. 21.

8. Imprecatio hæc, quæ in posteros maledictionem transfundit, memoriam mihi refricat eius imprecationis, quam desperabunda & amans illa Regina apud Principem Poëtarum concipit

4. Aenê.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes.

9. Quæ imprecatio locum habuit in acribus illis bellis, quæ cum Carthaginensibus Romani post gessêre, nec non in iuramento illo execratorio, quod Hannibalem filium ad aram concipere Asdrubal iussit, quòd nullum vnquam cum Romanis fœdus vlla conditione esset initurus.

10. Ita quoque credendum, maledictionem illam, quam hactenus in Iudæis perseuerasse cernimus (qua à morte Redemptoris, vbicumque locorum agant, seruitute opprimuntur) ab hoc fonte, & propria ipsorum petitione originem trahere: cùm misericors Dei iustitia, prout in decalogo declarabatur, patrum peccata nonnisi in quartam vsq; generationem punire soleat.

Deut. 5.

11. Hinc discetis, patres & matres, à temeraria & præcipiti illa maledictione abstinere, quam ab imprudentia & iracundia, nũquam non filijs vestris maledicitis. Quàm, Deus bone, horrenda & tragica in historijs huiusce rei legere est exempla!

12. Mater quædam à filio febricante importuniùs potum rogata, poculum ei porrigens, Accipe, inquit, & diabolum imbibe. Dictum, factum: puer enim insolitis quibusdam à maligno spiritu modis ma-

Sur. in vita Zenonis Episcop.

gno

gno matris illius maledicentis dolore, cruciari cœpit.

13. Pater quidam filium dissolutum ac nepotiantem domo pellens, Apage, inquit perdite; vtinam domum denuo meam non ingredereris nisi mortuus! & ecce quinquaginta vix passus domo aberat, cùm ab inimicorum vno interficitur.

14. Filius quispiam cùm eò impietatis venisset, vt matrē in publico percuteret; ipsa indignata, Vtinam, inquit, hoc in patibulo (erat id in vicinia) suspenderis! Ecce is postridie cædis, quæ ea nocte ab alio patrata erat, accusatur: cuius etsi innocens, condemnatus est, & ex illa suspensus cruce, non quidem ob homicidium id, sed ob verberatam matrem; idque iusto Dei iudicio, & vt maledicti imprecatio locum haberet. Duo posteriora exempla deprompta sunt è duobus illustris nominis & sanctioris vitæ concionatoribus, qui suis ea concionibus non inseruissent, nisi de veritate rei certi forent. *Iuo Magistri & Vincentius à Villa noua.*

15. Cauete ergò, ne similia imprecemini filijs, ne in paria inconuenientia & casus incidatis. Scio, non deesse matres, quæ etsi mortem perditis filijs imprecantur, summopere tamen dolerent, si quid illis sinistri accideret: sed sæpenumero in verbo execratorio Deus hominem capit, & subinde tunc cùm nihil minus cogitat.

16. Dicamus verò nos cū Iudæis, sed sanctiori intētione: *Sāguis Iesu Christi sit super nos & super filios nostros*, non quidē *in iudicium & condēnationem*, vti Ecclesia in Canone sacro orat, sed ad *tutamentum carnis & corporis, & ad medelam percipiendam.* Quid porrò, Deus bone, sine sanguine hoc faceremus, qui supremum verumque redemptionis nostræ pretium est. Veni igitur, pulchrum lauacrum *Galaad*, & immunda conscientiarum nostrarum vellera in te ablue; eamus & *bibamus de fontibus viuis*, & *fontibus Saluatoris*. Est hoc diei huius Euangelium, *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* *Cant. 4. Isaiæ 22. Ioan. 7.*

1. Pilatus igitur victus cedit, & timoris factus mancipium, innocentem suum incarceratum *tradit voluntati eorum, vt crucifigeretur*. Hem! quàm extraordinariæ in re adeò extraordinaria sententiæ! quis vidit vnquam, reum, etsi bipedum nequissimus & morte dignissimus esset, iniquæ accusatorum suorum voluntati tradi? Homines voluntati se Dei submittere debent, vt *fiat voluntas eius sicut in cælo & in terra*; hîc verò Deus se hominum voluntati subijcit, non amicorum quidem, de quibus scriptum est, *voluntatem timentium se faciet*; sed suorum aduersariorum infensissimorum, & sanguinis eius sitientissimorum: Omnis hîc ratio, ne dicam, omnis æquitas subuertitur.

Mat 6.

Ps. 144.

3 Reg. 21. 2. Igitur hîc, innocens Naboth sanguinolentæ filiorum Belial voluntati traditur.

Psal. 58. 3. Ceruus hic illorum rabientium & furentium furori exponitur, qui famem *patiuntur vt canes*, sed famem caninam & insatiabilem.

4. Horum inimicorum in victoria hac de ruina sua exultantium insolentiam & violentiam videre vultis? respicite torrentem, qui suis perruptis aggeribus & repagulis latè circumquaque stagnans omnia diffringit & perrumpit:

2. Aene.

Non sic aggeribus ruptis cùm spumeus amnis
Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens cumulo camposque per omnes
Cùm stabulis armenta trahit.

Quàm indignis modis nefarij hi carnifices Redemptorem non habuerunt, cùm in sua iam eum potestate haberent?

5. Ne permittas, obsecro, Deus meus, vt propriæ cor meum voluntati vnquam tradam: nam peccatum omne nõ est aliud quàm propria voluntas, quã proinde *omnium leprarum pessimã* vocat S. Bern. cùm præter eam in inferno nihil ardeat. *Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit: quid enim odit & punit Deus præter eam?* 6. Re-

S. Bern. Ser. de resurrect.

6. Religioſus quidam ſanctus & ſenex, referente Caſsiano, morti iam proximus, & breue quoddam ad perfectionem tendendi præceptum à fratribus aſtantibus rogatus, *Nunquam*, inquit, *propriam ſequimini voluntatem.* *Lib. 5. c. 28 de Inſtit. cænob.*

7. Quemadmodum veri Catholici proprium eſt, nunquam ſuæ ipſius voluntati credere, ſed ſemper & in omnibus humiliter ſe Eccleſiæ fidei ſubijcere: ita etiam veri deuoti indicium & nota eſt, propriam nũquam facere voluntatem, ſed directoris ſui ſpiritualis: nam vt non dicam, maioris id eſſe meriti, longè id eſt ſecurius ac tutius, cùm quiſque in ſuo facto cæcutiat.

8. Sed, quid de dolenti illa dicemus matre, cũ pretioſum ſuum theſaurum ita ſibi eripi & omne bonum ſuum in ſacrilegis rapacium harum harpyiarum manibus verſari videret?

9. Cùm Pilatum ſuas abluentem manus cerneret, quomodo ſuum ipſa vultum lacrymis humectabat! cùm ſanguinem illius ſibi ſceleſtos imprecantes audiret, quomodo vniuerſus ei toto corpore ſanguis obriguit! quin imò quomodo eum lacrymis permiſtum oculis profudit!

10. Cùm cogitaret, olim ſe illum manibus Herodis eripuiſſe, & ætatis anno duodecimo in templo nefandorum horum inuidiæ ſubtraxiſſe; ſed, cùm iam tandem in ſanguineos ipſorum vngues incidiſſet, ſupremo hoc in conflictu eum ſubducere non poſſe cerneret; quo cor eius amaritudinis telo confoſſum fuit!

11. Sed cùm ex alia parte conſideraret, filium iam hominum ſe voluntati ſubieciſſe; ſtatim ad ſolitum reſignationis ſuæ aſylum, & ipſam Dei voluntatem confugiebat, etſi alioquin incredibili dolore opprimeretur,

Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?

Homilia hæc vos docebit, 1. mariti, vt numquam

 pias

pias & humiles piarum vxorum vestrarum monitiones negligatis, 2. interiora vestra aquâ pœnitētiæ abluere, 3. filijs vestris, ô patres & matres, non maledicere, 4. voluntati propriæ renuntiare, quò diuinam amplectamini. scriptum est enim, *Vita in voluntate eius*, & in hoc summus vitæ spiritualis apex consistit. DOMINVS IESVS sit in omnibus vobis.

Psal. 29.

FERIA III. POST DOMINIC. V. Quadragesimæ.

Baiulatio crucis.

HOMILIA XXX.

Mat. 27. Marc. 15.

ET *baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* Hic audietis, 1. chlamydis coccineæ exumentum, 2. crucem humeris Domini Iesu impositam, 3. Simonem Cyrenæum eis coactum in baiulanda cruce succollare, 4. debere nos nostram post ipsum crucem per pœnitentiam baiulare.

I. 1. Cùm toties Dominum Iesum sua veste spoliari video, fratres dilectissimi, toties eius discerpi & lacerari membra videre me existimo. Quàm, ô Deus bone, hi dolores sensibiles sunt! Videre & colligere id potestis ex obuio illo facilique experimento: quàm quippe molestum est, cùm per æstiuos calores indusium vel interula, sudore manante, dorso velut agglutinata adhæręscit? quid igitur, si proprio sanguine, quem acris disciplina ac flagellum elicuisset, conglutinata esset.

2. Ipſa tamen corporis denudatio tam ei eſt inſupportabilis, quàm dolor ipſe: eò quòd ignominia, flagellatio quædam ſit cordis, acrior & ſenſibilior, quàm vlla corporis diſciplina.

3. Videte igitur, vt iuſtus noſter Noë, amore ſuo ebrius ab maledicta hac Chami progenie, & petulante & impudente irrideatur. *Gen. 9.*

4.5.6.7. Noſter igitur Ioſeph hîc denudatur, quò Iſmaëlitis tradatur *genti adulteræ*. Patiens noſter Iob exponitur nudus ludibrio ſanniſque nebulonum. Dauid noſter ſeminudus & nudipes, ab Hieruſalem in deſertum Caluariæ abit. Secundus noſter Adam per probroſam hanc nuditatem infame primi Adami peccatum reparat & reſarcit. *Gen. 27. Matt. 12. Iob 1. 2 Reg. 15. Gen. 2.*

8. Veteres Virgines & Martyres, quorum in hiſtoria Eccleſiaſtica celebratur memoria, publicè denudatæ, quò flagris cæderentur, & ſupplicio afficerentur, multò nuditatem ducebant grauiùs, quàm mortale vllum ſupplicium. Quàm igitur tibi, ô Rex Virginum, qui ipſe candor, pudor & caſtitas es, durum eſt probroſè ſpectaculum proponi, & ludibrium & parabolam populi fieri!

9. In vitis Patrum de quodam legitur Eremita, quòd nunquam, ne quidem vt incommodis corporalibus mederetur, nudum ſe conſpexit.

10. Dicine igitur caſtæ poteſtis, vos, quæ quamuis ſexu adeò pudico & delicato ſitis, tam probroſè tamen & laſciuè carnem veſtram velut nundinantes proſtituitis, & tam impudicum ſchema, & tam indecoras nuditates præfertis?

11. Ex hac nuditate, quam in Redemptore Ieſu deploratis, diſcite, ſecundum facultates veſtras, pauperes, quos nudos videbitis, tegere. Si extrema quædam & laudabilis ſit charitas, inopes pudibundos, qui in ſpecie lauti, incommoda mille variaſque patiuntur ærumnas, iuuare: quantò maior erit illa; quæ dum pauperem honeſtè nudum teget, & eum in particulari obligabit, & decentiam publicam ſeruabit. *Iſaia 18.*

Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

12. Exemplum nostis misericordis Martini; vti & S.Catharinæ Senensis, quæ omnes propemodum vestes Redemptori Iesu, eas sub forma pauperis petenti, vltrò cessit; nec non aliud simile B.Elisabethæ filiæ Regis Hungarorum.

II. 1. Consideremus iam, quomodo Dominus suamet indutus vestiméta, quò meliùs à populo agnosceretur & exploderetur, graui crucis pondere extrema quadam in humanitate fuerit oneratus. Si suummet vix trahere exhaustus posset corpus, cogitate, quomodo tam enorme ferre posset onus. Videte, vt Isaac suis lignum, in quo immolandus erat, humeris gestet. *Gen. 21.* *Gen. 28.*

2. Non ampliùs tu, ô crux, es scala Iacob, supra quam Dominus incumbebat; cùm è contra tu Domini mei dorso iam incumbas.

Isaia 40. *Zach. 5.* 3. O robur debilitatum, vt me corrobores! quomodo tu qui vniuersam terræ molem *tribus appendis digitis*, sub crucis huius mole fatiscis? nã *talentũ plumbeum* peccatorum totius mundi, lignum hoc aggrauârat. Porrò peccatũ adeò ponderosum & graue est, suo vt pondere imum centrum petat. Ne cœli quidem pauimentum ipsum sustinere potuit, cùm id ab Angelis rebellibus & præuaricantibus admissum esset.

4. Immanitatem super hæc carnificum horum notate; nam quòd omnem erga Redemptorem Iesum humanitatem commiserationemque exuissent, cùm semper maleficis soleat, quàm fieri potest maximè, gladius aut patibulum abscondi, suam illi vice versa crucem ostentant, imò & humeris eius imponunt. Quod quàm rarissimè fiebat, ac nõnisi in nequissimis quibusque & maximè detestandis, qui hinc etiam *furciferi* dicebantur. Vnde Comicus ait: *Abi furcifer in malam crucem.* An non hinc videtis sponsum nostrum semper extrema consectari, tum doloris, tum infamiæ, & modum diligendi in eo esse sine modo?

5. Ne-

5. Neque verò illi erat, quòd infracta mentis esset generositate, vel quòd illi omnia præsentia essent, mors occultanda, nōnisi imbellibus & debilibus maleficis oculi velantur; & soli delicatuli oculos occludere solent rhabarbarum amarum bibituri.

6. Igitur grauem hanc molem humeris subit, in quo aui illi cœlesti, quam vulgò Paradisiacam vocant, similis est, suum in tergo nidum constituenti, suos in tergo paruulos excludenti. An non enim in cruce Ecclesiam, communem matrem nostram sibi desponsauit, & nos sibi in sanguine suo generauit? Hinc per *Deut. 33.*
Prophetam quendam ait: *Portabam eos in humeris meis*; lac nos velut Beniaminos in humeris suis requiescere facit.

7. Videte Phœnicem nostrum, ligno hoc onustum, quod sanguinis sui vnguine mox aromaticum reddet, in Caluariæ montem euolat, vt in eo amoris sui igne *Iob. 29.*
concremetur, quò deinde ad vitam immortalem resurgat: *In nidulo suo morietur, & sicut Phœnix multiplicabit dies.* *Ioan. 11.*

8. Videte *bonum Pastorem* nostrum, qui cum hac *Isaiæ 9.*
cruce omnes nos suis humeris gestat, & *clauem* hanc *Dauid*, ac clauem cœli assumit: *Et factus est Principatus super humerum eius.*

9. Prophetia hæc insignem nobis exprimit differentiam, quæ est inter sceptra regia & pedum pastorale. Sceptra enim gestantur manu; quæ ideò sunt leuiora, *Chrys. l.*
quòd eorum regimen nonnisi circa temporalia & *3. de sa-*
transitoria versetur, verùm cùm baculi Pastorales *cerdot.*
spiritualia, animas & ęternitatem moderentur, quàm ipsorum onus graue est! Angelicis sanè opus est humeris, ad ipsum sustinendum. Benedictus sit Dominus, qui tam vtile salutareque animarum pastoribus exemplum prælegit, vt omnes ouium sibi creditarum infirmitates in humeros assumant.

10. Hîc insuper notate, fratres dilectissimi, nullam hac crucis baiulatione formam dari

Salua-

Saluatori Christo gratiorem posse, aut in qua libentiùs considerari velit, quemadmodum sancto Petro declarauit, dum illi haud procul à Roma in loco (qui vulgò dicitur *Domine quò vadis*) apparens hoc schemate visus est.

11. Deinde etiam B. Ignatio, erga sanctum Petrum mirificè affecto, Romā abeunti, vt Societatis suæ confirmationem ab Apostolica sede obtineret, in eadem se forma spectandum dedit.

12. Religiosus quidam Eremita cùm instanter à Domino petijsset, sibi vt reuelare dignaretur, quęnam contemplationis materia illi gratissima foret, ea se Iesus per visum illi obtulit in forma, qua fuit cùm cruce humeris imposita Caluariam peteret.

III. 1. Sæpè igitur hoc eius onus mente voluamus, fratres, eumque sub illo fatiscentem consolari satagamus, *quiescentes agere peruersè*, membrisque illius contusis & debilitatis, (pauperibus inquam) multò succurramus promptiùs & gratantiùs, quàm Simon Cyrenæus Redemptori prolabenti. Videntes namque lictores eum toties sub onere fatiscere, vt vererentur ne in via deficeret, itaque quam conceperant rabiem plenè exsaturare impedirentur, *angariauerunt* (vt Euangelistæ loquuntur) virum hunc bonum (qui in via fortè fortuna occurrebat) vt huic ponderi succollaret partemque eius in se transferret. O beatam hanc felicemque Simoni coactionem! Nam ex ligni huius sacri, & per sanguinem Dominicum consecrati contactu, non Christianus modò, sed & illustris Episcopus & celebris Martyr factus est.

2. Respicite fossores illos castrenses; qui cùm initio ad valla erigenda cogi soleant, posteà tamen ad bella edocti, & laboribus, verberibus, & periculis assuefacti, egregij & audaces fiunt milites.

3. Pares hi sunt Religiosis & Monialibus; qui cùm initio interdum maledicta parentum coactione claustralem vitam profiteri compelluntur, posteà cognito,

Deum

Deum hanc eorum per vitam adeò sanctam, suauem & desiderabilem cõducendorum rationem permisisse, affectu suo renouato illud posteà voluntariè obsequium præstant; quod in principio coactum & inuitum erat.

4. Quoties infamis & magnus aliquis peccator Religionis habitum assumit, dicunt vulgò homines, eum è desperatione indignabunda id fecisse. Sed ô beatam indignationem & verè optabilem! Morbus quippe & furor hic quamprimùm euanescit. Nam cùm deinde aureis & sericis sanctæ Religionis funiculis se deuinctos comperiunt, familiares & faciles illis asteritates eius fiunt, quas mũdus adeò molestas & difficiles credit. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*, dicere potest delicatus mundanus, quem sanctus quidam feruor in austeriorem Religionem compulit. Iob. 6.

5. Longè aliter hìc se res habet quàm in contractionibus & stipulationibus ciuilibus, hæ enim initio libero assensu ineuntur, sed posteà de necessitate sunt. Simon enim è coacto crucis Dominicæ baiulatore, eiusdem posteà & prædicator, & testis corpore, corde & voluntate effectus. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Psal. 76.

6. Sic etiam in ijs hæreticis aliquando vsu venit, qui (quod à veræ Religionis semita deuiârint) suam rationibus quibusdam paulò durioribus & rigidioribus, peruicaciam deponere & doctrinæ veritatis assentiri compelluntur. Qui vbi ab errore se iam liberos esse comperiunt, immensas ijs agunt gratias, qui sanctam hanc erga ipsos serenitatem exercuerunt. Vti & mente capti, si quando per duram aliorum correptionem sanæ menti redduntur, piam illam crudelitatem in se exercitam benignè accipiunt.

7. Nihil debet esse, fateor, fide liberum aut voluntarium magis, ac nemo quid cogendus credere inuitus. Huius primùm opinionis fuit magnus Augustinus,

nus, sub initium conuersionis suæ; verùm, cùm tandem longo vsu posteà didicisset Manichæos nonnisi è mera peccare contumacia. Vt qui vinci possent, persuaderi non possent, præsentiam mutauit, vti in posterioribus eiusdem scriptis videre licet.

8. In hac Simonis compulsione etiam notabam, veteres illos Patres ei quadamtenus pares fuisse, etsi in intentione planè dispares, cùm Prælaturas & Episcopatus fugerent, qui modò tanto quæruntur ambitu, tanta contentione. Hos illi ceu pœnibiles quasdam & laboriosas cruces intuebantur; nostrates verò hodie vt dignitates, opibus & honoribus circumseptas. Sanctus Ambrosius modo quodam extraordinario in Episcopum Mediolanensem electus, in silua vrbi vicina sese occultando delituit; quo loco constructa Ecclesia, hodie etiamnum superstes, *S. Ambrosij ad nemus dicitur.*

9. Gregorius Magnus, in Pontificem assumptus, in monasterijs varijs se abscondit, quò dignitatem hanc tam onerosam quàm honorabilem effugeret.

10.11. An non S. Anthelmus, carissimi Bellicenses, dum sanctæ & sacræ electiones essent violenter è Carthusia Portensi extractus fuit, quò pedum vestrum, (quod ego indignus post eum gesto) acceptaret? Boni

Heb 5 Num. 7. hi Præsules *vocabantur tanquam Aaron*, vnde etiam virga eorum florida erat, id est gubernatio & regimen dulcedinem & benedictionem spirabat.

12. Erant Hercules quidam, qui Atlanti nostro in cruce & cœli (Ecclesiæ inquam) pondere & axe ferendo auxiliariam operam afferebant.

13. Denique coactione compulsi collum suum laborioso huic iugo subijciebāt, spe cōcepta Christū in partem oneris venturum, si non in totum. Quicumque ergo alia has functiones intentione suscipit, quàm vt seriò & studiosè in vinea Domini laboret, vbi iam ad mortis venerit horam, longè se à scopo suo abesse comperiet. An non etiam, post extremum no-

strum

ſtrum conatum, & operam diligentiſsimam, *ſerui inutiles ſumus?* Luc.17.

IV.

1. Beati verò illi, fratres dilectiſsimi, qui ſuam poſt Dominum crucem geſtant. In hoc quippe omnis rei cardo vertitur. Omnes quidem crucem ſuam baiulant, hic vno modo, ille alio; ſceleſti eam ponderoſiorem & grauiorem ſentiunt, quàm iuſti: ipſi etiam Diaboli ſuam crucem & cruciatus tartareos ſemper circumgeſtant; ſed non poſt Dominum. Illi ſoli eius athletæ & milites ſunt, qui *tollunt crucem ſuam*, eumque ſequentes, illam propter ipſum portant.

2. Crux ſine crucifixo res dura & permoleſta eſt; malum inquam, omnis conſolationis expers; ſimul tamen etiam vnctio eſt, (qualis illa, qua cruces in Eccleſiarum conſecratione vngi ſolent) quæque corda noſtra Deo dicat, *templa Spiritus ſancti* eadem conſtituendo, quam Eccleſia proinde *ſpiritualem vnctionem* vocat. 1. Cor. 6.

3. Porrò hæc crucis baiulatio in eo conſiſtit, vt mala nobis Deo permittente ſuperuenientia patienter feramus; atque hoc proprium electorum Tau eſt. Ezech.9.

4. Vel per mortificationem: *Mortificationem Chriſti in corpore circumferentes.* Eſt hæc quidem naturæ noſtræ contraria, ſed ideò talem ſibi homo violentiam inferat oportet, qualis bono huic Simoni facta ſunt. 2.Cor.4.

5. Ea eſt duplex; cùm interior, tum exterior, quod nobis in duobus crucis lignis adumbratur.

6. Sed optima & potiſsima crucis baiulandæ ratio eſt, ſeriò & ex animo pœnitentiam amplecti, omnes ad imitationem Saluatoris denudati erga peccatum affectus exuendo, & ſplendidas veſtes ad exemplum Heraclii Imperatoris, imperialem trabeam deponentis, vt crucem Domini humeris è monte Caluariæ vſque in ciuitatem Ieruſalem portaret, contemnendo. Veteres pœnitentiæ notæ ſunt, ſaccus & cinis, quibus Niniuitæ, & alij plurimi Dei iram placârunt. Iona 3.

7. Tribus clauis Redemptor Chriſtus cruci confixus fuit, ſic nos tribus pœnitentiæ partibus poſſumus *cruci Chriſto configi.* Gal 2

8. Quan-

8. Quanta nostra futura est gloria & gaudium, si
Gen. 44. ceu noui Beniamini, dilecti nostri Iosephi scyphum
Ephes 3. in saccum nostrum indamus, & pœnarum eius participes fiamus?

9. Vbinam eratis Apostoli, vt miserum Dominum vestrum, sub hoc fasce agonizantem, & *torcular hoc*
Isaiæ 63. *calcantem*, vel potiùs in eo calcatum *solum* consolaremini?

10. O si Virgini matri id licuisset, quàm suis ipsa libenter graue hoc lignum humeris tulisset, ac filium hunc dilectum brachijs constrinxisset, quem tantopere ijsdem olim fouerat!

11. Quàm interim, dum filij tui corpus, Virgo purissima, sub hoc fasce anhelat, cor tuum pariter hoc pondere conteritur! Quàm verò dolor tuus afflicto cordi eius nouum dolorem superaddit!

Iob 2. 12. Vxor Iobum adeò non in suis ærumnis consolabatur, vt nouis eum etiam affligeret, ita Redemptor Iesus exteriùs in corpore à carnificibus torquebatur, interiùs autem in corde, dum afflictæ dolentisque matris suæ tristitiam conspicaretur.

Quæ mœrebat & dolebat,
Et gemebat cùm videbat
Nati pœnas inclyti.

Hæc vos homilia doceat 1. pauperum nuditati compati, 2. opprimenti Redemptoris ponderi condolere, 3. eum imitatione consolari, 4. mortificationem & pœnitentiam sectari.

FERIA

FERIA IV. POST DOMINIC. V. Quadragesimæ.

Redemptor in Caluariæ montem pergit.

HOMILIA XXXI.

D*Vcebantur & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.* Loquemur 1. de funesto hoc comitatu & processione, 2. de mulierum lacrymantium occursu, 3. quomodo eas Dominus sit allocutus, quidue ijs prædixerit, 4. quomodo in montem Caluariæ cùm peruenisset, vino, myrrha, & felle mixto fuerit potatus. *Luc. 23.*

1. Quàm Deus bone, lamentabiles hæ sunt exequiæ! quàm feralis processio! cuius vexillum mortifero Tamberlanis signo simile, totum sanguine rubescit, cruciger autem ipse mundi Saluator est. I.

2. Procedit autem ad locum, in quo passurus est supplicium; quin imò ad aram, in qua se in holocaustum cruentum immolaturus, & quoddam sui sacrificium pro peccatorum nostrorum expiatione instituturus est: neque enim aliter ea quàm *sanguinis effusione* poterant deleri. Sed quo in schemate? ante id iam vobis depinxi. Sed hic est ordo: procedit circumcinctus tortoribus, & in duorũ latronum & sicariorum medio Itane, ô Rex gloriæ, honorem tuum, ob meam salutem prodigis, honorem inquam, qui facultatibus, imò & vita ipsa sit potior ac pretiosior? Quotidie tamen videmus, cæcos nobiles, duellorum furore actos, diuina & humana decreta ac iura vmbratici honoris apiculis & puncto postponere: puncto inquam, quod non modò indiuisibile est, verùm etiam inuisibile, puncto denique, quod in tartara eos dum in statu hoc excommunicationis exspirant, abripit. *Et in puncto ad inferna descendunt.* *Hebr. 9.* *Iob. 21.*

3. Nunquamne vanam & friuolam hanc reputatiōnem mundanam sanctè contemnere addiscemus, vt quam bonis, corpore & anima denique ipsâ antiquiorem ducimus? cùm tamen scriptum sit; *cuncta quæ habet homo, dabit pro anima mea.* Deinde, an non certum est, & vnum è Religionis nostræ principijs, nonnisi per dolores ad dulcorem, per austeritates ad delicias, ad beatam æternitatem, per mundi cōtemptum & infamiam tēporalem ad gloriā æternam, viam patere?

Cant 8.

4. Duę autem egregiæ sunt rationes, cur inter duos latrones & homicidas ad supplicium duci Dominus voluerit. Prima, quod pro peccatoribus passum iret: Porrò omnis peccator, fur est; Dei gloriam eripiens; & animæ suæ homicida: *Os quod mentitur occidit animam.* Secunda, quòd & ipse, bonus esset latro & homicida. Quotnam ille corda furatus est! an non idcircò mulieres plorant, quòd affectus is earum surripuisset? & lacrymæ illæ, ab oculis earum manantes, an non euidens quoddam argumentum sunt, amoris telo à Domino corda earum transfossa fuisse? Lacrymæ enim purissimus quidam sanguis sunt; è plagis amoris promanans.

Sap. 1.

Thess. 5. Matt. 25. Isaiæ 8.

5. Quòd fur sit, testatur Scriptura: *Dominus sicut fur in nocte veniet*; in nuptijs Agni, *ecce sponsus venit*, de nocte; dum virgines fatuas dormitantes sine lampadibus ardentibus inopinatò oppresit. Et: *Nomen eius est, Accelera spolia detrahere; festina prædari. Beniamini lupus rapax, manè rapiet prædam, ad prædam fili mi ascendisti.*

Gen. 49.

Ibid. Matt 10. 1. Reg. 2.

6. Quòd homicida & interfector sit; hinc patet: *Non veni pacem mittere; sed gladium. Cùm occideret Dominus eos, conuertebantur. Dominus mortificat & viuificat.*

Isaiæ 33.

7. Ex hac Domini processione illustre hoc documentum elicite, fratres; scilicet, pudori nobis non ducamus cum insanissimis quibusque peccatoribus & peccatricibus agere, modò à *via* & vita sua *mala conuersi* sint. Cùm enim delictorū ipsorum Deus memoriam

riam deposuerit, cur ipsi eisdem offendamur? Si ipsum cacodæmonem peccata illorum condonata latent; cur nos eorum non obliuiscamur; nisi diabolis esse peiores velimus?

8. Equi lupinis faucibus extracti, generosiores alijs pòst esse feruntur; & milites, qui semel fugerunt, pudore suffusi, in secundo sunt conflictu generosiores, vt fructus abauibus prælibati vt plurimùm meliores sunt & maturiores, sic maximi quique peccatores, postquam iam conuersi sunt, & de commissis doluêre, sunt in se mortificando asperiores.

9. Beata Mater nostra Teresa singularem se dicebat ritus dulcedinem capere è lectione vitarum Sanctorum, qui ante conuersionem insignes fuerant peccatores, vti S. Augustini, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Aegyptiæ, Pelagiæ, S. Cypriani, & Pauli, alorumq; plurimorum, quòd eximia Dei in ipsos misericordia reluceret. Memineritis, plures cœlo donatos esse publicanos, quàm Pharisæos.

10. Vt apes fugiunt cadauera, sic peccatorum scandalosorum, fateor, & iniquitate sua obstinatè putrescentium euitanda conuersatio est. At si semel seriò resipiscant, ijs præ cæteris auxiliaris porrigenda manus est, *omnibus* oportet *fiamus omnia*; *vt omnes* Domino *lucrifaciamus*: *oculus simus cæco, pes claudo*; cum *infirmis infirmemur*; *& zelo vramur cū scandalizatis*. 1. Cor. 9. Iob 29. 2. Cor. 11.

11. Redemptor noster publicanorum & Magdalenarum conuersationem non abiecit: nonaginta quoque nouem iustos deserit, quò aberrantem peccatorem quærat, & ad caulas reducat. Ita ægrorum spiritualium nos capiat compassio, vti corporalibus morbis afflicto compati solemus; & ipsi vt conualescant, sedulò incumbamus. Luc. 5. Matt. 21. Luc. 7. Luc. 15.

12. Ex hoc etiam Domini comitatu discite Ecclesiastici, quàm sit meritoriū, maleficos morti adiudicatos ad supplicium comitari, illisque obstetricis quodammodo officium impendere, vt vobis obstetricantibus animam suam pariat Deo, *parturiendo spiritum*

salutis.Neque est,quòd religioni nobis ducamus, aut probro,inter iustitiæ executores componere. Videte enim, vt Redemptor noster à sexcentis sexaginta sex lictoribus se vinciri tractarique patiatur.

II. 1. Ita dum deducitur,& iam vrbe egressus esset turba sequentium sese rarificante ac minuente piam mulierum ac virginum Ierosolymitanarum turbam conspicit,quæ dulcissimam eius matrem comitantes, quemdam super Agnum hunc,qui ad lanienam abripitur,lamentantium chorum simul constituunt. *Contemplamini*,ait lamentans Ieremias,*& vocate lamentatrices,festinent* & *adducant super nos lamentum;deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis, quia vox lamentationis audita est in Sion.* Hic scilicet verè *audita est vox in Rama, ploratus atque vlulatus multus, Rachel plorans filium suum*. O cantum lugubrem, ac tam feralibus dignum exequijs!

Ierem. 9.

Ierem. 31.

Quis posset non contristari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum filio?
Eia mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, vt tecum lugeam.

Matris huius lacrymæ nullis exprimi queunt verbis, vti nec Marthæ,Mariarum,& S.Ioannis.

2. Quis porrò tuas exprimat, amans Magdalena? Huius occasione insignem quandam afferam historiam.Monialis quædam pia ad pedes Domini in cruce fixi lacrymans,ab Angelo suo custode petijt,num lacrymæ suæ Deo forent gratæ? Sunt, infert Angelus, & longè gratiores quàm primæ lacrymæ Magdalenę; quòd illæ ob peccata fuerint effusæ; sed hæ tuæ è puro promanent amore.Benè quidem,Angele,de primis censes;sed secundæ eius lacrymæ aliæ, credo, non sunt,quàm hæ, quas ideò profundit, quòd tot tamque grauia pati videat eum, quem anima eius & amat & adorat! O diuinas & eximias lacrymas, quæ quasi quod-

Discip. in Prompt. Exempl.

quoddã sunt oleum, quo diuini amoris lãpas collucet!
3. Sancti propemodum omnes, in amore & morte Redemptoris Iesu deploranda excelluerunt. Sic S. Franciscum offendit F. Leo super hoc mysterio gementem & plangentem.
4. Prima, quã spiritualis huius soror Clara nouitijs suis prælegebat, lectio erat, illis Iesum sponsum cruentatum, & sanguine vndeundique perfusum ostendere, hocque deplorabili eas spectaculo ad lacrymas prouocare: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*, vt amarè fleam? *fleamus* igitur *cum flentibus*. Ierem. 9. Rom. 12.
5. Interim dum piæ hæ matronæ madent lacrymis, & torrens Cedron illarum fletibus intumescit, feruidus vnam amor, stimulos & animos subdens (*quid non audet amor? quid non speretis amantes?*) incitat, vt super deturpatam dulcissimi nostri Iesu faciem velum, lacrymis suis imbutum & humectatum extenderet, & ecce, singulari quodam miraculo, sacer Domini vultus ei mansit impressus, qui Romæ etiamnum quotannis spectandus proponitur.
6. Vtinam cor meum candidum quoddam linteum sit, lacrymarum mearum aquis madescens, cui diuina hæc imago insculpatur! Veni cara pœnitentia, & hoc lacrymarum compone lixiuium. Veni sancte Amor, & hanc in eo figuram depinge. Si tu, ô cor meum è chalybe sis vel glacie, quam ob rem diuina imago hæc in te non repræsentatur?
7. Quin es *tanquam cera liquescens*, ad sanctas faciei huius beatæ ac diuinæ impressiones recipiendas? Psal. 21.
spinæ, fateor, capitis eius pungunt, sed videte, vt sanguis eius suauiter vngat.
8. Sculptor cùm imaginem scalpello æri iam insculpsit, ei chartam madidam superimponit, imprimit, & quoddam eiusdem exemplar excidit. Et miramini, si è *fronte* hac *adamantina*, & ob constantiam ærea, quæ per flagra incisa & sculpta est, Veronica linteum lacrymis madescens ei superinijciente, natiuum eius exemplar prodeat? Isaiæ 48. Ezech. 3.
 8. Vos,

8. Vos, ô lacrymæ, pulchri isti estis fontes, in quorum se splendore & nitore Narcissus noster speculatur & miratur.

III. 1. Iam satis superque deformatum eius considerauimus vultum? iam eius vocem inaudiamus. Flentes ergò piasque matronas sic compellat: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super*, &c. Verè, eheu! plurimi in tristibus his plangunt effectibus, qui tamen ob eorum causam, id est, peccata, ne vnam effunderent lacrymulam super innocentem plorât omnes, nemo super reum.

2. Super corpora animâ destituta ploratur, non super animas gratia, (quæ earum est vita spiritualis) carentes Maleficum ad supplicia tractum omnes lacrymis prosequnntur, blasphemare quis auditur, & nemo vel semel commouetur: ille tamen nonnisi corporalem mortem passurus abit, quam fortasse mox æterna & beata sequetur vita, hic verò animam necat, & nisi pòst resipiscat, illi mortésempiternam infert.

3. Alexander Pheræorum tyrannus Hecubæ casum & luctum à à tragœdis in theatro exhiberi cernens, illa lacrymasse dicitur, cùm tamen sanguinarios oculos miserorum sanguine pascens, coram se torqueri innoxios cerneret, saxi instar immobilis erat. Corde scilicet durus, oculis lenis & mollis; illis nimirum rupibus similis, quæ tametsi duræ, fontes tamen liquidos emittunt. Non semper commiserantis & pij animi indicium est, in lacrymas prorumpere. Damnati plorât apud inferos, in malo tamẽ obdurati sunt. Sũt qui mollibus lacrymulis natât dũ tragicas historias inaudiunt narrari, nullo tamen ad pœnitentiã sensu mouetur. Hoc scilicet suam plorare pasfionẽ est, non peccata. Malim eos ad confessarij pedes lacrymantes videre, quàm sub hac cathedra mea cõcionatoria. *Nolite itaque flere super Christum, sed flete super vos*, atque inprimis super maledictum illud cordium vestrorum genimen, peccatum inquam, viperam scilicet, quę necat eum e quo nascitur.

4. *Veni-*

4. *Venient dies,in quibus dicent: Beatæ steriles*, &c: Prædictio hæc verè locum habuit in obsidio Hierosolymorum sub Imp. Tito,in quo tot matres,immites Medeæ factæ proprios vorârunt filios, in sua reingerentes viscera eos, quos antè paulò ijsdem enixæ erant,vt benè de veteribus Patribus nonnemo ait.

5. Qui verò verba hæc spiritualiter intelligunt, volunt per eadem à Redemptore Iesu virginitatem & sacrum cœlibatum deprædicari,quasi minus *impedimentum* in Dei seruitio afferentes, cùm proprium sit virginum, toto vitæ tempore, adinstar viduarum, cœlestis sponsi sui mortem lugere, *exspectantes beatam spem* eius diei, qua animam emittent, quæ ijs futura dies nuptialis. O beati *Eunuchi*, qui vos *propter regnum cœlorum castrastis*! vos 1. Cor. 7. Tit. 2. Matt. 19.

Ad cœnam agni prouidi
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri
Christo canetis Principi.

6. Sed minimè vobis displicebit, amantissimi fratres mei,si nostros ipsi planctus & lamenta cum querulis piarum harum matronarum quiritationibus coniungamus,quæ 2. Aen.

———atra ceu tempestate columbæ
Condensæ

lugubria in Saluatoris doloribus edunt lamenta, & sonos ferales. An nō cum eodē Poëta dicere possemus? Ibid.

Venit summa dies & ineluctabile tempus,
Dardanidæ,fuimus Troes,fuit Ilium.

7. Quàm,ô lacrymę in conspectu Dei pretiosę estis, cùm ea spōsus noster medijs etiā in cruciatibus constitutus tàm studiosè & benignè colligat, quoddam velut cataplasma & vnguen, vulneribus suis applicandum,ex ijs componens! Quàm & vox vestra sonora est & potens, cùm tigridum harum furentium clamoribus & vlulatibus præualeat! *Dominus audit vocem fletus,& auribus percipit lacrymas nostras.* Psal. 38.

1. Vt primùm ad Caluariæ montem Dominus peruenit, IV.

uenit, ad corpus eius languidum refocillandum, & vires exhaustas nonnihil recreandas, quandam ei lictores potionem, diabolico haud dubiè commento
Gen. 2. temperatam, propinârunt, vinum inquam myrrha & felle mistum, ita nimirum Adami fuit esus & voracitas reparata.

2. Tunc scilicet, mi sponse, dicere poteras: *Messui*
Cant. 5. *myrrham cum animalibus meis, bibi vinum cum lacte:* habebas quippe vicina tibi suauia carissimæ matris
Cant. 1. tuæ *vbera meliora vino.*

3. Dicitur vinum myrhinum & absynthio mistum purgare. In hac ergo post scelerum meorum purgationem hauris, benignissime medice, qui infirmorum tuorum etiam infirmitates in te assumis, & quibus sanitatem recuperent, catapolia obbibis Ad diuinum hunc archiatrum propera anima mea, *qui propitiatur*
Psal. 102. *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.*

4. Docet hęc vos mixtura, fratres, eleemosynam inuito animo non dare: qui enim eam inuitus & auerso animo dat, vinum & fel simul Domino porrigit. Sed gratanter & hilariter vestra elargimini.

5. Hinc discite insuper, non ita respicere aut anxiè curare quid comedatis aut bibatis. Vix alius tamen iam inter mundanos auditur frequentiùs, quàm de
Phil 3. cibo potuque sermo: adeò vt Ceres adhuc & Bacchus coli & adorari à Christianis, aut *venter* in *Deum* haberi videatur. De vinorum varietatibus, de ciborum lautitia iam propè in omnibus conuentibus agitur: quod mentium pecuinarum & vilium ventris manciporum proprium est.

7. S. Bernardus loco vini oleum bibit, adeò quid biberet, non aduertens.

7. Et Cæsar ad cœnam inuitatus, acetum loco vini porrectum, tacens bibit, ne hospitem suum contristaret.

Cic Tus 8. Et Artaxerxes cùm in ardentissima siti aquã cœnosã bibisset, nihil se vnquã bibisse asseruit sapidius.

9. E con-

9. E contra alij, ad instar Dauidis, aliam bibere aquam nolunt, quàm è cisterna Bethleem allata sit, id est qui cibos exquisitos & raros, quos non tam edere, vt viuant, quàm viuere vt edant, censeas.

10. *Et cùm gustasset, noluit bibere.* Nobis scilicet reliquum ebibendum reliquit. ideò dicebat: *Potestis* Marc 10.
bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et Dauid: *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto: verum-* Psal. 74.
tamen fax eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

11. Sancti omnes, quotquot fuerunt, ex hoc calice biberunt, alius hoc, alius illo modo, *sicut socij passio-* 2. Cor. 1.
num, sic & consolationis. Atque hinc est quòd Pau- Coloss. 1.
lus diceret, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi,* meritum scilicet earundem sibi applicans, & è residuo calicis partem suam obbibens.

12. Calicis inquam, è quo bibunt Martyres constanti fortitudine, Confessores patientiâ, virgines castitate, electi deniq; omnes *tribulationibus*, per quas Act. 14.
in regnum cœlorum intrant.

13. Eia igitur calicem hunc in manus accipiamus, &, si illicijs suis nos impedire velit mundus, dicamus: *Vade post me Satana, Calicem quem dat mihi* sponsus Mat. 4.
meus, *non vis vt bibam illum?* Ioan. 18.

Docebit vos hæc homilia, 1. honorem mundanum propter nomen Dei proculcare, 2. Iesu Christo crucem baiulanti per bona pro ipso patiendi desideria occurrere, 3. super vos ipsos flere, & propter peccata vestra, 4. *viuere sobriè, iustè in hoc sæculo.* Phil. 3.

Ite in protectione
Dei.

FERIA V. POST DOMIN. V. *Quadragesimæ.*

Crucifixio.

HOMILIA XXXII.

Luc. 23. Mat. 27. ET *venerunt in Golgotha locum, & ibi crucifixerunt eum.* Examinabimus hic 1. montem Caluariæ, 2. Redemptoris Iesu denudationem, 3. illius affixionem, 4. crucis sublationem.

I. Cant. 2. 1. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, ait sponsa de dilecto suo loquens; hodie quippe è monte Sion venit in montem Caluariæ, & è pacifica Hierosolymæ dulcedine, ad hunc montem dolorum.

2. Mons, fratres, semper fuit perfectionum symbolum, quod ne ipsos quidem Poëtas veteres latuit, qui suis in præcipiti monte Parnasso Musis sedem dederunt, in quo aquam illam finxerunt Aganippidem, qua mentes versificatorum imbui & fecundari asserebant. Multo hoc verius de perfectione Christiana dici posset, cùm sua hæc *fundamenta in montibus sanctis* (Psal. 86.) habeat. quàm enim eius accessus difficilis! testis sit adolescens ille (Mat. 10.), qui ideò contristabatur quòd huc non posset pertingere. sed habet hæc etiam suo in vertice *fontem aquæ vitæ, salientem in vitam æternam* (Ioan. 4.) & immortalitatem, quæque sola appetitus nostros & sitim restinguere, nosque à torpido deliciarum terrestrium vino abstemios reddere potest.

3. Non sine ratione igitur, Redemptor, vt doceret, suum erga nos amorem in summo gradu perfectissimum esse, (vitam scilicet & *animam suam dando*) (Eccl 29.) in monte mori voluit.

Cant. 4. 4. Tibi iam dicere, anima mea, potest, *Veni ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Heu myrrhatum

tum eius potum audiſtis, & horum dierum aliquo o-
rationum eius thus audietis, cùm ad Patrem clama-
bit, *Pater ignoſce illis: Pater, in manus tuas*, &c. Si eum
ad vſque montem Caluariæ ſequi vultis, amplectenda
vobis mortificatio eſt & oratio ; quæ duo membra
neceſſariò coniungenda.
5. Hic igitur *mons* eſt, *in quo beneplacitum eſt* DEO *Pſal. 67.*
noſtro ſupremam ſuam figere habitationem, inque eo- *Iſaiæ 2.*
tentoriam & *tabernaculum* ſuum extendere, velut in *Mich. 4.*
omnium *montium vertice*. *Pſal. 96.*
6. Olim, eheu! tempore legis rigorem præferentis,
montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: in lege ve-
rò gratiæ *Dominus ſicut cera fluit à facie montium*. An
non enim videtis, vt, in montem hunc proſerpendo,
aqua & ſanguine madeſcens diffluat.
7. *Montes Gelboë nec ros, nec pluuia cadant ſuper* *2. Reg. 1.*
vos quia in vobis ceciderunt fortes Iſrael: Ita Dauid
Saulis & amiciſsimi ſui Ionathæ mortem deplorauit.
Id quidē libenter de monte hoc Caluariæ diceremus:
& cùm eum pretioſo ſangnine Saluatoris ceu pluuia
irroratum videmus, vt profanum & execrabile habe-
re non audemus, quod per oleum hoc ſanguineum tam
pretioſè fuit conſecratum.
8. Olim mons Oreb, quod rubum haberet arden- *Exod. 3.*
tem, dictus eſt *locus ſanctus*: Videtiſne in hoc monte
noſtro rubum ſpinoſum, ſanguine plenum, præ amore
ardentem.
9. Lex ſeuera in Sinai lata fuit cum igne & coruſ- *Exod. 19.*
cationibus : & lex gratiæ in Caluariæ monte datur
cum flammis amoris.
10. Vnde verò fieri dicam, benigniſsime Ieſu, quod
in monte Thabor, cùm gloriæ tuæ ſpecimen oſtēderes, *Mat. 17.*
hæc audita de nube vox fuerit, quæ Dei te filium eſſe
declararet, cùm ſatis id facies tua luminoſa, veſti-
menta niuis inſtar candentia, Moyſis & Eliæ col-
loquium declararent ? cur hanc de nube vo-
cem non reſeruabas, vt per eam modò in mon-
te Caluariæ tot homines qui in humanitate
defor-

deformata diuinitatem tuam blaſphemant, confutares? Hinc diſco, frater cariſsime, cùm te in conuitijs feſtiuis, proſperitatibus, terrenis affluere honoribus video, ſingulari quadam reuelatione opus eſſe, vt credam eſſe te de filiorum Dei numero: at, cùm te illuſum, dilaniatum, perſecutione exagitatum cerno, tum demum intelligere me incipere, te, cùm *acceptus ſis*
Tob. 11. *Deo*, hac *tentatione probari*. Hîc, Petre, tibi tria cõſtruenda erant tabernacula, non in Tabor. Patere me, obſecro, ſponſe mi, in hac vita in monte Caluariæ te complecti, vt in altera diuinam tuam pulchritudinem facie ad faciem videre merear.

11. Vnde porrò nomen ſuum traxit *Caluaria*? an nõ à *caluitis*? erat ſcilicet locus, in quo crines, caluariæ, capita & oſſa maleficorum ſupplicio affectorũ ſparſa fœtebant: verbo vt dicam, verè ſcalæ Gemoniæ. Permittiſne, Deus meus, vt tenellus hic Agnus, cu-
Ioan. 6. ius *caro cibus* eſt æternus, & ferculum quoddam Angelicum, in locum cadaueribus fætentibus deſtinatum trahatur?

12. Per Deum, vos obſecro, fratres, vt conſcientias veſtras ita ſeriò emundare ſatagatis, vt, dum ſanctam communionem aditis, Dominum in montem Caluariæ non trahatis, conſcientia & interioribus veſtris peruerſis, fœtentiùs cloaca ſordidatis. Vt enim deliciæ eius ſunt cum animabus mundis conuerſari, vt ipſe ſit illis, & ipſæ viciſsim illi: ſic ingens illi crux,
Cant. 2. & velut noua *crucifixio* eſt, ab animabus illis im-
2. Theſ. 3. puris, peccata ſua in confeſsione malitioſè tacentibus, & *panem* hunc *viuum*, vt æternæ mortis arrham, re-
Ioan. 6. cipientibus ſumi.

12. Tradunt nonnulli in monte hoc Caluariæ, primum parentem noſtrum Adamum ſepultum fuiſſe, eiuſque caput ſub crucis pede, dum terra effoditur, repertum, *vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.*

Gen. 22 14. Alij verò perhibent, in hoc eodem monte ABRAHAMVM filium ſuum Iſaac, qui vera

ſacri-

sacrificij Dominici figura fuit immolare statuisse.

15. Denique nonnulli volunt, montem hunc terræ vmbilicum vel medium esse, illo vaticinio Prophetæ nixi: *Operatus est salutem in medio terræ.* De rei veritate hic non inquiro; parum refert; sunt, fateor, curiositates, deuotæ tamen. *Psal. 73.*

I. Vbi autem in Caluariæ montem deuentum est, rursus Saluatorem lictores pro vltima arce denudãt. quid dico, denudant? Iam quartum eum exuunt, & tertium excoriant. Primò namq; eũ denudarunt cùm flagellaturi essent; vestis verò eius tum nonnisi sudore sanguineo cuti adhærebat; idcirco hæc denudatio minus fuit sensibilis. Secundò cùm coronarunt eum spinis, & coccineam ei chlamydem circumdedêre; atque hæc prima fuit excoriatio. Tertiò, quando rursus suas eum induerunt vestes ad montem Caluariæ exiturum; quæ secunda fuit excoriatio. Quarta denique hoc loco, qua dum tunicam tergo propter impositum graue crucis onus agglutinatum, ab humeris reuellunt, pellem vnà diripiunt, vt planè nuda ossa apparerent. *I.*

2. Notabitis hîc, eo ipso anno, quo Redemptor in crucem actus fuit, intensissimum fuisse eo die quo, exspirauit frigus, quod vel inde elicere licet, quòd de Petro scriptum sit, *Calefaciebat se in atrio, quia frigus erat*; & tam horrendum frigus, vt fortasse, quo se calefacere posset, Dominum suum negarit. Inde itaque colligite, quantum Redemptor cruciatum sustinuerit oportet, cum in summo montis Caluariæ vertice totus nudus consisteret, corpore *à planta pedis vsque ad verticem* consauciato, sanguine in grumos congelato, carne quinquies mille quadringentis ictibus discerpta. Dolor hic profectò tam vehemens fuit, eum vt humanitas sine diuinitatis adminiculo perferre non potuisset. *Ioan. 18.* *Isaia 13.*

3. Taceo hîc, quem illi dolorem inflixerit ipsa vulnerum eius renouatio, qui quantus fuerit, secum reputare

putare possunt illi, qui experti sunt, quem adferãt vulnera dolorem dum prima & proxima chirurgi ab ijs amouent cataplasmata, vulnera redaperta & recidiua in morbis semper grauiora sunt & periculosiora, quã dũ vel illa primũ infligebantur, vel hi primũ hominẽ opprimebant; nimirum corpore iã exhausto nouæ illorum vehementiæ ferendę impari.

4. Multò verò sensibilior est ipse cordis dolor: & verò hunc patiebatur hic benedictus noster Iesus, se nudum & deformatum adeò corã immiti barbarorũ horum petulantia cernens; nudũ inquã plena die, & in cœli terræq; oculis, nec nõ corã vniuersa prope Iudeæ multitudine, quæ cũ propter paschalia solẽnia illis diebus Ierusalẽ venisset, ad hoc spectaculũ confluxerat, vnde ad litterã hîc adimpletur propheticũ illud oraculum, *ostendam gentibus nuditatem tuam.* *Nahũ. 3.*

5. Pius quidam scriptor piè meditatur, Deiparam matrem, quæ eum recens natum *pannis inuoluerat*, ricam & velum capitis proiecisse, quò nuditas eius velaretur. *Vincent. Bumius medit. 36. de Pass.*

6. Verùm S. Bonauentura, cuius auctoritas maxima est, quem alij multi sequuntur, asserit, Dominum ita planè nudum cruci affixum fuisse, vti virgineo matris suæ vtero prodierat.

7. Ipse etiã Bern. eiusdem fuisse videtur sententiæ, quãdo nos exhortatur, vt *nudũ nudi sequamur*: & certè, mystico sensu, impossibile est ad crucẽ quẽ euolare, nisi terrestrium affectuum vestem deponat.

III. . Denudatus, aut potius excoriatus, benignus Agnus noster, semetipsum vltro super crucis lectum extendit, in quo mortale & cruentum suum cum Ecclesia matrimonium consummaturus, eoq; baptismo baptizandus erat, quem corpus quidem eius formidabat, anima verò ardẽtissimè desiderabat. Ad cuius exemplũ, tot deinde Martyres se vltrò supplicijs obtulerũt & iniecerũt, vti S. Agatha, S. Ignatius, S. Laurentius.

2. Vt fabri lignarij sua ligna scitè diffindant & tere-

terebrent; colore aliquo antè illa notare solēt: sic Redemptor noster Iesus ante sanguine suo crucis longitudines & dimensiones signat, quo claui eidem infigantur. Hoc nos facto edocens, tum aduersitates à quibus impetimur, æquo animo ferre, tum mortificationum quas subimus, crucem viribus nostris adæquare & admetiri; immoderatas zeli indiscreti extremitates fugiendo, cùm *rationabile obsequium* Deo longè sit gratius, quàm temeraria rerum vires excedentium aggresio. *Rom. 12.*

3. Redemptor ita in crucem extentus & protensus, suæ per hunc situm Ecclesiæ basin delineare videtur, eiusque velut fundamentum ponere. Et reipsa etiam cernere est, quomodo communis magnarum & celebrium Ecclesiarum structura ad exemplar hoc componatur, dum in crucis eæ formam constituuntur. *Matt. 21.*

4. Hic scilicet *lapis* noster *angularis* malleo aptatur & tunditur, vt in summo cœlestis Sionis fastigio *fiat in caput anguli.* *Marc. 12. Luc. 20. 1. Pet. 2.*

5. Audite, vt claui eum transfigant, mallei contundant. An non, ô cordis mei lapidei cauernæ, ad harum tunsionum sonum resonatis? Quin potius, ô claui cor meum compungitis, quin ô mallei, ipsum comminuitis? quin è saxo hoc duro scintillas excutitis, quibus anima mea succendatur? Quin tibi, ô cara crux, trabali & infrangibili clauo cõfixus sum? Tu autem, ô pretiose sanguis, qui velut ab arbore myrrhina defluis, super imperfectionum mearum vulnera destilla.

6. Vobis meditandum relinquo, quàm grauem in hac manuum pedumque transfosione ac terebratione dolorem Saluator passus sit, cùm membra hæc adeò sensibilia sint, & neruis cartilaginibusque plena. Non sunt hi claui, à quibus Samson noster crines (suam inquam humanitatem) dissoluere velit, sed potiùs claui Sisaræ, qui mortem illi illaturi sunt. *Iudic. 16. Iudic. 4.*

7. Fingunt fabulosè Poëtæ in monte Aetna Vulcani fabrilem officinam & fornacem esse: sed verè nos dicere possumus, in monte Caluariæ fornacem esse

amoris

Luc. 12. amoris, è qua is educitur *ignis*, quo mundus totus est adurendus.

8. Contemplamini hîc, quomodo manu dextra iam cruci affixa, ipsa, ob neruorum retractionem, sinistra nimium quantum à foraminis facti, in quod clauus inferendus esset, loco distaret, foramini adaptaretur ac responderet. Tantundem de pedibus haud dubiè factum. Acerbus hic dolor inter meditandum melius à vobis excuti, quàm verbis à me exponi poterit.

9. Numquamne in instrumento musico chordas paulatim intendi vidistis, vt tensum id deinde suauem ederet harmoniam? sola eheu ossa & nerui Redemptori nostro Iesu iam restabant; sed eius iam *omnia ossa dinumerari videmus*, & neruos extendi, quàm diuina hæc cithara suauem harmoniam in supremis suis accentibus editura sit, non multò post exaudiemus. *Psal* 21.

IV. 1. En verò tibi, nouum & incomparabile doloris incrementum: nam cùm nonnisi vnum dolorem sustineret adhuc in terra cum cruce protensus; iam sexcentos eum in crucis eleuatione tulisse verisimile est, vtpote non iam resupinatum, & in dorso reclinatum, sed è manibus transfixis, & pedibus clauatis & perforatis suspensum.

2. Si verò horribilem illam concussionem & immanem agitationem cosideretis, quæ tum facta est. quãdo carnifices crucis basin magna vi data opera in illã decidere passi sunt scrobem, quam ante ei inferendæ effoderant, nullum capitis vestri fore pilum existimo, qui non præ pio horrore arrigatur.

1. *Reg* 18. *Iob* 2. 3. Hic itaque pulcher noster Absalon ex arbore pendet, non iam tribus confixus lanceis, sed clauis. Hic item noster Iob publicè factus spectaculum est. Alta igitur nobis iam intonandum est voce, *Vexilla Regis prodeunt*, &c.

4. Videte denique hîc serpentem nostrum in hastile eleuatum.

5. Arca

5. Arca noſtra, poſt diluuium ſanguinis ſui in mon-
tis vertice requieſcit *Num. 21.*
6. Videte, vt ſol noſter in altiſsima conſtitutus me- *Gen. 8*
ridie ſummè iam caleat.
7. Vt fixus hic maneat, vti olim tempore Ioſue
8. Nec non per aliquot ſui lineas retrocedens, vti in *Ioſ. 10.*
diebus Ezechiæ. Neque enim ſatis e ,cum infra *An-* *Iſaiæ 38.*
gelos aliàs *minoratum* eſſe; iam enim etiam infra ho- *Pſal. 8.*
mines videtur imminutus; iam *non homo, ſed oppro-* *Pſal. 21.*
brium hominum.
9. An nõ modò *omnes ad ſe trahendi* tẽpus eſt, cùm
iam *exaltatus ſit à terra*? Quin, ô corda grauia & fer- *Ioan. 12.*
ro duriora, ad Magnetem hunc amantem euolatis?
10. Cur porrò eum ſic à terra ſubleuari & ſublimem
extolli voluiſſe putatis, quàm vt affectus noſtros à
terra auelleret, eoſque intra cœlum conderet, & nos
ad in *cœleſtibus conuerſandum*, atque ibidem *theſauros* *Phil. 3.*
in æternum duraturos colligendos inuitaret? *Matt. 6.*
11. Huius cùm cruce ſublationis toties memineri-
tis, fratres, quoties ſacrum ſponſi noſtri corpus in
ſanctæ Hoſtiæ eleuatione, quæ in ſacroſancto Miſſæ
ſacrificio peragitur, adoratis, & in pia hac cogitatio-
ne profundè vos humiliate.
12. Eleua iam oculos tuos peccator, & humiliatam
hanc Saluatoris noſtri exaltationem admirare; ſi eum
aliàs ad Petri piſcatoris, quique ſe *peccatorem* eſſe di- *Ioan. 13.*
cebat, iacentem pedes obſtupuiſti: Quid porrò hæc
pedum lotio erat, cum pretioſo hoc ſanguinis balneo
collata?
13. Si aduerſus Iudam proditorem aliquando indi-
gnationem concepiſti ſtomachatus, quòd is, tametſi
ad pedes illius abluendos Dominus ſe ſupplex demi-
ſiſſet, in nefarijs ſuis moliminibus nihilominus per-
rexerit: cur non iuſtam quandam contra cordis tui
duritiem iram induis, in ſuis ſemper progredientis
& perſeuerantis peccatis, quæ tamen Redemptorem
tuum ligno huic ferali affixerunt. Ipſe, vt vides, per
viſcera miſericordiæ ſuæ euiſceratæ te coniurat &

peccandi aliquando facias finem : & tu anima mea, ingrata, rebellis, & immitis, ad blandas has preces surda, non modò in tuis iniquitatibus progrederis, sed etiam adauges & multiplicas, ex abysso in abyssum præcipitans, & scelera sceleribus coacernans. Eiadum pœnitentiam age à culpa tua conuertere, resipisce, vitæ in futurum emendationem propone, meliora concipe, & ad benignissimum Dominum tuum

Isaiæ 55. reuertere, quia *misericors est, & multus ad ignoscendum.* Ecce, vt brachia patentia habeat ad te amplectendum parata, modò per tuam ipsa conuersionem scelerum tuorum quæ funestæ feralique arbori huic ipsum suffigunt, clauos euulseris.

14. Ecquod, eheu! & quàm triste id tibi, B. Virgo, spectaculum est? non viribus deficis, deliquium passa?

Ioan. 19. nihil minùs. Sed stas erecta in pedes: *Stabat iuxtà crucem mater Iesu.* Vnde verè hîc occinere possumus: *Stabat mater dolorosa,* &c.

Gen. 19. 15. Vxorem Loth in statuam salis conuertit olim vrbis inflammatæ horror: an non etiam dolor extremus, matrem hanc velut saxeans, erectam eam statuæ instar facit consistere?

16. Vide, obsecro, anima ma, quomodo suum imitetur filium; ipse enim in pedes erectus est, est & ipsa: ipse sublatus corpore, hæc animo & corde. Vide, vt suum generosa hæc aquila solem fixè infracteque intueatur. O Heliotropium, semper versus sublulire hoc sidus vergens!

Ite iam amici, ruminate & examinate Caluariæ montem, 2. supremam Domini denudationem, 3. eiusdem crucifixionem, 4. crucis in altum erectionem.

(* * *)

FERIA

FERIA VI. POST DOMINIC. V. Quadragesimæ.

Quæ incidit in festum Annunciationis B.V.

Titulus Crucis.

HOMILIA XXXIII.

IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM; *Mat. 27.*
&: *Vocabis nomen eius Iesum.* In diem hunc, beato *Luc. 1.*
quodã ac nobis felice casu, festũ Annũciationis B. Virginis Mariæ incidit: Et quãuis hæc de Incarnatione materia iucunditatem spiret: illa verò de Paſsione dolorem contineat; vtramque tamen in hac quadriga quam ante vos agam, in vno velut iugo combinare & coniugare, pro eo ac poſſumus conabimur. In 1. rota contemplabimur Redemptorem duos inter latrones medium ſuſpenſum; in 2. ſingula tituli crucis verba expendemus, 3. de triplicitate linguarum, quibus epigraphe hæc ſcripta erat, aliquid dicemus, 4. erit, verba illa Pilati, *quod ſcripſi ſcripſi*, ponderare.

1. Incaſſum Iudæi, ſcelesta quadam malitia Saluatoris Ieſu gloriam, quam antè ſanctis illuſtribuſque operibus ſibi compararat, inobſcurare conantur, dum eum inter duos ſicarios & latrones medium velut omnium ſceleratorum ſceleratiſsimum, & latronum nobiliſsimum emori cogunt. Nam, è contra, *Matt. 5.*
adeò non *ponunt lucernam ſub modio*, vt etiam eam *Marc. 4.*
ſuper candelabrum crucis collocârint, & hanc ipſam *Luc. 11.*
crucem in excelſo Caluariæ *monte*, in quo ſecunda Eua, Eccleſia inquam, è mortali ſecundi Adami ſopore efformata fuit, Eccleſia ſcilicet, quæ dicta eſt *ciui-* *Gen. 2.* *Matt. 5.*
tas ſuper montem poſita.

 2. Tum

2. Tum virga Moysis verus serpens esse cognita est,
Exod. 7. cùm virgas Magorum deuorauit, nonnisi imaginarios serpentes exhibentium. Sic suam Redemptor noster Iesus crucem, nequidquam molientibus & obnitentibus aduersarijs, ab aliorum potuit crucibus distinguere, & è media inimicorum & odientium sui infamia gloriam sibi elicere.

3. Sic sol radios suos emittens, stellas alias diffugere facit.

Num. 17. 4. Sic florida Aaronis virga ab aliorum se virgis distinxit, eique summum sacerdotium confirmauit.

5. Quàm benè, *Deus virtutum* nosti, tuum semper
Psal. 83. locum, medium inquam, & inter duo extrema constitutum tibi seligere! nam

Horat. l. 1 epist. 19. *Virtus est medium vitiorum vtrimque reductum,*
nempè adinstar arcus, qui per inflexionem suam, & vtriusque extremi reductionem perficitur: quæ sanè aliud non est, quàm quædam mediocritas, ait Aristoteles; quam proinde poëta quis, eius perfectionem de-
Idem l. 2. od 2. claraturus, *auream* appellat. Sic fortitudo media est inter inertem timorem, & temeritatem: liberalitas inter auaritiæ & prodigalitatis extremitates media consistit.

Psal. 30. 6. Quàm, *Deus veritatis* medius hic locus ad oculum nobis ostendit, mendacium semper in extremis consistere, sed veritatem in medio! Hæretici illi veteres miseri, qui matrimonium vt impium damnabãt; at improbi nostri temporis Nouatores, qui vice versa sacram virginitatem & sanctam sugillant cõtinentiam: at vera est Ecclesia, quæ matrimonium velut *magnum Sacramentum* laudat, cælibatum verò quasi olatum Angelicum honorat. Falsi illi hæretici, qui ita omnia attribuunt gratiæ, vt ab ea liberum arbitrium nostrum cogi asserũt: vani verò illi, qui ex opposito omnia libero arbitrio, exclusa gratia, asscribunt: at vera Ecclesia, quæ insignem illum diuinæ gratiæ, atque arbitrij nostri libertatis concursum simul nobis inculcat.

7. Vi-

7. Videte hîc nostrum Iosephum, non iam inter duos maleficos incarceratum, sed crucifixum; quorum vnus salutem assequetur, alter verò peribit, vti olim pincerna & pistor Pharaonis. Gen. 39. 40.

8.9. Videte hîc aream nostram *in medio annulorum*, & *inter duos vectes* gestatam; videte *propitiatorium* nostrum *inter duos Cherubim*. Exod. 28. & 33.

10. Videte prodigiosum illum botrum, è terra promissionis allatum, inter duos exploratores gestatum. Num. 13.

11. Videte ferrũ hoc, inter duos lapides magneticos & calamitas, aut potiùs calamitosos medium suspensum.

12. Centrum Domini, eiusque locus ordinarius est, medius: in cœlo quippe est inter Patrem & Spiritum sanctum.

13. In quantum homo, est mediator naturæ & gratiæ, redemptionis & intercessionis inter Deum & homines, *in se reconcilians ima summis*.

14. Si descendit in terras, venit in *plenitudine temporum*. *In medio annorum viuificaberis*. Gal. 4. Habac. 3.

15. In festo hodierno videte eum in medio Angeli virginalis, & virginis Angelicæ. Luc. 1.

16. Vnde pretiosa eius caro efformata est, è Virginis Mariæ medio, è purissimo inquam cordis eius sanguine.

17. Quonam illa loco collocata est? in vteri virginei medio.

Perfusa cœli gratia
Gestant puellæ viscera.

18.19.20.21.22.23. In natiuitate videte eum primò inter duas naturas, diuinam & humanam (*Verbum caro*) ad ipsam vsque idiomatum communicationem inuicem vnitas. Videte eum deinde inter duæ Mariæ brachia, & duo vbera, inter Mariam & Iosephum, inter bouem & asinum: *In medio duorum animalium cognosceris*. Si in Aegyptum fugit, eadem prorsus fugit positione & situ: natiuitatis eius item hora in noctis Ioan. 1.

 fuit

fuit medio. *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* Sap. 18.

24. Duodecimo ætatis anno, in templo se manifestans, in medio Doctorum reperitur. Luc 2.

25.26.27.28.29.30. Dum discipulos congregat, *in medio* eorum versatur, ijs *ministraturus*, & docturus non secus ac Rex in medio populi sui, velut sol in medio planetarum, sicut cor in medio partium nobilium, quasi arbor vitæ in medio Paradisi cœlico-terrestris, sanctæ inquam Ecclesiæ suæ, denique vti pastor in medio suarum ouium. Luc 12. Gen. 2.

31. De eo cum omnibus conuersante Ioannes Baptistes dixit: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Ioan. 1.

32. Si transfiguratur, inter Moysen & Eliam medius apparet. Matt. 19.

33. Si triumphum agit, inter asinam & pullum eius subiugalem ouat. Matt. 21.

34. Vitæ quoque eius ratio in Marthæ & Mariæ officia distincta fuit.

35. Cum discipulis dum versatur, vt plurimùm versatur inter Petrum & Ioannem, quorum ille discipulus erat di igens, hic dilectus.

36. Mirum ergo non est, si inter duos latrones medius exspirare velit: *Crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum à dextris, alterum à sinistris: medium autem Iesum.*

37. Si Cruce descendat, inter Iosephum & Nicodemum medius est. Ioan 19.

38. Inter duo sepelitur sudaria, in sepulchro inter duos collocatur lapides. Luc. 23.

39. Si ad vitam resurgat, ad exortum auroræ resurgit, quæ diem & noctem ab inuicem disterminat: *Exurgit diluculo.* Ioan. 20.

40. Si apparet, inter duos se sistit discipulos euntes in Emaus, haud multò pòst clausis ianuis *stetit in medio discipulorum.* Luc. 24. Ibid.

41. Vbinam locorum salutis nostræ opus operatur, nisi *in medio terræ*? Psal. 73.

42. Vnde

42. Vnde in cœlos conſcendit, niſi de medio Apoſtolorum ſuorum?

43. Si S. Ioanni appareat, id *in medio* facit *candelabrorum*. *Apoc. 1.*

44. Si *duo vel tres congregati ſint in nomine* eius, *in medio* eorum ipſe adeſt. *Matt. 18.*

45. At quando in ſupremo mundi die veniet iudicare viuos & mortuos, apparebit *in medio ſegregans oues ab hædis*. *Matt. 25.*

Inter oues locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra
Statuens me in parte dextra.

46. Rogemus illum, dilectiſsimi, vt tunc nos ad dextram ſuam cum bono latrone ſtatuat, quod haud dubiè præſtabit, ſi iam inde ab hoc tempore, quo viuimus, in noſtri medio illum collocemus, & partem noſtri mediam, quam tam blandè à nobis emendicat, cor inquam noſtrum, quod tam ſollicitè à nobis petit (*fili præbe mihi cor tuum*) illi concedamus. Illud quippe eius eſt centrum, illud deliciarum eius conclaue, ac *ferculum Salomonis*. *Prou. 23.* *Cant. 3.*

II. 1. Iam inſcriptionis illius, quam Pilatus cruci ſuperpoſuit, verba expendamus: quod faciemus, ſi primò in genere tituli huius, quoad Iudęos quidem diſconuenientiam, quæ ad nos verò Chriſtianos conuenientiam notemus. Si enim eſt IESVS, id eſt, Saluator, cur mortem illi inferre ſatagunt, qui eis vitam allaturus venerat. Si NAZARENVS, id eſt, floridus, candidus & innocens eſt, cur eum vt reum ad ſupplicium rapiunt? ſi REX, hui! quale piaculum & crimen, ſubditos impias ac ſacrilegas manus in Principem ſuum inijcere, cùm communiter acclamare populus Regibus ſoleat: *Viuat Rex*, quàm id longè aliud quàm illud; *Hoſanna in excelſis!* Si eum præ Cæſare reijciunt, erat nihilominus Iudæus, *ſanguis, caro, & frater eorum*, vt fratribus ſuis aiebat Ruben, eos impedire volens, ne Ioſephi ſanguine ſuas cruentarent manus. *Marc. 11.* *Gen. 37.*

2. Verùm quę tum ad nos, vt IESVS etiam debebat mors, quia *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* peccatorum V. NAZARENVS & innocens, pro nobis reis & culpam promeritis debebat mori. Vt REX, in hoc nos ipſe bello, contra mortem & infernum inito & ſuſcepto præcedere debebat. Et quidem REX IVDAEORVM, id eſt eorum, qui confitebuntur eum Ieſum Chriſtum filium Dei viui eſſe, qui in hũc mundum venit, quò nobis ſalutem afferret.

3. IESVS. Eſt id primum tituli huius verbum. Verbum inquam, cœlum terramq́ue ſuauitate & melodia complens. Pulchrum hoc nomen & annunciatio

Cant. 1. hæc in corde B. Virginis velut *oleum effuſum* eſt, idq́ue operâ Spiritus ſancti, qui propterea dictus eſt *ſpiritalis vnctio*. Sed in cruce hac *ſanguis* eſt *annihilatus*, prout alia verborum illorum habet verſio. Nam in mi-

Pſal. 129. ſerabili hoc ſtatu nullam ſibi ſanguinis guttam reſer-

Pſal. 78. uat, quò noſtra *copioſa* foret *redemptio*. O pulchrum

Iſaiæ 11. ſanguinem, ô nomen per omnia admirabile! *Domine propitius eſto peccatis meis propter nomen tuum.*

4. NAZARENVS, id eſt, floridus. Vide, ô Virgo *virga de radice* Ieſſe, hîc *florem de radice* tua, *ſuper quem requieſcit ſpiritus Domini*: qui velut apis, reconciliationis generis humani mel ex eo elicit & exprimit.

Cant. 2. 5.6. Ipſe *flos campi*, & *lilium conuallium*. Hîc videre

Pſal. 109. eſt tuam, ô magne Pontifex *ſecundum ordinem Mel-*

Num. 27. *chiſedec*, virgam quæ floruit; quæ quidem *virga ferrea*

Pſal. 2. tibi eſt, ſed *virga directionis* & dilectionis nobis.

Pſal. 44. 7. Hic *lectulus floridus* ſponſi eſt.

Cant. 1. 8. Hic lilium peccati ſerpentes diſpellens.

9. Hic flos fructificans. *Flores mei fructus honoris*, &

Eccl. 24. ſancta crux ſimilis eſt arboris chryſomeli florem ſimul & fructus eodem tempore geſtantis.

10.11. REX. O Saluatoris noſtri humilitatem! hanc

Ioan. 63. ipſe dignitatem & præcellentem inter homines reliquos prærogatiuam repudiauit, cùm eum turbæ in deſerto coronare & in Regem eligere decernerent, &

iam,

iam, cùm titulus hîc illi in opprobrium & imprope-rium vergit ipsum gratanter admittit. Hinc discite, carissimi, si eum *regnare velitis super* vos opprobria quàm libentissimè complecti, & quamlibet honorum vanitatem fugere, vt dicere possitis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Exaltabo te Deus meus rex. Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Luc. 19. Psal. 22. Psal. 144. Psal. 83.

12. Apum Rex caret spiculo, noster verò, ô piæ mentes, vndeundique totus riget aculeis. Sed dicite mihi quæso, an non, cùm coronam eius dolorosam, quæ sub tot spinis rosam suauissimam protegit, videtis, ad eum amandnm vos exstimulari sentitis?

13. IVDAEORVM, id est eorum, qui confitentur. Hinc discite ergo, carissimi, sæpiùs delicta cõfiteri, si boni & fideles Regis Iesu subditi esse velitis. *Cõfitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iustorum & congregatione. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Confiteantur tibi omnia opera tua.* Psal. 110. Psal 66. Psa 144.

14. Pulchrum exemplum in scriptore quodam docto, qui se ex humilitate vocat *Discipulum*, legi de quodam pio Religioso sæpè piam hanc orationem iterante: *Iesu Nazarene Rex Iudæorum miserere mei*: qui propter hanc deuotionem criminum suorum veniam moriens obtinuit. Discipul. Prompt. Exempl.

15. Sed, quanam in re, inquies, titulus cum festo, quod hodie colimus, conuenit? quæ vtriusque analogia? magna sanè, fratres amantissimi, nomen enim IESVS de cœlo ab Angelo allatum est, vti ex illis Euangelij verbis videre est: *Et vocabis nomen eius Iesum.* NAZARENVS verò latet in eo quòd dixerit Angelus *in ciuitate Nazareth.* REX autem colligitur ex illis Angeli verbis: *Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* IVDAEORVM denique includitur in illa mentione *domus Iacob.* Luc. 4.

16. O verè admirabilem superscriptionem, quæ sponsi nostri gloriam in summa ac suprema eius igno-

minia repræſentas! Vultiſne,cariſsimi, hoc *numiſma*, quo redemptionis noſtræ tributum perſoluimus, à me exhiberi, videte Crucifixum hunc, videte *hanc* Mat. 22. *imaginem,& ſuperſcriptionem.* O Redemptoris mei imaginem! ô Saluatoris mei titulos & nomina!

17. Næ, beatæ illæ animæ, quæ morituræ ſacrum Pſal.129. hoc viaticum ſecum ferunt! O *copioſam redemptionem!* ô dignum ſcelerum noſtrorum lytrum! quàm facilè in æternitatis portum incomparabili hoc prætorio & vectigali perſoluto, tranſitur!

1. *Erat autem ſuperſcriptio ſcripta litteris Græ-* III. *cis, Latinis & Hebraicis.* Sunt hæ tres linguæ, reliquarum omnium matres & principes, quæ in cruce Dominica ſanctificatæ fuêre; atque hac de cauſa Eccleſia ſponſa eius, vt per eadem ſponſum ſuum, tam in officijs publicis, quàm in ſacris myſterijs alloqueretur & compellaret.

2. Dico officijs publicis: nam, quantum ad preces priuatas, in ſua, & quam deuotio priuata ſuadet lingua eas quiſque concipere & fundere poteſt.

3. Sed, cùm Eccleſia vniuerſalis ſit, & alium terminum ac limitem non habeat, quàm ipſam cœli cir- Gen. 11. cumferentiam, ideò *vnius* ipſa *labij* eſſe deſiderat, & ſanctam quandam in cultu diuino vniformitatem ſeruare, vt per vniuerſum terrarum orbem nemo non 1.Cor.14. *ſuper benedictionem* ſacerdotis *dicere* poſsit *Amen.*

4. Linguæ hæ mihi in mentem reuocant, primam Eccleſiæ dotem, fuiſſe donum linguarum. Apoſtoli namque lingua omnigena loquebantur: *Audiuimus* Act.2. *eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei*, ſcribit in Actis Lucas.

5. Dum hoc in eos donum Spiritus paracletus effunderet, ignearum forma linguarum ijs apparuit. Leuit. 6. Deum rogate, fratres, vt hunc in Eccleſiæ ſuæ prædicatoribus zelum continuare dignetur: hic quippe ignis eſt, quem ſemper in tabernaculi ſui altari arden-

ardentem videre cupit & lucentem, *Declaratio sermonum Domini illuminat.* *Psal. 118.*

6. Tu ô purissime spiritus, sancta hac die B. Virgini Mariæ fuisti velut columna nubis, eum inumbrando, & ignis ipsam accendendo & illuminando; hodie quoque Verbum Dei, operâ spiritus sancti, incarnatū intra puellæ sacræ viscera conclusum fuit, quemadmodum in die pentecostes, idem Verbum spiritualizatum, Verbum & vox Patris, in Apostolorum fuit mentes ab eodem Spiritu infusum. Atque ideo scriptum est: *Repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* *Luc. 1.* *Exod. 14.* *Act. 2.* *Sap. 1.*

7. Hodie vestrum, ô cœli, rorem in vellus Gedeonis destillastis, hodie *nubes pluerunt iustum*, hodie *terra se aperiens germinauit Saluatorem.* *Iud. 6.* *Isaiæ 45.*

IV.

1. Hinc Iudæi titulum eminus legentes, Pilatum rogarunt, eum vt inuitaret, eique adderet, quòd se Regem Iudæorum diceret & fecisset, quibus ille respondit: *Quod scripsi, scripsi.* Duæ potissimum causæ Pilatum ad epigraphen hanc cruci addendam impulerunt. Prima, vt non sine aliqua causa à se Redemptorem condemnatum ostenderet, suam hoc pacto impietatem colorare, & quodammodo iustificare volendo; sed *in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Altera, per ludibrium; vt Iudæos hoc pacto irrideret, quasi illorum se Regem in crucem egisse tacitè insinuare vellet. *Psal. 7.*

3. O Regis gloriæ ignominiam! qui vt infamissimus & scelestissimus latro haberi tractarique voluit, vtpote quibus crimen admissum testantes tabellæ solét affigi, vt à paribus criminibus committendis spectantes legentesque deterreantur. Ab Euangelistis proditum non est, alijs duobus latronibus id genus appensam fuisse superscriptionem: Ad quam ergo se abyssum humilitas tua demergit, bone Iesu!

4. Inte-

4. Interim salutaria aliquot ex his Pliati verbis do-
1. *Pet.* 5. cumenta colligamus. Primò discamus, firmiter bonis propositis inhærere,& *resistere fortes in fide*,in sanctis nostris resolutionibus, quas suis cacodæmon machinamentis & tentationibus, qua potest, subruere & oppugnare conabitur.

5. Non satis est incipere: nihil eo facilius. Sed omnis in eo sita difficultas, vt feliciter cursus consum-
Matt. 10. metur. Is enim *saluus erit,qui perseuerauerit vsque ad finem.*

6. In eo potissima pictorũ ars cõsistit & cura, vt ita scitè suos temperent & misceant colores,vt quas pingunt imagines,æternaturæ sint.

Matt. 11. 7. Quàm multas, Deus bone, videre est *arundines vento agitatas*, quas minimum tentationis flabrum ad libitum inflectit & agitat!

Psal. 144. 8. In quo deuotio omnis terminatur, an non in *regno* quod *finem non habet*, vel in *regno omnium sæculorum*? Ad vitæ igitur antè terminum perueniatur oportet,quàm ad ipsum quis perueniat.

9. Reliqua terræ regna vnà cum vitæ nostræ diebus
Psal. 83. finiuntur;at cœleste nonnisi in mortis hora incipit. *Beatus* ille, *qui in hac valle lacrymarum ascensiones in corde suo* per virtutum gradus *disponit.*

10. Aliud documentum est; si quid Deo promisimus
Psal. 78. voto, seriò & exactè id seruemus: *Vouete, & reddite:*
Psal. 118. *Vota mea Domino reddam Votum voui Deo Iacob.* So-
Psal 131. licitè itaque accuratèque quæ Deo fecistis vota ac promissa,seruate Ecclesiastici,ô Religiosi; ea namque Deus quadam die,magna seueritate,à vobis exiget.

11. Sanctissima Virgo Maria in nostro Euangelio euidenter ostendit, quàm de voto virginitatis suæ fuerit solicita:dum turbatur, quòd matris Dei nomine salutaretur: etsi is cui *nihil impoßibile est*, eam & matrem reddere,virginitatis decus illibatum conseruare potuerit.

Pet 5. 12. Hinc & aliam discite lectionem,Catholici,hinc inquam discite esse *fortes in fide*, & firmiter constan-

terque

terque Scripturæ adhærere, prout eam intelligit & interpretatur Ecclesia, quæ *columna & firmamentum* 1. Tim. 3. est *veritatis*. Quando hæretici suas auribus vestris interpretationes, ne dicam illusiones, oggerent, dicite illis: *Quod scripsi, scripsi: quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt* Et dicite verbo, ac deplano: *Hoc credo, quod Ecclesia credit. Hic murus aheneus esto.*

13 Si quando naturas suas vobis occinent ratiunculas, vel potiùs cantiunculas ac nænias, verbi gratia circa Baptismum paruulorum, oggerite & replicate, Ioan. 3. scriptum est: *Nisi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.*

14. Quando Nouatores, vti olim Iudæi, ad clara & Ioan. 7. energica illa verba: *Hoc est enim corpus meum*, addi quid de suo volent, & hæc exponi per *significat, tropum, figuram*, respondete, *quod scriptum est, scriptum* Claud. *est*; & addite qua uor illas & octoginta diuersas, de Sainctes, Episc. quas circa hæc verba procuderunt expositiones aliud Ebrocens. non esse, quàm totidem conficta mendacia, à scopo veritatis nimium quantum distantia. de V.S.

15. Sed per transennam hîc notate, obsecro, quòd, sicut consecratio Eucharistica per quinque hęc verba, *Hoc est enim corpus meũ*, peragitur; ita etiã incarnationis mysterium tunc in Virgine perfectum fuit, cùm suum ipsa per quinque hæc verba, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, assensum præbuit, quæ fuêre velut sigillum & conclusio, per quam magnum illud connubium, quo natura diuina cum humana coniuncta fuit est consummatum. Vnde illi cum D. Elisabetha dicamus: *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Luc 1.

Ex hac homilia, fratres, colligite, 1. Redemptorem Iesum fuisse inter duos latrones crucifixum, hodierna verò die inter Angelum & Virginem incarnatum fuisse, 2. Titulum crucis respondere Euangelio hodierno, in quo de eius nomine, de Nazareth & regno eius fit mentio 3. per hanc linguarum diuersitatem in

Eccle-

Ecclesia domum spiritus sancti, quí hodie Beatissimam matrem obumbrauit denotari;4. hæc pertinax Pilati constantia docere nos debet, vt in fide nostra, in bonis propositis, atque in primis in votis simus constantes, vti in suo, quo virginitatem Deo vouit, Beatissima Virgo constans & solida fuit. Pax Domini sit semper vobiscum.

DOMINICA PALMARVM.
Diuisio vestimentorum.
HOMILIA XXXIV.

Ioan. 19 Mat. 27. ACceperunt *vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes.* Considerabimus 1. probrosam hanc vestium diuisionem in se, 2. quid illa mysticè significet 3. in lusus vetitos & aleatores parúper inuehemur, 4 denique de modestia vestium agemus. materiæ futuræ vtiles, quæ vestram proinde attentionem exigunt.

I. 1. Diei huius Euangelij materia longè alia est, quā argumentum, quod tractandum ipsi suscepimus: in illa enim videmus Iudæos proprias Redemptori triumphantis habitu Ierusalē inuecto vestes substernere; hic verò per contemptum suis eos videbimus Domini vestes pedibus subijcere, eas discerpere & super eas sortem mittere. In quo obiter mundi notabitis inconstantiam, discetisque eiusdem honores & gloriam parui facere, vt quam ille tam subito in ignominias & infamiam mutat.

2. Et fuit sanè hæc infamia inter reliqua, quæ Redemptor in in passione subijt probra, maxima, quod ita sui corporis vestes, ante oculos suos discerpi & lacerari videret, sicut antè corpus, quod animæ eius indumentum erat, dilaniarunt.

3. In Perside puerorum nobilium & ingenuorum vestes ipsorum ante oculos fustigabantur; ignobiles verò rei in ipsa corporis cute. Sic Redemptor Iesus cùm ante in flagellatione tractatus esset vt vile mancipium, hic in vestium dilaceratione tractatur vt Rex & nobilis 4.Ti-

4. Tigris animal adeò misāthropū est, vt in ipsas hominum statuas aut vestes furenter sæuiat: hi verò lupi tanta rabie furunt, vt ne ipsis quidem benedicti Redemptoris vestibus parcant.

5. Rex ille olim sacrilegij insimulatus fuit, qui statuæ Apollinis purpureum amiculū, Aesculapio verò barbam auream abstulisset: Quantò verò maius tortores hi committunt sacrilegium, qui postquam animarum nostrarum medico barbam euulsissent, extimam tunicam etiam discerpunt & dispertiuntur eius, qui *sol orientis* est, & *lux mundi*? *Luc.1.* *Ioan. 8.*

6. Dauid Hannonem Regem Ammonitarum in bello persecutus est, quòd Legatorum suorum barbam per ludibrium rasisset, & vestes præsecuisset: quid non Deus cœli, ob similem filio suo vnigenito irrogatam iniuriam faciat? *4 Reg. 10.*

7. Fratres Iosephi, cùm tunicam eius, quam sanguine hædi tinxerant, sibi reseruassent, reliquas eius vestes inter se diuiserunt: quo in facto adumbratum fuit, quòd hic in monte Caluariæ Redemptori Iesu Iudæi probrum inferunt. *Gen. 37.*

8. Qui eius *vestes in quatuor partes diuiserunt*. Quo symbolo præsignatum fuit, Ecclesiam, quæ per hanc vestem significatur, per quatuor mundi climata extēsum iri, & Euangelium à quatuor Dei amanuensibus scripto consignatum, in omnem terram diuulgandum.

9. Nonnulli Rabbini volunt Deum terram, è qua deinde formauit Adamum, è quatuor mundi partibus sumpsisse, etiam iuxta quatuor nominis eius litteras, per quas S. Cyprianus quatuor orbis partes, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septemtrionem voluit designari. *Tract. de Sina & Sion.*

10. Agni igitur nostri lana diuiditur inter eos, qui eum non tam totonderant, quâm deglubendo excoriarāt. Et *purpura Regis iuncta canalibus* sanguinis eius.

11. Sic videmus nonnullos auaros, instar harpyiarū,

mille artibus & fraudibus, termi illi viduarum paupercularum, prolibus & grauaminibus oneratarum, recula, qua domesticæ necessitati prospiciant, & liberos orbos alant, omnimodis insidiari, eamque deglubere & inuadere velle, nunquam *pauperum & innocentium pupillorum sanguine* saturos.

Ierem. 2.

12. Quãdo aut lites, aut alij casus inexspectati, fratres, substantiã vestrã dissipabunt, hac restium sponsi nostri suauissimi diuisione vos consolemini, & mementote, *animam plus esse quàm escam, & corpus plus quàm vestimentum.*

Luc. 12. Matt. 6.

Luc. 12. 13. Respicite nuditatem eius, qui *lilia agri vestit, quæ nõ nent, neq; laborãt*: qui cœlũ tã sublustri & cæruleo colore depingit, arte quadã Phrygionica, velut aurata quædam fila, interspergit; qui terram floribus conuestit, qui aues tam diuersicoloribus pennis, animalia tam varijs pellibus contegit.

14. Quæ olim Dauid, tactus dolore in funere Saulis & Ionathæ verba protulit, iure merito hic vsurpemus: *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea capiti vestro.*

2. Reg. 1.

15. Sed nullius dolor hoc in spectaculo maior fuit, quàm Beatissimæ matris, cùm filij tunicam, quam virgineis suis manibus contexuerat, ita fortibus militaribus expositam cerneret. Illa scilicet tunica erat, quæ odorifero Saluatoris sudore adeò imbuta & delibutá erat, vt de ea dicere aliquando potuisset, vti olim Isaac: *Odor filij mei sicut odor agri pleni.*

Gen. 37. Gen. 27.

16. Quæ tunica, crescente Saluatore, etiam crescebat, quod miraculum, quamuis scripto traditum non sit, non difficulter tamen credetis, qui meminerit, quadraginta illis quibus Israëlitæ in Aegypto vagati sunt annis, vestes eorum subtritas non fuisse; quin imò vestes quas pueri gesserant, vsui tum etiam ipsis fuisse, cùm ad ætatem virilem peruenissent, ad mensuram crescentium corporum crescentes. An non quotidie videre est, arborum cortices, qui ipsarum

Deut. 29.

velut vestes sunt, vnà cum trũcis excrescere? quis nescit panum in deserto multiplicationem longè etiam prodigiosius miraculum fuisse? *Mat 14.*

17. Cogitate vobiscum, fratres, quàm triste & graue B. Matri fuerit videre, prӕterquam quod carissimus eius filius ad tam extrema pœnarum redactus esset, vestes etiam eius, opus manuum suarum, tam indignis modis haberi. Si olim excellens quidam pictor prӕ dolore propè emortuus sit, quòd quandam de imaginibus suis, quam omni qua valuerat arte, diu elaborârat, antè oculos suos à flamma consumi cerneret; quantus benedictӕ huius Virginis dolor fuerit oportet, dum in manibus tam impijs pretiosas vestium filij sui reliquias versari videt, quarum ipsa saltem hӕres esse debebat, vt illis dicere posset:

Dulces exuuiӕ, dum fata Deusque sinebant,
Excipite hanc animam, meque hic exoluite curis. *Aen. 4.*

1. Sed ad sublimiorem iam sensum, quique magna nos doceat, transeamus. Omnes ad vnum interpretes communiter per hanc Domini tunicam sanctam eius Ecclesiam intelligi volunt, per eiusdem verò diuisionem schismata & hӕreses. II.

2. Schisma verò non aliter ab hӕresi differt, quàm voluntas ab intellectu: illud enim in hac continetur, & hӕc in hoc; schisma velut bellum internum & ciuile est, hӕresis verò vt externum & peregrinum. *D.Tho. 2.2.q.*

3. Schisma est, quando aliqui Catholici fidem inuiolatam licet tenentes, ab obedientia Ecclesiӕ se subtrahunt, & ab eiusdem hierarchia se diuellunt, ad instar Core, Dathan, & Abiron tumultuantes, & velut illi zizaniorum superseminatores; qui, esto, Sedem Romanam colant, eius nihilominus curam sugillant & corripiunt. *Num. 16.*

Scinditur incertum studia in contraria vulgus. *Aene. 2.*

Cùm enim talia Schismatici spargunt, fieri non potest, quin multas effutiant obtrectationes, murmura-

tiones, temeraria iudicia, superiores contemnant, & parum eosdem reuereantur. Quis verò non videat omnia hoc pacto pessum ire?

4 Vnde, per Deum obtestor fratres, humiliemus nos, simul vniamur, inuicem amemus, alter alterum colamus. *Subiecti simus omni humanæ creaturæ propter* amorem Iesu Christi, *qui humiliauit semetipsum, & factus est obediens vsque ad mortem.* An non per nostras discordias, contestationes, & diuisiones inimicis nostris nudum latus obuertimus? Ne igitur inconsutilem Redemptoris nostri tunicam, id est, eius Ecclesiam, per diuersas opiniones & prærogatiuas discerpamus. Sed vice versa counianiur, in vnum colligemur, & sub illius manipulos & acies nos recipiamus, quæ ob vnionem suam dicta est *castrorum acies ordinata.* Ipsam alioquin Dei hæreditatem amittemus.

1. Pet. 2. Phil. 2. Hebr. 13. Cant. 6.

Virgil. Eclog. 1.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has segetes, de quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis consæuimus agros.

Quod his contentionibus & altercationibus internis, deinde quæstionum & friuolarum & vanarum apicibus impenditur tempus, melius multò hæresi exstirpandæ impenderetur. Hem! quotnam errantium animæ Deo acquiri, quantum regni diuini limites extendi possent, interim dum internæ illæ & inanes digladiationes hominem detinent!

Lucan. lib 1.

Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ.

5. Sicut hæresis fidem oppugnat, ita obedientiam schisma, quæ eius velut est antemurale. Et non minùs inter hostes censendus ille, qui vallum obsidet & propugnaculũ, quàm qui mœnia quatit. Vlteriùs; Schismatici non minùs Ecclesiæ sunt aduersarij, & in perditionis via aguntur, quàm hæretici illi, inimici occulti & clancularij, qui eam exstructis velut vallis & aggeribus, actis cuniculis, & fraudibus subuertere moliuntur: hi verò aperti, ac proinde minùs periculosi,

losi, etsi alioquin magis ferociant & sæuiant.

6. Schismatici sunt velut *genimina viperarum*; qui quamuis in fide maneant Ecclesiæ, eius nihilominus vterum corrodunt, dum illius ordinem peruertunt, hierarchiam turbant, & disciplinam corrumpunt.

7. Hæretici verò penitùs vi agunt aperta, omnia simul diffringunt, ab Ecclesiæ se corpore segregant, in fide statuque politico in partes separatas abeunt; & *altare* contra *altare* erigunt.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Opponunt, atque arma armis.

Tales fuêre omnes hæretici, tum veteres, vti Arriani, Manichæi, Nestoriani, alijque permulti: tum moderni & huius sæculi, exempli gratia, Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ, aliæque sectæ complures, *qui in via Balaam abierunt*. *Iudæ ep. versu.*

8. Tales erant apud Israëlitas Samaritæ, qui à communi Iudæorum fide & religione planè diuulsi erant, itaque alienati, vt mutua ambo commercia & conuersationem fugerent. *Ioan. 4.*

9. Schismata & hæreses duæ duarum sunt vestium Dominicarũ diuisiones. Habebat enim Saluator duas vestes, vnam superiorem vel exteriorem, aliam intimam, tunicam scilicet. Illa vtpote è diuersis constans lacinijs & partibus, per frustilla dimembrata fuit; super hãc verò, quæ tota contexta erat, sors iacta fuit. Quæ duo symbola esse dico tum bonorum & opum Ecclesiæ, quæ commodè dispertiri queunt; tum fidei, quæ indiuisibilis planè est.

10. Horrenda verò est, Deus bone, quam factam videmus bonorũ Ecclesiasticorum diuisio, quę ceu Orpheus & Pentheus aliquis, à sæculi huius Bacchantibus discerpta & inuasa sunt. Vultisne quatuor eorum videre partes. Primam & potissimam harum facultatum partem inuaserunt hæretici, ijs ceu lupi famelici inhiantes; alterã pueri, & fœminæ & viri coniugati Catholici, idq; publico & passim tolerato cõsi-

dentiarum abusu. Tertiam earum partem posſident otioſi & inertes beneficiarij; quartam denique decimæ. Diabolus verò ſimul in his poſsidet omnia, atque ita patrimonium pauperum Moloch & Baalim offertur, & *ſingularis ferus depaſcitur vineam, vulpeſquè emoliuntur* eam. O horribilem confuſionem, ô abominabilem turbationem, *ô abominationem deſolationis, quæ eſt in loco ſancto*, ô dilapidationem ſacrilegam!

Pſal. 79. Cant. 2. Dan. 9. Thren. 5.

11. Atque ita fit, vt *hæreditas noſtra verſa ſit ad extraneos*, eò quòd *pupilli facti ſumus abſque patre*. Vnde cum Pſalmographo canere poſſumus: *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, &c. Calamitatis huius amplam in Ieremia Propheta deſcriptionem legi, quam ad longum vos velim conſulere, ſerioque excutere: *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam*, &c.

Pſal 2. Ierem. 12.

12. Maiorum noſtrorum pietas tot olim in Eccleſia opes peperit: at, ſicut *ætas parentum peior auis, tulit nos nequiores*, ita diuitiæ hæ, ceu malignum quoddam & vipereum genimen, ſuam exſtinxêre & offocârunt matrem, dum pietas in ipſa operum perit abundantia.

13. Loth integer vixit in paruo & paupere viculo Segor, ſed in mõte, per abundantiam ciborum ac vini inceſtum admiſit. Primarium Eccleſiæ fundamentum, eſt paupertas; parit hæc humilitatem & continentiam: at opulentia vanitatem & luxum, certiſsimam bonorum morum peſtem & perniciem.

Gen 19.

14. Quare, fratres mei Eccleſiaſtici, haud inuiti nefarijs illis renuntiemus reditibus, qui vitijs nos opplent. Pereant hi ne ipſi pereamus, vti Crates Thebanus de terrenis diuitijs dicebat.

15. Vti ſuum Ioſeph pallium in manus mulieris laſciuæ; ita nos eos in mundanarum harum harpyiarum vnguibus relinquamus,

Pſal. 39.

Queis vngues, vncæquè manus, & pallida ſemper
Ora fame,

ſacri-

sacrilegam hanc fruitionem, anathemate & maledictione plenam libenter ijs cedamus, quæ ipsis futura est, ceu aquilæ pennæ, & equus Seianus, quæque verè calamitates, scilicet æternum animarum interitum, & temporalem familiarum subuersionem, possessoribus sui adferet. Sic plurimas illustres familias ob bona Ecclesiastica sacrilegè possessa, nequiterque dilapidata euersas perijsse cernimus.

16. Libenter item illas *denominationes in clerum* 1.Pet.2.
Domini quas princeps Apostolorum prohibet, relinquamus: vera Ecclesiæ authoritas in humilitate, abiectione, opprobrio, patientia, ignominia, dolore consistit. Eos quoque sinamus in ea inuolare, qui nostris insolentes & gloriantes exuuijs, nostris se pennis Psal. 34.
conuestiunt, *gratulantur malis* nostris, *lætantur cùm* Prou.2.
malè fecerint, & gloriantur in rebus pessimis; sed quo- Phil 3.
rum *erit gloria in confusione ipsorum*, modò *exspectemus* Psal.26.
Dominum & viriliter agamus, confortetur cor nostrum & *sustineamus Dominum*.

17. Libenter & ex animo etiam bona illa externa in prædam exponamus, quò tunicam interiorem integram conseruemus, sanctam inquam fidem: in quo prudentes simus sicut serpentes, qui corpus vltrò ictibus exponunt, quò capita, in quibus vita ipsorum maximè consistit tueantur.

18. Fides hæc truncus est & radix, cuius diuitiæ nonnisi pampini & propagines sunt exteriores, quæ pro temporis necessitate & tolli & expurgari possunt, quò suo vinea in vigore conseruetur.

19. Fides tota ex vno contextu constat, & est velut opus ita compactum, vt si vel vnam maculam rumpas, totam imperis.

20. Ecclesiæ fides naui comparatur, quam vt Iurisconsulti loquuntur, *si diuidas, perdes*.

21. Qui cum meretrice coram Salomone disceptante, in re fidei dicunt, *diuidatur*, falsi sunt fratres, vti il- 3 Reg.3.
la falsa pueri erat mater. Anathema & væ illis, qui fidei vnionem vel minimùm conuellunt, quam *qui*

Zach. 2. *tangit, pupillam oculorum* Domini *tangit* & vulnerat.
22. Simus itaque inuicem in sanctæ Ecclesiæ fide benè vniti, fratres mei, ipsa nostrum asylum, noster portus, nostrum refugium sit: in hanc nos arcam reci-
Gen. 8. piamus, quò ab errorum diluuio, & perditionis scopulis & syrtibus saluemur. B. M. Teresæ morienti extrema erat consolatio, suam in hac vnione animã exhalare: *Sũ saltem*, inquiebat, *Domine, Ecclesiæ tuæ filia.*

1. *Milites sortem miserunt, cuius inconsutilis* Domini *tunica tota esset.* Meatio, militare vitium est: vnde
III. in hoc hominum genere is parui ducitur, nec valens & generosus habetur, qui non sua omnia ludendo exponit. Quin imò per modum laudantis de quopiam vulgò dicunt, audax & bonus ludio est, quemadmodum apud histriones & petauristas vt honorificum ducitur, quòd quis egregiè stultum agere & mimum posse dicatur.

2. Inde ortum habent eorum depeculationes, abigeatus prædationes, latrocinia, enormes blasphemiæ, litigia & cædes.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram,
Ira truces inimicitias & funebre bellum.

3. Atq; ideò * omnibus tùm diuinis, tum humanis legibus vetiti sunt; & cubeium & locus in quo luditur, semper vt infamis & inhonestus est habitus. Quàm ergò aduigilare debetis, patres familias, nec ferre vt chartis lusorijs aut aleis in domibus vestris ludatur, cùm in ijs & honoris & virtutis ipsi professionem faciatis? Per Deum vos oro, ne illas in gymnasium aleonum conuertatis.

* alea & ludi, in quibus sors regnat.

4. Nulla sanè in re humana magis se ostendit imbecillitas, quàm lusu aleatorio, qui recreatio minùs quàm puerilis est, & indigna quadã directione rationem casui & incertitudini vt captiuã subijcit etiam

———*Pueri ludentes, Rex eris, aiunt,*
Si rectè facies.

In illorum item lusibus agiles aliquos corporis motus & dexteritates cum rationabili quadam elegantia vi-

tia videre est: sed viri, magis ab omni ratione alieni & brutales, omnem suam in chartarum & alearum sorte rationem confundunt.

5. Ingens discrimen est inter cursum puerilem ad metam & ludum schacorum. Illa enim meo iudicio, quoddam exercitium est, habilitatem, valetudinem bonam, & celeritatem artuum indicans; hic verò speculatio quædam sedentaria est, tetrica morositas & melancholica, qua dari maior non queat.

6. Papiliones variegatos & diuersicolores insectari puerorum proprium est; chartas similiter pictas, voluere senum stolidorum recreatio est, quos inde verè Poëta *bis pueros* appellat.

7. Nucibus dextrè ludere & globulis, puerorũ voluptas est & sors alearum, demens & cæcum virorum studium.

Dum pueros iuglans, homines mala tessera fallit, *Horat. præfat. in*
Detinet & segnes chartula picta senes. *Emblem.*

8. Videte exitum: suas pueri nuces, postquã ijsdem se oblectârunt, comedunt; ludiones verò sæpè, se postquam omnia sua ludo perdiderunt, ad manticam, & extremum desperationis redacti, iugulant, aut alearum fasciculis haustis suffocant.

9. Vt taceam, quòd alea & ludus fortuitus recreatio sit planè diabolica, (cùm eo Deus quàm grauissimè offendatur) nulli eum melius rei cõparem, quàm idololatriæ vituli aurei; nam præterquam quòd scriptum de ea sit: *Sedit populus manducare & bibere, &* *Exod.32.* *surrexerunt ludere*; an non, cùm ludi hi nefarij alium scopum non habeant, quàm alieni auri cupiditatem, qui eisdem vacat & se dedicat, veram quandam *ido-* *Coloss.3.* *lorum seruitutem* committit?

10. Quàm detestabile hoc exercitiũ multos ad damnationẽ & animæ iacturam faciendam perducit! In- *Ioan.He-* ter infinitos testis sit iuuenis ille, S. Cyrilli nepos, qui *rolt.serm.* ab alijs grauioribus criminibus liber, ob solam hanc *12. de* ludendi consuetudinẽ & imperfectionem patruo suo *tempor.* à morte apparens, damnatum se esse reuelauit.

Fugite ergò, fratres mei, aleam: non desunt quippe aliæ honestæ licitæque recreationes & animi relaxationes, vt necesse sit non cæcæ cuidam incertitudini rationem vestram vt seruam subdere, & certo periculo vos exponere, ne, vti canis ille Aesopicus, solidum corpus amittatis & reales dum vmbram consectamini euanidam.

IV. 1. Estote etiam in vestibus modesti, idque exemplo Redemptoris nostri Iesu, qui tota vita sua alias, præter extimam simplicem, & tuniculam interiorem, vestes non habuit.

2. Memineritis oportet, vestes primo parenti nostro
Gen. 3. non aliter datas fuisse, quàm vt ijs præuaricatio eius & castigaretur & nosceretur. Vnde qui ijsdem gloriatur, non minùs ineptit & insanit, quàm si quod mancipium catena & compedibus suis gloriaretur. Sint itaque luctus & probrosæ nostræ miseriæ potiùs indicia, nec non signum, è quo manifestè pateat, quàm abiectum & vile animal sit homo, ob suam nuditatem erubescens, quòd ipse inter animalia omnia solus deliquerit.

3. Videte, quàm simplices & honestæ luctus vestes, naturalem pulchri alicuius pulchritudinem adaugeant, & quàm adscititia ornamenta dedeceant illos & illas, qui mutuatitia se pulchritudine, vt canicula Aesopica insignire gestiunt.

4. Considerate multò lanam in se digniorem & excellentiorem esse, quàm byssus & sericum, quod omnium animalium vilissimi, vermisque inquam bombycini nonnisi spuma & excrementum est: quod cùm emittit, sibi ipsi carcerem & sepulchrum construit; vti & permulti hominum sibi carceres & exilium creant dum nimios in vestibus superfluis parandis faciunt sumptus.

4. Lana etiam quò spissior, & melior & calidior est, materiæ & byssi subtiliores sæpè cogunt eos, à quibus ad ostentationem gestantur, præ frigore rigescere. Imitemur & sequamur eum, qui dicebat,

Togaque defendere frigus
Quamuis crassa queat. *Horat.*

5. Benedictus sit Deus, fratres dilectissimi, quòd nos in tenui hac vrbecula, procul à magnarum vrbium, in quibus nonnisi secundum vestium splendorem & pretium homo vestitus æstimatur, pompis & nasci & commorari fecit. Hic omnes inuicem quales simus nostraque simplicitate contenti viuimus *Nemo quippe*, aiebat S. Gregorius Magnus, *vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, vt honoratior ceteris esse videatur: nemoq; vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri.* *Hom. 40. in Euang.*

6. Deum laudo, quòd vestrarum potius vestium simplicitati mihi liceat congratulari, quàm vestram redarguere cogar profusionem & luxum: hoc vnùm vos dũtaxat honestę matronæ, rogo, vt vestra in templis capita paulò decentius cooperiatis, idque ex consilio Apostoli, *propter Angelos Dei.* *1. Cor. 11.*

7. Cogitate, Ioannem Baptisten, Ecclesiæ huius patronum, ob vestium tenuitatem simplicitatemque, à Domino Iesu laudatum fuisse. *Mat. 15.*

8. Diuitem verò Epulonem, ob suum in ijs luxum & splendorem, æternis esse adiudicatum flammis. *Luc. 16.*

9. Semper præ oculis, illustrium Sanctorum exempla, eorum inquam qui hanc in vestitu modestiam studiosissimè coluerunt, habetote: vt sancti nostri Regis Ludouici, & piæ Reginæ Blancæ, tali filio dignæ matris, B. Elisabeth filiæ Regis Hungarorum, B. Amadæi Ducis Sabaudiæ, B. Elzearij Comitis Arianensis in prouincia S. Helenæ, matris Constantini Imp. & nostro hoc sæculo sanctæ religiosæque illius Principis Parmensis, quæ dum ornamẽta pretiosiora sibi repostulante circumdaret, cum Regina Esther dicere solebat: *Tu scis Domine necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detestor illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.* Quæ verba perpetua digna sunt memoria. *Esth. 14.*

10. Si & aliquod profana exempla pondus habent, recordamini ob simplicitatem decentemque modestiam vestrum Aspasiam oculis Alexandri Magni gratiorem fuisse, quàm ob pretiosas cycladas & monilia Roxanem. Memineritis adhæc modestiæ Imperatricis Liniæ vxoris Augusti, quæ ab omnibus hoc nomine historicis in tantum celebrata est, nec non filiæ eius Liniæ, quam ob nimiam in veste superfluitatē scriptores adeò sugillant & passim reprehendunt.

Macrob. l. 2. Sat. c. 5.

11. Cogitate, vestes, aut potius frustillatas S. Francisci scruta & additis lacinijs consuta, vt venerabiles reliquias à pijs haberi, & multa Regum & Impp. paludamenta, iam putida in gloria & obscura in angulis delitescere.

Hebr. 11. Tob. 2.

12. Deniq; primi Christiani *circuibant in melotis & pellibus caprinis:* cùm ergò *filij sanctorum simus*, ne ab vestium illorum simplicitate & morum candore degeneremns, vt ad eundem quem illi finem eadem peruenire possimus via.

Et ex hactenus dictis discite, 1. quàm Domino probrosa & ignominiosa hæc vestium eius diuisio fuerit, 2. quid hæc mysticè designet, 3. ludos vetitos & aleam abhorrere, 4. modestiam in vestibus præferre & colere. Itę in pace.

FERIA II. MAIORIS HEBdomadis.

Iudæorum blasphemiæ.

HOMILIA XXXV.

Matt 27. Marc. 15. Luc. 23.

TRanseuntes *blasphemabant eum.* Inter varias quibus milites crucifigentes Redemptorem eum in cruce pendentem indignè habuêre contumelias septem Euangelistæ recensent blasphemias, quas singillatim ordine hîc percurremus. Audite.

I. 1. Prima fuit: *Vah! qui destruis templum Dei, & in tri-*

triduo reædificas illud. Quibus verbis, eius irridentes prædicationes omnipotentiam eius fugillarunt, tanquam si Verbum illud, per quod mundus vniuersus sex dierum, vel (vt interpretes nonnulli exponunt) sex instantium spatio conditus est; vnum templum, quod nisi imaginabilis & parua quædam mundi portio est, in triduo reædificare non posset. *Apud Deum nullum verbum est impossibile*: quin imò *omnia possibilia sunt credenti* in ipsum, atque adeo per vnam fidei dragmã montes ipsi loco moueri queunt. Luc.1. Marc.9. Matt.17.

2. In hac Iudæorum blasphemia communem notate mundanorum de viris pijs obtrectationem; dum eos solicitè anxieque, & magna (vt opinantur) charitate commonefaciunt, eos, si quam mortificationem vltro subeunt, sanitati suæ nocere, & corpora sua, quę *templa* sunt *spiritus sancti*, lædere ac destruere. Sed mala, mihi credite fratres, intentione hanc illi exhortationem faciunt, nihil minùs quàm de vestra sanitate soliciti; nam diabolico solùm aguntur instinctu, ad vos à benefaciendo auocandos, dolentes dum vos vident plenis velis ad pietatem contendere. Suadeo proinde, ne illici Sirenum harum fallacium cantui aures accommodetis, aliud non intendentium, quàm vt in mundi huius syrtibus triste faciatis naufragium. 1.Cor.6.

3. Dũ *corpus castigatis & in seruitutem redigitis*, mihi credite nullũ ei prorsus malũ infertis, sed illustres sãctos imitamini, qui feruore spiritus sui *facta carnis mortificarũt*. *Prudẽtia carnis mors est*, sed *prudentia spiritus vita & pax sapientia carnis inimica est Deo*, vtpote eius *legi non subiecta*. *Qui secundum carnem viuunt, Deo placere non possunt*. 1.Cor.9. Rom.8. Iac.4. Rom.8.

4. Corpus nimis incrassatũ, delicatè habitũ & enutritũ, templũ Dei esse nequit, sed potius diaboli, qui in eo velut in domicilio proprio cõmoratur, cũ omniũ sit vitiorũ receptaculũ. Atq; ideo Magdal. dicitur dũ vanitatibus mũdanis licẽter indulgeret, à *septẽ* fuisse *dæmonijs*, id est, septẽ peccatis capitalibus obsessa, interim Matt 12. Marc.16.

2. Cor. 11. terim tamen diabolus *transfigurans se in angelũ lucis* per asseclas & seruos suos persuadere homini conatur, eum, dum superfluitates carnales, (in quibus suum ipse figit habitaculum) destruit, templum Dei corpus inquam hoc, in quantum est spiritui obtemperans & parens, demoliri & euertere.

5. Vt verò videatis, quonam mundani agantur spiritu, dum aduersus discretas & moderatas seueritates detrectando insurgunt; aduertite quomodo, dum illis homo minimè auscultat, ad irrisiones & obtrectationes statim delabantur. Rident quippe disciplinas, explodunt cilicia, exsibilant ieiunia, humilitatẽ & seductionem à conuersatione mundana crassum & asininum stuporem, generositatis defectum esse dicent & stoliditatem: denique quibus non nominibus traducent?

6. Si quis austeritates aliquas suscipiat, quæ ipsorum inertiæ atque ignauiæ nimis videantur duræ, dicent eum qui paria aggreditur, suiipsius homicidam

Amos 5. esse, ac sibi vitam quodammodo eripere; *conuertentes* hoc pacto *iudicium in absynthium*, & titionem ea qua ignitus est parte accipientes.

7. Sed nolite carissimi eis aures accommodare: sunt siquidem vera organa & instrumenta Satanæ, qui si-

Gen. 2. 3. cut Adamum per vxorem suam tentauit, ita vos per inertia & effrenata hæc terriculamenta à benè agendo auocare contendit. Quin potius cum Dauide dici-

Psal. 43. te: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*

II. 1. *Secunda* blasphemia est, *si filius Dei es, descende de cruce.* An non hęc, periphrasis eorum est verborum, quæ olim cacodæmon Redemptori in deserto oggessit, *Si filius Dei es mitte te deorsum?* Inde manifestè pa-

Matt. 4. tet maledica hæc guttura nonnisi tubos esse, flatum verò & verba esse Satanæ. Omni is namque qua potest arte, redemptionis nostræ consummationem impedire contendit.

2. Sed econtra, quia filius Dei est, ideò ex eadem def-

ſcendere non debet , at in ea mori; quia teſtamentum eius ſanguineum nonniſi per mortem validum eſſe non poteſt, nec antè nos ad hæreditatem eius poſſidendam ingredi, quàm ipſe, per *clauem Dauid*, crucem inquam ſuam, cœli ianuam aperuerit. *Iſaiæ 22.*

3. Ipſe *granum frumenti* eſt, quod non in terra computreſcere, ſed *emori* debet, quo *fructum multum adferat* ſanguis eius; Eccleſiæ ipſius ſemen eſt, & quo eius ipſe maculas eluit, quo eam non habentem maculam neque rugam exhiberet. *Ioan. 2.* *Ephe. 4.*

4. Sicut igitur naturalis Dei filius in cruce mortuus eſt; ſic vos, ſi *fratres* Domini eſſe velitis, eius *voluntatem faciendo*, item eius *cohæredes*, & *filii* adoptiui *Altiſsimi*, *veſtra mortificare* debetis *membra*, *quæ ſunt ſuper terram*, nec de cruce pœnitentiæ deſcendere, ſed in ea vniuerſis peccatis veſtris quin & omnibus peccandi occaſionibus mori, vt *Chriſto configamini cruci*, ipſe *in vobis viuat*, vos verò in *ipſo moriamini*, & *vita veſtra cum* vita eius ſit conſepulta. *Crucifige*, Domine cruci tuæ *carnem* & ſpiritum noſtrum *timore* & amore *tuo*, noſque *imagini* tuæ *conformes* redde. Secundum mortis tuæ dolores nos efforma, vt dulcoris tui in omnem æternitatem dein participes reddamur. *Marc. 3.* *Rom. 8.* *Luc. 6.* *Coloſſ. 3.* *Gal. 3.* *Ibid.* *Coloſſ. 3.* *Pſal. 118.* *Rom. 8.*

1. Tertia blaſphemia hæc eſt: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Quo illi verbo ſacrum Ieſu, (id eſt Saluatoris) nomen ſponſo noſtro eripere conabantur. Reuocate in mentem, ſuos olim illi ciues per contemptum dixiſſe: *Medice cura te ipſum.* III. *Luc. 4.*

2. Sed cæcam calumniatorum horum notate malitiam. Vt enim nos ipſe ſaluaret, ſe ante perdere debebat, vti olim Codrus Rex, & Curtius Romanus; & exemplo maniſeſtiori, Ionas Propheta, quò tempeſtas detumeſceret, palam & intrepidè nautis inclamauit, ſe vt in mare proijcerent. At *pluſquam* Ionas *hic*. Vt enim nos ſaluaret, vide vt in proprij ſanguinis pelagus ſeſe deturbet. *Ionæ. 1.*

Isaia 3. 3. O Phœnix, ô Pelicane! *in te quidem mors; at in me vita.* Inde etiam illi concinit Ecclesia: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.*

4. O verè prudentes Pastores illos, qui, ad magni huius Pastoris imitationem, in ouium sibi à Domino creditarum cõseruationem & obsequium assiduè excubant! Mundus infremens inclamat, esse illis de austeritatũ rigore aliquid demittendũ quò se in aliorũ quibus prodesse queunt, salutem conseruent. Sed quis non videat aliud hos non intendere, quàm vt adulatoria & blanda sua voce, lactando decipiant, itaq; vitæ exemplaris & religiosæ, quæque ad gloriæ diuinæ augmentum mirificè faciat, cursum interrumpant?

5. Boni Pastoris partes sunt, suam libenter pro ouium incolumitate vitam exponere; & boni generosique ducis munus intrepidè sine vlla formidine discrimini caput obiectare. *Forma gregis factus ex animo.* 1. Pet. 2.

Ioan. 1. 6. Redemptor Iesus Ioannem ab vitæ seueritate commendat, hocque eum nomine apud Iudæos deprædicat.

4 Reg. 1. 7. Hoc etiam titulo Elias & Elisæus magnam sibi per vniuersum Israëlẽ auctoritatẽ compararunt.

IV. 1. Quarta blasphemia hæc erat, *Si Rex Israel est, descendat de cruce.* Cùm prioribus blasphemijs diuinitatis eum gloria spoliassent, hac eam quæ è natiuitate eius sequebatur gloriam eripere conabantur. Hæc enim, secundùm humanitatem, eum & filium Dauid, & legitimum regni eius successorem reddebat. Hac igitur faustas illas obscurare & delere studebant acclamationes, quibus illum in festo Palmarum vrbem ingredientem populus exceperat, vniuersa plebe eum & *filium Dauid* & *Regem Israel* nominante. Mat. 21.

2. Indignum sanè est, Regem in loco infami & patibulari, inimicis suis ludibrium fieri: Sed ô *inuestiga-*

stigabiles vias Dei & incomprehensibilia iudicia eius, suum ex his opprobrijs honorem elicientis! Vt enim *Moses exaltauit serpentem*, ita crucifixio extremi amoris eius est exaltatio. *Rom. 11.* *Ioan. 3.*

3. Crux eius est thronus, è quo eum descendere nefas erat, nisi simul regiæ illi dignitati, quam per lignum ei Propheta comparandam prædixit, renuntiaret. Atque ideò in quantum Rex Israel ex eadem descendere non debebat, omnis quippe eius honor situs est in patiendo, & robur eius, doloribus corroboratur. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* *Psal. 95.* *Psal. 92.*

4. Achab Rege mortuo reddita pax ISRAELITIS: sic *Christus innocens Patri reconciliauit peccatores.* *4. Reg. 1.*

5. Multi sunt, qui regni illius, cuius non erit finis, adeundi desiderio crucem quidem amplecti aggrediuntur: vbi tamen *amarum* hunc *gustare calicem* inceperunt, ex eo vlterius *nolunt bibere*, vanis quibusdã distractionibus bona sua proposita interrumpentes, sunt siquidem ceu *arundines vento agitatæ*, ac primas titillationes cedentes, & ad minimas difficultates inerter quæ cæperant arma, abijcientes Prô miseri cùm certum sit, in sola perseuer. ntia coronam repositam esse, & eum solum *saluum fore, qui perseuerauerit* bene agens *vsque ad finem.* *Mat. 27.* *Ioan. 1.* *Mat. 10.*

V.

1. Quinta, à Iudæis in Christum eructata blasphemia, ita præsumptuosa & insolens est, vt quæ maximè. *Confidit in Deo liberet eum nunc, si vult.* Videte *vt eorum superbia ascendat semper. Extollunt in altum cor suum, & loquuntur aduersus Deum iniquitatem in superbia & in abusione.* Quousq; cæca horũ scelestorũ temeritas progreditur, vt credant ne ipsum quidem Deum posse à cruce suisq; manibus liberare hûc, quẽ tã mortali odio ipsi persequebantur! Sic Holofernes Chetuliẽses, quos obsidione premebat, vlla tũ diuina *Psal. 73.* *Psal. 74.* *Psal. 30.* *Iud. 6.*

tum

tum humana negabat ope suis posse manibus eripi, aut ab obsidio liberari; & ecce, ei Deus suorum copiis vndeundiq; circumcincto, imbellis manu feminæ,
Psal. 51. superbiens caput aufert. *Confidebat* scilicet *in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriabatur, & in curribus & in equis.*
Psal. 48.
Psal. 19.

2. Sic omnis peccator, dum peccat, *os* habet ad blasphemandum *apertum*: hic quippe de Dei iustitia, ille
Psal. 108. de potentia, vnus de prouidentia alter de prouidētia
Psal. 13. diffidit ac prauè sentit: *Dixit insipiens in corde suo,*
Psal. 72. *Non est Deus,* &c. *Et dixerunt, si est Deus, aut si est*
Psal. 93. *scientia in excelso, non videbit* DOMINVS, *nec intelliget* DEVS *Iacob.*

3. Dic mihi, superbia non in diuinam potentiam
Isaia 4. blasphema est? quemadmodum manifestè colligitur è
Dan. 4. casu Luciferi & Nabuchodonosor.

4. Quid aliud est auaritia, quàm pura quædam de DEO diffidentia; perinde ac si prouidentia diuina, suis prouidere aut prospicere creaturis non posset.

5. Quid? homo ne ratione præditus ad animalia erudiendus mittatur? Videte, num bestiæ ita sint de commeatu & esca coaceruanda, num ita de futuro solicitæ? an non ideò in sua irrationalitate felices sunt,
Psa. 146. quòd in paterno bonitatis Dei sinu requiescant, *dantis iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum?* Hoc dico maximam de Deo diffidentiā passim hodie in orbe regnare, & nos credere quidem vt fideles, sed pecunias coaceruare vt infideles: ita quidem, vt plerisque hominum terra defutura videatur.

Sap. 1.
Psal. 54.
Matt. 6
Ioan. 16.
Psal. 124.

8. Sed vos, dilectæ in Domino mentes, *cogitate de Deo in bonitate*, iactate *curam* vestrā *in ipsum, & ipse vos enutriet. Quærite regnum* eius cœleste, *& omnia* feliciter vobis succedent; *confidite* in eum *qui vicit mundum: Qui confidunt in Domino,* benedicentur *sicut mons Sion:* is *non commouebitur, qui habitat in Ierusalem* diuinæ eius prouidentiæ: potest ille quidquid

quid

quid vult,& poteſt dare manna & *carnem in deſerto*, Exod. 16.
id eſt, *lapides in panes* & *filios Abrahæ* conuertere, nũ- Pſal. 77.
quam ipſe *derelinquit iuſtum*, *nec ſemen eius quærit* Matt 4.
panem. Si *homines, cùm mali ſint*, ſuos alere *norint fi-* Luc. 3.
lios, quanto magis vos ſolus enutriet is, qui flores pro- Pſal. 36.
duc t & fructus; noſque *ſatiat adipe frumenti.* Mat. 7.
Pſa. 147.
11.
1. Sexta blaſphemia eò miſericordi Saluatoris noſtri cordi fuit grauior, quò eũ qui illã eructabat, minus ab ęternę dãnationis puncto & crepidine abeſſe cerneret. Hanc ſiquidẽ euomuit latronũ alter, dicens: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac teipſum & nos.* Ictus eò ſunt vehementiores, quò eos infligens patienti adſtat vicinius: qui eminus veniunt, non tanta ingruunt vehementia: Sic latronis huius vicinitas blaſphemiam hanc & intelligibiliorem faciebat & grauiorem. Vnde dici de illa poterat: *Quare dilectus meus in do-*
mo mea fecit ſcelera multa? Iã iã animã erat efflaturus, Ierem. 11.
& ecce præ infidelitate cæcutiens, dicit: *Si tu es Chriſtus*; & deſperans, *Saluum fac teipſum & nos.*

2. Hinc diſcimus, cùm mors præforibus eſt, tunc diabolum inſtare acriùs & contentioſiùs, quò nobis fidem ſimul & ſpem eripiat, blaſphematorias & cogitationes & verba oggerens, quo mentem agonizantium perturbet.

3. Sceleſtus hic in mortis articulo deſperans, nõne in ſe liquidò oſtendit, qualis ſit vt plurimùm rabidorum illorum duellantium exitus? Vt qui interdum & Deum deteſtantes, & blaſphemantes, & execrantes & corde odium fouentes miſeram & indignatam animam exhalant; Iuliano Apoſtatæ haud abſimiles, qui maledico in Redemptorem Ieſum dente eructans blaſphemaret execrationes, ſceleſtum in dæmonum manus efflauit ſpiritum.

4. Sunt alij non multò melioris conditionis, qui cùm & libertini vixerint, moriuntur vt athei, & in
mortis articulo rident & iocantur, quem tamen arti- Hier. in
culum Hilariones, qui multis annis auſteram vitam vita.

duxerant, adeò perhorreſcebant. An non hi propriè diaboli martyres ſunt, quorum mendacem riſum non multò poſt æternus *luctus occupabit*? Audite Sardanapalos hos, *Edamus & bibamus: cras enim moriemur.*

Prou. 14. 1. Cor. 15.

VII.

1. Septima & vltima blaſphemia, quam notaui, hæc eſt, quæ etiam cum ſubſannatione & irriſione aliqua prolata eſt: *Dixit quia filius Dei ego ſum.* Mordax ſarcaſmus, qui abſolutè negabat Dominum eum eſſe qui erat, filium ſcilicet *eius*, *qui eſt*. Nihilominus patiens noſter Redemptor, Samſone, & Eliſæo tolerantior, negationem hanc æquo animo fert, ne verbo quidem eam refellens, vti & alias blaſphemias omnes, vt hinc diſcamus in iniurijs & conuicijs *non nos defendere, ſed dare locum iræ.*

Exod. 3. Iudic. 16. 4. Reg. 2. Rom. 12.

2. Conſiderate nihilominus, quàm grauem & moleſtum ſatanicæ hæ calumniæ velut echo reſonantes, *in cauernis maceriæ*, corporis & aurium BENEDICTI IESV ſonum excitare debuerint.

3. Non flagella, non claui, non ſpinæ ita corpus eius dilacerant, quàm cor illius hæ blaſphemiæ: conuicia enim in calamitoſum eructata longè illi grauiora & intolerabiliora ſunt, quàm ipſa qua premitur calamitas; procaciæ & petulantes inſolentiæ animo generoſo nimis quàm grauia ſunt iacula.

4. Nec ſatis nefarijs illis erat hæc ore imperare, niſi & exſibilando, rictum porrigendo, alijſque irriſorijs geſtibus ea exprimerent, quò oculos eius elanguidos, & præ morte inſtante iam propè emortuos nouo etiam dolore afficerent: quò hæc vaticinia adimplerentur: *Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput, plauſerunt ſuper me manibus; omnes tranſeuntes per viam, opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper me.* Sed quare, ô mitiſſime Agne, non *operiuntur pudore & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper te?*

Pſal. 21. Pſal 88. Pſal. 70.

5. Quin ô maledictæ blaſphemiæ, quin ô nefanda & horribilis inferorum harmonia (apud nos nimirum diaboli & damnati aliud non agunt, quàm vos aſsiduè eructare) in cauernis illis ſubterraneis maneatis? Cur tuas, ô putens putee infernalis fauces terram verſus aperis, ad tetram hanc nubem, à qua aër inobſcuratur & offuſcatur; exhalandam? quid enim, veſtro iudicio, aliud vapor ille Apocalypticus eſt niſi ipſa blaſphemia, quæ honorem Dei obſcurat, & gloriam eius eripit, vtpote eius magnitudini ſe directè opponens? Infame hoc ſcelus deteſtemini, fratres, nullum aut commodum aut voluptatem includens quàm puram ſuam malitiam: vndè etiam infernale & merè diabolicum peccatum eſt. *Apoc. 9.*

6. Nolite obſecrò imitari rebelles illos Semeidas, *2. Reg 19.* qui innocentem & deſolatum noſtrum Dauid maledictis proſcindunt: nam Deus tandem *retribuit abundanter facientibus ſuperbiam.* *Pſal. 30.*

Vt verò ſeptem has vires execratorias contrarijs armis elidatis, 1. amate mortificationem, 2. crucem nolite deſerere, 3 bono alijs exemplo prælucete, 4. efficite vt Dominus noſter Ieſus ſuper cor veſtrum crucifixum regnet, 5. in illo fiduciam omnem collocate, 6. in fide ſolidi permanete, 7. *Laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Amen. *Dan. 3.*

FERIA III. MAIORIS HEBdomadæ.

Septem Domini noſtri Ieſu Chriſti in cruce verba.

HOMILIA XXXVI.

Luc. 23.
Ioan. 19.

IEſus autem dicebat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Quam iam tractandam ſuſcepimus, mate- *Mat. 27.* *Marc 15.*

materia infinita foret, si quis diffusè eam prosequi vellet: nobis sufficiat singula horum verborum paucis excutere, velut carptim ea delibare, quasi totidem faui mellei cellulas, idque eo quo prolata sunt ordine.

I. 1. Primo verbo suis à Patre æterno veniam petit inimicis, atque adeò ijs, qui ipsum in crucem egerant. O prodigiosam sponsi nostri bonitatem, misericordiam & patientiam, vt qui in hoc minor fuit etiam *verme*, suam, dum impetitur, replicante & exserente caudã, quò petat eum à quo comminuitur caput! Hem, quã ipse *præstabilis super malitia, longanimis & multum misericors!* quàm etiam ipse libenter ijs ignoscebat, cùm Patrem suum tanto rogat affectu, vt ijs ignoscat!

Psal. 21. *Ioel. 2.*

2. Singula horum verborum iam paucis expendamus. *Pater*, nomen amoris est & dilectionis: ergo per titulum omnium amabilissimum, quem inuenire poterat, per substantiæ inquam & essentiæ suæ cum eo vnionem & identitatem eum coniurat (*Ego & Pater vnum sumus.*) Potens sanè hæc obsecratio est, quæque repulsam ferre neutiquã poterat. *Per caput hoc iuro*, magni apud veteres iuramenti formula erat; atqui *Christi caput Deus* est, & perinde ac si dixisset,

Ioan. 10. *1. Cor. 11.*

Per si qua est cælo pietas, quæ talia curet.

Hebr. 5. 3. Hinc etiam *exauditus fuit pro sua reuerentia*: nam plures, etiam ex ijs, qui ipsum crucifixerant, in ipsum crediderunt, vti centurio, & alij ex eius cohorte milites, qui sua percutientes pectora, ac de commissis dolentes dicebant: *Verè filius Dei erat iste.*

Luc 23.

4. *Pater*, quasi si dixisset: Agnoscisne me, Pater mi? vox mea, vox est Iacob electi, tametsi sordidis & immundis scelerum reprobatorum Esau pellibus tectus sum. Atque in hoc schemate, fratres, *in similitudinem carnis peccati factus*, colicas super nos benedictiones attraxit, *regenerans nos in spem viuam*, qua *gloriæ* eius fieri paticipes & *cohæredes speramus.*

Gen. 27. *Rom. 8.* *1. Pet. 1.* *1. Pet. 3.*

5. Di-

5. *Dimitte illis.* Videte vt ſanctam illam orationem, quam nos docere dignatus fuit, ad praxin & vſum reuocet; in qua dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matt. 6. Notabitis hîc, niſi *ex corde remittamus*, quæ in nos peccata ſunt, Matt. 18. ſed rancorem & iram in corde adhuc fouentes hanc orationem recitamus, adeò non orare nos, vt etiam blaſphememus, & *pro benedictione maledictionẽ* in nos Gen. 27. deuocemus; cùm rogemus vt non aliter nobis ignoſcat Deus, quàm ipſi inimicis ignoſcimus in nos peccantibus. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum penes tuum.* Pſal. 49.

6. *Sicut.* Bonus hic magiſter non præfixit quantum dimittere debeamus, ſciens quanta ſit inter delicta, quæ ipſi in Deum committimus, & ea quæ in nos alij admittunt differentia: quid verò eſſet, ſi tantum nos proximo dimittere oporteret, quantum Deus nobis ignoſcit?

7. *Quia neſciunt quid faciunt.* O admirabilem & inimitabilem aduerſariorum ſuorum patronum! ô inimicorum iuratiſsimorum aduocatum! qui cùm eos planè à crimine immunes eſſe pronuntiare non poſſet, pro eo tamen ac poteſt eos excuſat, & ignoranter id eos aſſerit feciſſe. *Si enim cognouiſſent,* DOMINVM *gloriæ nunquam crucifixiſſent.* 1. Cor. 2.

8. *Filioli hæc dico vobis, vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.* 1. Ioan. 2. Hem quàm prodigioſa tua eſt, ô Patrone incomparabilis, miſericordia, vt etiam pro ijs qui te tanta indignitate & crudelitate offendunt, intercedas! *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Ibid. Benedictus ſit in æternum talis mediator, tam redemptionem quàm & interceſsionem concilians: benedicta ſit eius miſericordia, & *copioſa* eius *redemptio.* Pſal. 129.

II.

1. Secundum verbum ad bonum latronem direxit, cui

cui postquam fidem inspirauit, eiusque pœnitentiam agnouit, subintulit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

2. Egregium, obsecro, charitatis ordinem notate in Domino Iesu. *Verè Domine*, inquit S. Leo, *tu semper occurris maiori necessitati.* Primò namque in genere pro omnibus orat peccatoribus, deinde ad particularem descendit; vt hinc doceamur tam generaliter quàm specialiter pro alijs orare. Vnde & oratio Dominica ita composita est, vt in communi pro omnibus per eam oretur, vt colligere est ex illis verbis, *noster, nostra, nostris, nos.* Bene proinde ille dicebat, qui ait: *Respublica salua saluas priuatas res præstat.* Quare dum pro toto Ecclesiæ oramus corpore fideles omnes, velut eius membra, tacitè comprehenduntur: *Quoniam*
Ephes. 4. *sumus*, vt loquitur Apostolus, in hoc corpore *inuicem membra.*

3. Adhæc, qui Dominum crucifigebant, sicut in sua malitia magis excæcati erant, ita eius oratione magis opus habebant, quàm qui secum in eodem versabantur supplicio; hinc primò pro illis orat, deinde ad orandum pro his tandem delabitur.

4. Inter quos vnus fuit reprobatus, vt Esau, alter ve-
Rom. 9. rò electus vt Iacob.
Ibid. 5. Vnus, factus vas in honorem, alter in ignominiam.

2. Tim 2. 6. Vnus ad dignitatem euectus, regni & gloriæ Domini factus particeps, alter æternis supplicijs ad-
Gen. 40. iudicatus, vti duo illi Iosephi in carcere Pharaonico socij.

7. Inde verum esse comprobatur, illud de Redem-
Mat 21. ptore prædictum, ipsum fore scilicet vni *lapidem of-*
Psal. 117. *fensionis*, alteri *ædificationis*, & *in ruinam & resurre-*
Luc 2. *ctionem multorum* ponendum.

8. Videte hîc eadem operâ, quomodo Dominus ve-
Act. 1. rè sit qui simul *faciat* & *doceat*, qui *faciat* & *dicat*,
Psal. 48. cuius verbum & factum idem quid sunt. Videte, vt in se-

in ſecundo hoc verbo primum quod protulit, executioni mandet, huic latroni ignoſcendo, qui, dum vixerat, ſuis ſe latrocinijs & cædibus iuratum eius reddiderat inimicum. Quamobrem *fidelis eſt Dominus in omnibus verbis ſuis, & non tardat promiſsionem ſuam.* Psal. 144. 2. Petr 3. Beati tum demũ erimus, dilectiſsimi, ſi in infallibilibus ſponſi noſtri promiſsis conſolemur, & in ijs ſolidam ſpem ponamus; hic quippe magnam nobis *pacem* promittit, ſi eius *legem diligamus* & obſeruemus. Psal. 118.

9.10.11.12. Aliud apud homines ſæpenumerò eſt promittere, aliud promiſſa præſtare; ſed in Deo idem quid eſt. promittere & re exequi. Promittit ſe Lazarum ad vitam reuocaturum, & de facto facit: Adoleſcenti mortuo ait: *Surge*, & ecce ſtatim is ad vitam redit: Leproſo, *volo mundare*, & confeſtim mundatus apparuit: vndè meritò & dixit CENTVRIO: *Dic tantum verbo, & ſanabitur puer meus.* Ioan. 11. Luc. 7. Matt 8. Luc 7.

13 Non ſatis eſt dicere, Faciam; niſi voluntas bona ilico executioni mandetur: non quicunque dicunt: *Domine, Domine*, id eſt quia bona concipiunt propoſita, & eà opere non præſtant, *intrabunt in regnum cœlorum*: ſoli *violenti*, & laborantes ipſum ingrediuntur, & *rapiunt illud.* Mat. 7. Matt. 11.

14. Chriſtus ecce primò orat Patrem, vt inimicis ſuis ignoſcat, ſicut ipſe de facto & reipſa latroni, qui eius fuerat inimicus, ignoſcit. Optima ſtatim de noſtris delictis conſequendæ veniæ ratio eſt, ſi ex animo & libenter eam concedamus ijs qui in nos deliquerunt.

III.

1. Tertio Dominus verbo benedictam ſuam matrẽ compellauit. Nec mirum vobis videatur, quòd eam crucifixoribus & latronibus poſtponi in ordine videatis. Vt enim, poſtquam quis periculoſum in corpore vulnus accepit, ſtatim omnis ad illud ſanguis adfluit, quaſi parti malè affectę & periclitanti

 opem

opem allaturus, alias integras & bene habentes deserendo; sic tortores & Latrones, auxilio suo magis præ alijs indigentes, in benigni Saluatoris nostri miserationum catalogo primo & summo quodammodo loco superstant.

Matt. 18. 2. Aut potiùs, quia ipse bonus ille pastor est, qui nonaginta no e oues in ouili relinquit, quo centesimam errantem quærat, inuentamque ad caulas reducat.

Matt. 9. 3. An non ipse, bonus & clemens ille medicus est, qui curare venit malè habentes, non benè valentes? Marc. 2. An non *venit vocare peccatores, non* verò *iustos*? fortè dignitatis ordinem non seruat, seruat tamen charitatis, quæ maximè ope indigentes ante omnes iuuare incipit. Sic filij malè valentis mater præ alijs curam gerit.

4. *Mulier ecce filius tuus.* Matris eam nomine non compellat, ne blandum hoc nomen ingenti cor illius amaritudine compleret, & velut gladio trãsfoderet. Genitorem verò suum æternum Patris idcirco nomine inuocat, vt eius iram leniret, quòd enim ad vindictam sumendam paratum & mille fulminibus instructum, & in sceleſtos hos carnifices indignari animaduerteret.

Exod. 32. 5. Et in Iudæos hos magis exacerbatum, quàm olim in ipsorum fuit patres, aureum in deserto vitulum adorantes: vnde cùm illos is exterminio delere de terra vellet; noster ecce Moses, iusto eius furori se obicem obijcit, & retinet iratum, dicens:: *Ignosce illis.*

6. Sed eheu! benedictam matrem suam ita dolore oppressam & compatientem sibi videbat, vt verbo adeò sensibili, vti ipsa maternitas est, compellare eam non auderet, nec partem hanc malè affectam tangere veritus, ne nouum dolori dolorem adderet, si modò inaugeri is poterat, qui nimirum ad extremum venerat.

3. Itaque prudens hic medicus, cùm malum eius & mor-

& morbum penitùs auferre non posset, ipsum saltem ad partem non adeo delicatam diuertere satagit, dicens: *Ecce filius tuus*, dum Ioannem in suum substituit locum; perinde ac si diceret, non penitùs eam filio orbandam, sed duntaxat cum alio eum permutaturam.

8. Beatus ille, fratres, qui vel Deum amat, vel à Deo amatur vt Ioannes; is quippe Deum in se, vti solem speculum, per vnionem amoris repræsentat. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Amemus Iesum, carissimi, si adoptari à Maria in filios velimus. 1. Cor. 6. 1. Ioan. 3.

IV.

1. Quartum verbum, quoddam velut impendium, & quinta essentia omnium sensibilium Domini Iesu dolorum fuit: quādo nimirum humanitatem eius diuinitas doloribus velut in prædam dedit eam, vt docent Theologi, intensiuè omnes qui excogitari fingique possunt, dolores & martyria sinendo pati: adeò quidem, vt omnes simul Martytes, nunquam similia subierint. Vnde etiam propter hoc *Rex gloriosus Martyrum* dici meruit.

2. Dauid angustijs oppressus, & doloribus circumdatus, olim sic loquebatur: *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Et rursum: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear, propter hoc lætatum est cor meum?* Deinde, *si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum, quia in Deo meo transgrediar murum.* Apostolus Dei ope omnia sibi asserit fore possibilia: *Omnia possum in eo qui me confortat: Si Deus pro nobis quis contra nos?* Imò, cum Deo possumus omnia, sed sine ipso nihil, ne quidem vel *boni* quid *cogitare*, eodem Apostolo teste. Psal. 22. Psal. 15. Psal 26. Psal 17. Phil. 4. Rom. 8. 2. Cor. 3.

3. Nolite itaque mirari, si suis in tormentis Martyres tantam prætulerint constantiam, cùm Stephanus & alij plurimi Deum haberent vel ante oculos, vel intra se.

4. Sed tulisse dura, & derelictum fuisse, solius illius fuit, qui hodie ad Patrem clamauit: *Heli, Heli, Lamasabathani? Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Nunc itaque mitissime Agne, *dereliquit te virtus tua, & lumen oculorum* tuorum *& ipsum non est* tecum.

Psal. 37. Psal. 29.

5. Dixit aliàs Dauid afflictus: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Cùm autem Pater æternus suam à tragico hoc spectaculo, filio inquam suo in crucem acto, faciem auertat, mirumne est, à conuulsionibus internis & doloribus mortis eum conturbârit?

6. Heu *pupille sine patre*, at puer orphane! scriptum de te est, clementissime Pater: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris & maligni.* Verumque esse ostende illud, quod de te est oraculum: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.*

Thren. 5. Psal. 9. Psal. 10. Psal. 83.

V.

1. *Sitio.* Est hoc quintum Domini in statu hoc misero verbum breue quidem, sed quod magnam in breuitate suam energiam habet, adinstar guttæ scilicet, quæ per ignem ad minimam quantitatem iterata decoctione redacta est; quodque sub tenui apparatu & specie rei & substantiæ plurimum continet.

2. Noster itaque ceruus anhelus ad extrema redactus est: Iudæi namque venatores, immites & furibundi eò eum compulerunt, vt in proprij se sanguinis lacum vltrò immerserit, in quo, etiam adinstar Tantali, medios inter liquores præ siti emoritur. Benè locum hîc habet illa Psalmistæ prophetia: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: Sitiuit in te anima mea, &c.*

Psal. 41. Psal. 62.

3. Sed quæ sitis huius in Domino nostro causa est, nisi vnicum salutis nostræ desiderium? hanc scilicet aquam sitit, vti contemplatiui omnes hoc loco docent.

4. Quid

4. Quid igitur *tardamus* ad ipsum *conuerti*? cur de *vberibus* illum nostris, sanctis inquam sanisque affectibus nostris, *sugere* non finimus? Eccl. 9. Cant 7.

5. *Quis dabit capiti nostro aquam, & oculis* nostris *fontes lacrymarum*, quò de aqua hac cordiali & quintessentiata Dominus bibat? hanc ille prę omni alio liquore amat & concupiscit. Hæc eius nepenthes & ambrosia est. Ierem. 9.

6. Ipsa *ros* est, quo caput suum irrorat, in Canticis. Cant. 4.

7. Da nobis, magne Caleb, vti vetus ille Caleb filiæ suæ Axæ, aut *irriguum superius* aut *irriguum inferius. Velociter exaudi* nos, *quia anima nostra sicut terra sine aqua tibi.* Lacrymas largire vel interiores, vel exteriores, quas conceptus de commissis in te ô bonitas & pulchritudo incomparabilis, dolor exprimat. Iud. 1. Psal 142.

8. Quid? potuit petra in deserto olim Israëlitis aquam dare: & animæ nostræ eò desertiores erunt, & corda nostra saxis duriora? Si, ô saxa, aquas effundere non possitis, scintillas amoris saltem emittite. Num. 20.

1. Sextum verbum fuit: *Consummatum est.* Ecce, vt fax nostra vltimas suas flammas iam exerat, adeò scilicet verum, *Deum* nostrum *ignem consumentem esse.* VI. Deut. 4.

2. Facis huius cera, sacra eius erat humanitas: *Erat cor eius tanquam cera liquescens in medio ventris* eius, & sancti amoris ignis sacrum hoc *holocaustum deuorabat.* Psal. 21. Leuit. 9.

3. Fuit itaque agnus totus assatus, & penitùs absumptus. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. Cor. 5.

4. Ecce, vt *sponsus* noster *sanguinis* cruentum suum cum sponsa Ecclesia matrimonium in mortifero crucis lecto consumat, *faciens de tumulo thalamum.* Quotnam è pretiosi huius sanguinis Exod. 4.

Gen. 23. semine proles generabuntur & regenerabuntur!

5. Per Isaaci huius immolationem magni Abrahami semen *sicut stellæ cœli, & arena quæ est in littore maris*, quin etiam ampliùs *multiplicabitur*. Gen. 26.

Ephes. 5. 6. Videte fratres mei, *quantum Christus dilexit Ecclesiam, tradens semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mũdans illam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, sed vt sit sancta & immaculata.*

7. Videte hîc denique, vt vnicus & verus Phœnix noster in crucis se strue consumat, sanguinis sui aromatibus delibutus & madescens, *propter nostram iustificationem moriens*, vt *ad nostram glorificationem* resuscitaretur, omnia *ad consummationem corporis sui. quod est Ecclesia.* Rom. 4.

III. 1. Septimum & vltimum Verbum fuit hoc: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Non tam porrò orat, quòd suam necesse haberet animam in manus Patris commendare, quàm vt nobis exemplum daret, vt *quemadmodum* ipse *fecit, sic & nos faciamus*: nam, vt de veteribus Patribus aliquis scribit: *Omnis Christi actio nostra est instructio.*

2. Quàm verò hæc præclara nostri Deo commendandi formula est, & vt à nobis singillatim expendatur, digna! *Pater*, nomine hoc mortis amaritudines dulcorantur, cùm nouerimus, animam nos non in Dei alicuius immitis & implacabilis, sed clementissimi Patris, *qui vult omnes saluos fieri*, nisi propria ipsorum malitia desiderium & voluntatem hanc eius infringat, manus exhalare. 1. Tim. 2.

3. *In manus tuas.* Sunt illæ caræ & gratiosæ manus, à quibus esse nostrum accepimus: *Domine manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me. Opera manuum tuarum ne despicias.* Si tanta pictores & sculptores opera sua & imagines, quas magno labore & industria fecerunt, solicitudine conseruare student, quanto erit Deus in suo quod tam multò illi constitit sanguine, Iob 10. Psa. 137.

conser-

conseruando diligentior? *Domine in manibus tuis sortes* nostræ: In manu tua situm est, nos vasa aut in honorem, aut in contumeliam facere. *Psal 30.* *Rom 9.*

4. *Commendo spiritum meum.* Quàm tu, ô sancta, salutaris, excellens resignatio Deo es & grata, præsertim in mortis hora! Tu es formosa illa Abigail, quæ iustam cœlestis Dauidis iracundiam & vindictam, quam de terrestri Nabale, id est, peccatore, sumpturus erat, impedis & auertis. *1 Reg 15.*

5. *Beatus seruus ille*, fratres, *quem cùm venerit Dominus, inueniet vigilantem*, & orantem, & *lampadem ardentem in manibus* habentem. *Beatus* ille, *qui in Domino morietur*, id est, perfectè eius voluntati resignatus. *Luc 12.* *Matt. 25.* *Apoc. 14.*

6. Quin cum Apostolo dicere possumus: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus*: eius esse poterimus, *si abnegantes impietatem, & secularia desideria piè & iustè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* *Rom 14.* *Tit 2.*

Hæc septem Christi verba hodie, obsecro, sedulò vobiscum expendite, & ite in pace.

FERIA IV. MAIORIS HEBdomadæ.

Mors Redemptoris D. N. Iesu Christi.

HOMILIA XXXVII.

ET *hæc dicens inclinato capite tradidit spiritum, emisit spiritum, expirauit.* Primò, hanc capitis inclinationem expendemus, 2. ostendemus Iesum ex amore mortuum esse, 3 quomodo benedicta eius anima ad limbum descenderit, 4. tres potissimùm, quæ in Christo crucifixo luxêre virtutes, ex *Luc. 23.* *Ioan 19.* *Matt. 27.*

magno

magno aliarum plurimarum numero seligamas nobis imitandas.

Leuit. 1. 1. Paschalis agnus diligener ab Israelitis inspici examinarique debebat, minuta etiam quædam circa eum notando. Sic nostrum est, Christum Iesum in cru-
Apoc. 5. ce fixum, qui verus est *agnus*, occisus & *immolatus pro peccatis nostris* inspicere, etiam minimos eius gestus & motus curiosiùs obseruando. Quod vobis documento futurum, vt omnes Ecclesiasticas ceremonias, ac præsertim eas, quæ in sacrosancto Missæ sacrificio vsurpantur, in quo Sacerdos, (qui in eo personam Christi Domini repræsentat) nullum omninò gestum facit, qui non illustre quoddam mysterium declaret, magna in veneratione habeatis, ad easque attentè aduertatis.

2. Hæc visum præmittere, occasione illius inclinationis capitis quam hic Dominus moriendo facit, quę amplum spiritualibus omnibus imaginandi speculandique campum præbet Omnes actiones tuæ, ô mundi Saluator, semper quædam fuêre descensiones, deuolutiones & inclinationes. An non enim in incarnatione tua caput, id est, diuinitatem tuam inclinasti, quo *eius lumen*, vt loquitur Augustinus, *nostro limo*
Psal 17. *coniungeres*? Propterea optans dicebat Propheta: *Domine inclina cœlos & descende*: & in symbolo suo canit Ecclesia: *Qui propter nos homines descendit de cœlis, & incarnatus est.*

3. Non iam Rebecca est, descendens camelo, quò
Gen. 24. Isaaco suo in occursum properaret; sed ipsemet Isaac, de *cœlo sancto suo* descendens & *de potentatibus*, quò naturam nostram humanam in vili stabulo, & in præsepis lectulo sibi in coniugem assumat.

4. Non iam Esther est sub aurea Assueri virga sese
Esth 1. incuruans; sed ipsemet magnus Assuerus, sub *ferrea* miseriarum humanarum *virga* se inclinans.

5. In illo incarnationis mysterio diuinitatem suam
Psal. 2. inclinauit; hîc verò profundum quendam humani-

tatis

tatis gradum humanitatem *adusque mortem, mortem autem crucis* inclinat. *Phil. 2.*

6. Vt papauera & lilia rore vel pluuia grauidata vel caule fracto, pendulo, & elanguente repanda flores suos terram versus demittunt: sic *lilium* nostrum *conuallium*, letargico mortis opio obbibito soporari volens, caput suum, non iam *guttis noctium*, sed proprij sanguinis grumis grauidum incuruat. *Cant. 2.* *Cant. 5.*

7. Ad vsq; vltimũ sanè vitę habitũ, dulcissime sponse, *non habes vbi caput tuum reclines.* An verò nullum hoc in auditorio cor inueniam, quod, ceu ceruical & puluinar, inter mentũ & pectus Domini collocem, in quo elanguidum & emoriens hoc caput in terram vergens reclinem. Si ipsum retrorsum in crucem reflexisset, coronæ & aculei profundiùs capiti se inseruissent; si id in brachia dimisisset, tum manuum transfixarum nouo hoc pondere dolorem adauxisset: Nullus ergò locus suauior & commodior quàm proprium pectus. *Matt. 8.*

8. Quis mihi det, dilectissime sponse, vt in meum pectus, vt *fasciculus* quidam *myrrhæ* recumbas Equidem nec spinarum tuarum aculeos, nec clauorum puncturas perhorresco. *Pone* me igitur, *vt signaculum super cor meum.* *Cant. 1.* *Cant. 8.*

9. *Inclinat caput.* Non iam sub pondere cœli, sed sub iniquitatum mearum, quæ *sicut onus graue grauata sunt super te*, inferno fatiscens gemis ô Atla.

10. *Inclinat caput.* Sed videte, vt is qui se *fontem* vocat *aquæ viuæ salientis in vitam æternam*, descendat, vt reascendat, se demittat, vt exaltetur. Nam *quis est qui ascendet nisi qui descendit in inferiores partes terræ?* quare illa veritas confirmatur: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* *Ioan. 4.* *Ephes. 4.* *Matt. 23.*

10. Idcircò etiam benedictũ suum caput inclinasse videtur, vt osculũ pacis nobis impertiret, & quoddã hoc pacto nostræ cũ patre suo recõciliationis signum ostende-

ostenderet. Respicite eius & caput pendulum, & brachia ad nos amplectendos, & amore incendendos aperta:

Cernitis vt pronum flectat caput, vt pia pandat
Brachia, & ingratas vocet ad sua munera gentes,
Scilicet amplexus non reiecturus amicos.

11. *Inclinat caput. Domine inclina aurem tuam mihi,* Psal. 85. *& exaudi verba mea, mirifica misericordias tuas.* An non hinc agnoscimus, illum hoc signo ostendere velle, nostras deprecationes & postulata concedere paratum. Liberè ergò ab eo postulemus, cùm ad iustas nostras petitiones admittendas ita eum dispositum videamus.

12. *Caput* suum denique *inclinat*, tanquam *paries inclinatus, & maceries depulsa*: nam iam *virtus* & vigor vitalis eum *derelinquit*, & *lumen oculorum* eius deficit, nigro caliginis velo obuelatum. Psal. 61. Psal. 37.

II.

1. *Emittit spiritum, & creantur, & renouatur facies terræ.* Psal. 103. In creatione mundi *spiritus Domini ferebatur super faciem abyssi*: Gen 1. in creatione verò spiritus Christi ad intimas lymbi cauernas penetrat infernalis chaos confusionem dissipaturus, & filios *lucis* à filijs *tenebrarum diuisurus*. Luc. 1. Lucidus ille *Orientis sol illuminatum* abit eos, *qui sedebant in tenebris & vmbra mortis ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.*

2. Hinc discamus, fratres mei, visitare loca sancta, eaque vilissima & contemptibilissima, hospitalia, cauernas, carceres, ad solis nostri imitationem, qui non minùs super lutum quàm rosas radios suos spargit, & obscuros inferni carceres illustrare non dedignatur,

34. Colligamus meritorum margaritas in fimario paupertatis, exerceamus charitatem in carceribus sicut & aurum in locis subterraneis inuenitur. Etsi putei profundi sint & demissi, non ideò minùs claras inde aquas hauriemus.

5. Veni, ô agne sancte, ô pasilia nostrum desiderabile, veni per sanctam communionem, & ad interioris nostri

nostri cauernas, & cordium nostrorum abyssum de-
scendere digneris: *Disrumpe vincula* iniquitatum no-
strarum, *tibiquè sacrificabimus hostias laudis.* Ani- *Psal.* 118.
mam, obsecro, meam, quæ per passionum ataxiam ve-
rum quoddam chaos est suauissima præsentia tua, si-
cut paradisum effice.

6. Quonam Patres illos sanctos, in carceribus se-
pulcralibus detentos, & in tetra illa caligine sepul-
tos, perfusos gaudio fuisse putatis, cùm *desideratum* *Agg* 2.
illum *cunctis gentibus* intrantem viderunt? non mi-
nori sanè quàm mancipia naualia & captiui solent
efferri, dum libertate donãtur; aut ægri, dum sanita-
ti restituuntur; aut afflicti, dum è diuturna ærumna
eripiuntur.

7 8 9.10.11.12.13.14 15 16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.

Fuit tum illis verè *dies boni nuntij*, tunc quoque *ex-* *4. Reg.* 7.
ultationes Dei fuêre in gutture eorum. Dicere poterat, *Psal.* 149.
protoplastus noster Adam, *redemptionem* videns iam *Luc.* 21.
prope esse: Ecce hic vera arbor est vitæ: tua, ecce semen *Gen.* 2.
à quo serpentis caput est conterendum. Abel: Ecce A- *Gen.* 3.
gnum *occisum* iam inde *ab origine mundi*: Noë, Ecce *Gen* 4.
arca mea: Abraham, Ecce hic vnus è tribus illis, quos *Gen* 6.
in vnitate adoraui: Isaac hic est aries spinis implexus *Gen* 22.
& obsitus, qui pro me oblatus in sacrificium fuit: Ia- *Gen* 28.
cob, hic mea scala mystica: Ioseph, hic meus manipu- *Gen.* 27.
lus: Moyses hic meus rubus, virga & verum manna: *Exod.* 3.
Iosue, hic est sol retrogradus: Debora, hic mea palma: *Exod.* 33. *Ios* 10.
Gedeon, hic meũ vellus: Iephte, hic holocaustum me- *Iudic.* 4.
um humanum: Samson, hic leo meus, fortis simul & *Iudic* 6.
dulcis: Dauid, hic Christus est quem toties decãtaui: *Iud* 10.
Isaias, Ecce virgam floridam de radice Iesse. Ieremi- *Iud* 16.
as: Ecce qui *languores nostros portauit*: Ezechiel, Ecce *Isaiæ* 11.
qui solus per portam Orientalem transiuit: Daniel, *Isaiæ* 53.
Ecce lapidem sine manibus à monte reuulsum. Om- *Eze.* 44.
nes denique Prophetæ communi quadam voce: Ecce *Dan.* 2.
eũ hîc ante oculos, quẽ aliàs præsignificauimus. San- *Ioan.* 1.
ctus Ioannes Baptista, qui iam nuper in lymbum il-
lum descenderat: *Ecce Agnus Dei*, cuius aduentum

propediem futurum vobis annuntiabo. Et simul omnes *cantabant Domino canticum nouum , laus eius in Ecclesia sanctorum, lætabitur Israel in eo, qui fecit eum.* Tunc quoque reipsa adimpleta est illa Isaiæ prophetia : *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam.*

Psal.149.
Isaia 9.

27. Horum Sanctorum gaudium, fuit dæmonum & damnatorum terror, qui, ceu malè ominosæ noctuę, vt primùm insolitum illum splendorem, qui ab benedicti Saluatoris anima promicabat coràm conspexêre, vlulantes infrenduerunt, & præ pauore contremuerunt, videntes se iam è carcere hoc obscuro expelli, quò in horribiliorem aliquem relegarentur.

28. Heu! quanta Satanam regem superborum tunc inuasit confusio, quò ita vires suas elidi frangique cerneret? quonam desperationis mors redacta, ita se debellari dum videret? quo infernus furore insanijt, quòd hodie se exspoliari diripique perspiceret. Hic crucis notate potentiam, dilectissimi, quæ *vectes ferreos confregit, & portas ferreas,* quibus terrifici hi carceres occlusi erant *contriuit,* quæque multos Ionas è terribilis huius balenæ ventre, in siccum exire fecit.

Psal.106.
Isaia 45.
Ion.1.
Dan.6.

29.30. Et plures Danieles ex hac fossa leonum emisit, eos ex lacu sine aquis educens.

31. Quæ verò damnatorum fuit rabies, dum tot beatos Patres à se viderent educi, eosque vnà *cum Domino* Iesu *in aera* ad gloriam *rapi*, se verò in sempiternis ignibus ad semper duratura reseruari incendia?

1.Thess.4.

32.33. Non est hic Neptunus, cui vt fingunt Poëtæ

Fudit equum tellus magno percussa tridente.

non etiam fictitius ille & fabulosus Cadmus, qui è sparsis draconis dentibus homines enasci fecit: sed ipsemet

ipsemet Dominus Iesus, qui crucis suæ sceptro inferos concutiendo perfregit, & draconis tartarei caput comminuens, infinitos eius faucibus Patriarchas eripuit.

34. Denique verus noster Moyses est, qui crucis suæ virga mare rubrum perrupit, & domum Israël saluans, & è terra Aegypti, & domo seruitutis eum eripiens, Pharaonem, omnemque eius exercitum mersit & obruit. Exod. 14.

1. Sed interim dum animæ huius gloriosæ vestigia ponè lego, & vnà cum tot Sanctorum manipulo currum eius triumphalem stipo, vt considerem eam *expoliantem principatus & potestates, & traducentem confidenter, ac palàm triumphantem illos in semetipso*; sanctum Petrum in monte Thabor inuitat is; non aduerto, me, quòd gloriæ illius fulgore ita abripiar, summum charitatis eius apicem penè præterire, illam, inquam, qua *posuit animam suam pro ouibus suis*, eamque à corpore solui permisit. Quando autem hæc dissolutio facta, nisi in morte eius? cùm mors aliud non sit, quàm quædam animæ à corpore separatio? Quomodo ergo oculos ab illo gaudio ad hunc luctum, ab illo splendore ad has tenebras conuertere poterimus? Et quis non oculos à tam tristi spectaculo auerteret? Quis bonæ indolis filius siccis patrem suum oculis exspirantem videat? imò quis sine summa cordis amaritudine talem agoniam vel referre vel audire queat? III. Coloss. 2. Mat. 17. Ioan. 10.

3. Benedictus itaque esto sponse noster, qui doloribus & tormentis tuis suauitates & mel permiscuisti; vt sic eorum nobis & consideratio & vsurpatio faciles viderentur.

4. Putatis forsitan, fratres, me iuxtà Apostoli doctrinam, ostensurum ac dicturum vobis, Redemptorem Iesum mortuum esse, *morte crucis*; sed à bona magni illius Gentium Doctoris, Phil. 2.

cum venia dicere audeo, Redemptorem in cruce quidem mortuum esse, sed non è *morte crucis*.

5. Propositio hæc, quæ vobis mira apparet, quæque prima fronte fidei nostræ & symbolo aduersari videtur, per deuotam quandam SS. Bernardi & Bonauenturæ contemplationem mitigabitur, docentium Saluatorem ex amore in crúce mortuum videri, id est, non è tormentorum vehementia & diritate, sed per ardentis charitatis eius, quæ animam à corpore violenter separauit & diuulsit excessum.

6. Quod haud difficulter vobis persuasero, si antè cogitaueritis, eum humanitùs loquendo, etiam minimo præcedentium cruciatuum mori debuisse. An non sudare sanguinem, incomparabilem angorem animi pati, an non mortalis quædam cordis angustia, tot pedum pulsiones, tot inflicti pugni, tot fustigationes, tot per cerebrum transadactæ spinæ, (quarum vel minima ei mortem adferre potuisset) quinque mille & quadringenta flagrorum verbera, eoque ampliùs; tot item denudationes & carnis vnà cum vestibus discerptiones, an non inquam hæc singula satis erant ad ei necem inferendam, nisi à diuinitate humanitas eius confortata & adiuta fuisset, quæ eam ipsi ad tormenta inimaginabilia toleranda parem & capacem reddebat? Ipsi quoque cruciatutus noui, quos in cruce subijt, manuum inquam, pedumque illius transfixio, etsi quidem sensibiles essent, humanitùs tamen loquendo, ei mortem causare non poterant. Vnde etiam latrones ipsi, eodem quo Dominus modo in crucem acti; non antè in cruce sunt mortui, quàm crura & ossa eis posteà frangerentur. Nulla igitur alia mortis causa Saluatori fuit, quàm Amor: Amor inquam, qui mortis fuit mors. Et certè nefas erat eum, qui nullum vnquam delictum commiserat, alio modo exspirare cùm indignum esset, vt crudelem illam tortricem & implacabilem hominum interfectricem, sacrilegas manus suas in ipsum vitæ aucto-

auctorem inijcere. Non ita id tamen intelligendum, quasi reuera realiterque non sit mortuus (vti veteres quidam hæretici delirè docuêre) sed quòd anima eius ex amoris vehementia violenter è corpore erepta sit. Adeò vt benè de illo dicere nobis liceat, quod olim de Hercule cecinit Poëta:

Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis,
Non potuit Iuno vincere, vicit Amor.

8. Idem Amor, qui cum ipso in cœlo (vt olim Angelus cum Iacobo) luctatus, eum è summo cœlorum in terram detraxerat, ac velut è Patris sinu auulserat, quò matris intra vterum & sinum se recluderet, diuinitatem suam cum fragili humanitate nostra vniendo: idem inquam Amor, pulchram diuinamque hanc animam à diuino hoc corpore hodie dissoluit, diuinitate comitante & adhærente tam huic in cruce manenti, quàm illi inferos & lymbum petenti. *Gen.32.*

9. Ito anima diuina, ito iam ab illis angoribus & amaritudinibus, quas corpori huic sic languenti inclusa tolerabas, libera. Etsi verò harum duarum partium tam perfectarum, & tam arcto vinculo conglutinatarum, tamque concordi consonantique harmonia iunctarum diuisio semel futura sit dura, corpus tamen hoc afflictum & excarnificatum, anima & spiritu iam destitutum, dolores pati desinet, quæ nimirum non aliter ipsum viuificabat, quàm vt id per mille cruciatus emori faceret?

10. Ito anima sacra, quæ tot angustiarum *ignem & aquam pertransisti*, ad indolentiæ *refrigerium*; ito, non fruitura (semper namque clara diuinitatis visione, iam inde à primo creationis tuæ instanti fruita es) saltem *requietura à laboribus* tuis, in beato Patris tui sinu: *Exeat spiritus* tuus, *& reuertatur in terram suam*, & *pereant omnes cogitationes* inimicorum tuorum. *Psal 65.* *Apoc.14.* *Psal.145.*

11. Vade ergò ad mortem triumphandam, inferni

 spolia

ſpolia & manubias diripiendas: compelle illum poſ-
1. Reg. 7. ſeſſa iniquè reddere: ito Dauid ad Goliam inferna-
lem proſternendum: ito generoſe & robuſte Samſon,
Iud. 16. ad portas Gazæ deijciendas, ad carceris huius fulci-
mina & columnas collidendas, & moriendo Phili-
ſthæos hos tecum mori cogito.

12. Animæ quidem & corporis huius ſeparatio eo haud dubiè fuit doloroſior & grauior, quò eorum harmonia & vnio arctior. Attamen, quàm dura fuerit matris huius doloroſæ à filio hoc ſuo ſeparatio, vobis ruminandum relinquo potiùs, quàm quòd mei id velim ſtili tenuitate exprimere conari. Erat ipſe quippe magis animę matris huius anima, quàm corporis anima, eius erat anima. Quomodo enim, eheu! ipſe viueret, ſuam emori videns vitam? niſi cum S. Auguſtino, cùm de cariſsimi ſui Alipij morte loquitur, dicere velimus, tam eam in filio mortuam fuiſſe, quàm filium in ipſa vixiſſe, & ambos vitam ſimul & mortem inter ſe diuiſiſſe, ita vt mater mortis in filio ſuo medietatem, filius medietatem vitæ in matre ſibi acciperet. Subtilitates has & acumina relinquamus, & id dicamus, ſolis illam doloribus vixiſſe, & omni lætitiæ prorſus mortuam fuiſſe. Dicere ergò meritò poterat: *Siccine ſeparas amara mors?*

13. Mortis Dominicæ contemplatio Domino Ieſu
Diſcipul. cumprimis grata eſt: hinc piam quandam matronam
ſerm. 61. è partu emorientem, plenam peccatorum remiſsio-
de temp. nem obtinuiſſe legimus, quod hunc tranſitum Domi-
ni piè meditari dum viueret aſſueuiſſet.

14. Alius ex Ordine Dominicanorum ideò rectà
Idem ſer. purgatorium non ingrediendo, ad cœlos iuiſſe ſcri-
49. bitur, quòd in vita frequenter, & magno cum feruore
breuem hanc oratiunculam recitaſſet: *O bone Ieſu per amaritudinem paßionis, quam ſuſtinuiſti in cruce, & maximè quando anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo.* Parem deuotionem ſectamini fratres mei, ſi parem vobis fieri gratiam velitis.

IV.

1. Itaque iam *terrestris* Domini Iesu *domus dissoluta* est, iam *corporis* eius *templum destructum*, prout ipse prædixerat. Separationem hanc vidimus, illam item capitis inclinationem, animæ demùm eius triumphum; iam nobis ipse mortuus in cruce contemplandus. Tuos itaque oculos sustolle anima mea, & inter mille quæ in sponso hoc tuo crucifixo eluxêre virtutes, tres primarias expende, quæ sunt, velut tres claui, quibus duro huic ligno affigitur, quæque tres quodammodo pulchri nostri Absalonis sunt lanceæ. 2. Cor. 5. Mar. 14. 2. Reg. 18.

2. Prima est humilitas. Nostis quòd viuens *humiliauit semetipsum*. Sed, eheu! in excessu suo *humiliatus est nimis*; atque hinc à Propheta dictus est *humiliatus à Deo & percussus*. Phil. 2. Psal. 115. Isaia 53.

3. Humilitatem hanc in capitis eius inclinatione videre est. An non terram quodammodo exosculari velle videtur, eâ vt cœlo reconciliaret, & hominibus qui in terra peccârant, pacem daret? Luc. 18. Psal. 52.

4. O humilem publicanum, qui ne oculos quidem in cœlum sustollere audere videtur! sed videte, vt Dominus hic desuper *prospiciat super filios hominum*. 1. Pet. 2.

5. Quàm hic gestus eius profundè nobis illud Apostoli præceptum debet insculpere: *Subditi estote omni creaturæ propter Christum*: nosque docere, quòd soli *humiles spiritu* ipse saluabit? Psal. 33.

6. Hæc scilicet humilitas est, quæ ipsum exaltauit: *Propter quod & Deus exaltauit illum. Dextera Domini exaltauit eum. Corda superborum propria virtute*, id est humilitate, *calcauit*. Psal. 2. Psal. 117.

7. Secunda, quam hîc promicantem video, virtus, perfecta est obedientia. Vnde etiam Apostolus cùm dixisset, *humiliauit semetipsum*, subiungit mox, *factus obediens*. Sanctus quoque Bernardus ex hac colli inflexione colligit eum ex obedientia mortuum, suum quodammodo paternæ voluntatis iugo collum Phil. 2.

 subijci-

subijciendo, vti innocens Isaac se Abrahæ gladio subiecerat. *Gen. 22.*

8. Et veri, vt videtis, obedientis gestus est, caput humiliter reclinatum habere, perinde ac si cum Dauide diceret: *Imposuisti homines super capita nostra.* *Psal. 65.*

9. Verba illa, *emisit, tradidit*, satis euincunt illum moriendo cuiusdam superioris mandato paruisse: vti & illa Prophetarum vota insinuant: *Emitte Agnum dominatorem terræ: Mitte quem missurus es.* *Isaia 16.*

10. Columba arcâ ad iussum Noë egreditur: sic benedicta sponsi nostri anima ad Patris cœlestis mandatum corpore egressa est. *Gen 8.*

11. Tertia, quam hîc noto, virtus est, patientia, quæ in hoc transitu planè prodigiosa & mirabilis fuit. Nam nulla vnquam rupes tot allisa est fluctibus, nullus tot sagittis impetitus scopus, nulla tot contusa incus ictibus, nulla tanto onere grauata palma, nulla nauis tot tempestatibus agitata, quot Redemptor Iesus suo in corpore cruciamenta pertulit, nihilominus semper *animam* suam *possedit in patientia.* Atque vt *gaudet patientia duris*, ita & Dominus, adinstar Delphini, per medias has tempestates, intrepidè semper natauit. *Luc. 21.* *Lucan. 8.*

12. *Non fuit* vnquam *dolor*, *sicut dolor* eius: ne ipse quidem Iob ei meretur æquari, vnde etiam posteà ei omnia duplicia reddi videbimus. *Thren. 1.* *Iob. 42.*

13. Verba illa *Passio*, & *Patientia* in ipso concurrunt. Quàm igitur ipse verè *patiens* est, & summè *misericors*! Ipse nostra *patientia* est, & *patientia pauperum non peribit in finem.* *Psal. 87. 70.* *Psal. 9.*

14. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Qui passus es pro nobis, Domine miserere nobis.* Illustris quidam Eques piam hanc orationem identidem repetebat, & ad eam quotidie quinque orationes Dominicas, & tot idem salutationes Angelicas, in *Discip in Prompt. Exempl. verbo Passio.*

cas, in

cas, in quinque Domini vulnerum honorem addebat, qui propterea è pretiosis hisce vulneribus manantem sanguinem Domino propinante, per visionem gustare dignus fuit. O igitur sanctum & salutare obiectum Iesus in cruce!

Ex hac homilia colligite, carissimi, cur suam Dominus inclinauerit ceruicem, 2. eius ad inferos descensum, 3. eum præ amore vitam posuisse, 4. per tres illustres has virtutes humilitatem, obedientiam, & patientiam illi vos concrucifigite.

FERIA VI. IN CAENA Domini.

Prodigia.

HOMILIA XXXVIII.

Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Inter signa quæ moriente Saluatore facta sunt, octo potissima consideraui, quæ ordine vobis, singulis punctis amplectens, deducam. Audite cum stupore. *Matt. 27. Marc. 15. 13*

1. Erat sanè plus quàm rationi consentaneum, carissimi in Domino, vt, qui tot in natiuitate sua signis clarauerat & illustris fuerat, stabuli vilitatem per Angelicum concentum, stellæ apparitionem, Magorum adorationem, oraculorum cessationem, Herodis & Hierosolymæ cum illo turbationem, nobilitando, is moriens hæc prodigia reduplicaret. Quomodo enim membra capiti suo non compaterentur, & natura rerum vniuersa auctori suo intermorienti? I.

2. Sole orientis deliquium patiente, & morte tetro eum velamine obscurante, ad primũ suum mundus, in quo *tenebræ erant super faciem abyssi*, reuerti velle videtur. Hinc manifestè colligimus, Domine, *Gen. 2.*

Ioan.1. esse te verè *lucem mundi*, atque oculum mundi, & adeò eum quem videmus solem, instar lunę tantum esse, vt qui nullum, nisi è communicatione tui, splendorem aut lumen habeat.

3. Quando familiæ alicuius caput moritur, vniuersa domus lugubri pullaque peristromate conuestitur; mirumne igitur, si tota rerum machina factore suo exspirante, nigrum velamen induat?

Gen.1. Psal.17. Iob.17. 4. Saluator nascens, vti olim dum mundum conderet, dixit, *fiat lux*, & ecce nouum repentè promicat sidus; moriens verò *posuit tenebras latibulum suum*, & *in tenebris strauit lectulum suum*.

5. Olim tenebræ palpabiles solam operiebant Aegyptum; modò verò, cùm abominationes Aegypti toto orbe inualuêre, mirumne est, si eodem tegumento inuoluatur? Exod. 10.

6. Quàm tenebræ infidelitatis, quibus Apostolicum collegium tunc coopertum erat, etiam his multò palpabiliores erant! Vt omne fidei lumen intra vnius B. Virginis cor reclusum tunc fuisse videretur, vtpote cuius *lucerna* in hac & horroris & erroris *nocte non est exstincta*. Prou.31.

II.

1. Secundum prodigium fuit solis obscuratio, quæ velut causa est, cuius præcedens caligo nonnisi effectus est: *Sol cognouit occasum suum. Posuit tenebras, & facta est nox*. Hic reuera adimpletur illud oraculum Amos, *Et erit in de illa, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Psal.103. Ibid. Amos. 8

2. Tanta porrò eius eclipsis exstitit, vt magnus Areopagita ex ea aut mundi consummationem instare aut auctorem eius pati colligeret: qui, in graui infidelitatis cæcitate, in qua tum viuebat, veritatis scopum in posteriori coniecturæ suæ membro tetigerit, quæ deinde eius conuertendi præcipua fuit occasio.

3. Iam cùm mundus Deum iudicat, sol in signum est; at

est; at cùm Deus mundum iudicatum post veniet, *e-* Luc.21.
runt signa in sole; qui, vt homines ad pœnitentiam
prouocet, *sacco* se induet *cilicino*. Apoc.6.
4. Tēpore Iesue sol stetit, in diebus autē Ezech. Re- Iosue 10.
gis retrogressus est: sed modò lumen suum in tenebras 4.Reg.20.
conuertit. *Sol obscuratus est*. Isaia 38.
III.
1. *Et velum templi scissum est*. Tertium id prodigi-
um, è quo prophetias iam clarè patere & reuelatas
esse discimus: & liber ille septem sigillis signatus, ab
Agno occiso tunc apertus est. Apoc.5.
2. Caiphas, summus templi Pontifex, ficto quodam Matt.26.
dolore, sed vero furore, suas disruperat vestes; hîc
verò templum omni prorsus licet careret sensu suam
ostendit sensibilitatem, dum suum in morte Domini
velum scinderet.
3 Veli huius diuisio violentiam animæ & corporis
benignissimi & benedicti Saluatoris nostri separati-
ouem denotat.
4. Certum est, Iudæis *omnia in figura contigisse*, sed 1.Cor.10.
nunc, velo diffracto, sanctum sanctorum manifestè
& ab omnibus perspicitur, *non* iam *per spe-* 1.Cor.13.
culum & in ænigmate, sed liquido & sensibili-
ter.
5. Non diuinitatem per scissum hoc humanitatis ve-
lum planè dilucideque intuemini? Quid? exspectatis-
ne, vt milites percutientes pectora sua vobis incla-
ment: *Verè filius Dei erat iste*, *Verè tu es Deus faciens* Marc.15.
mirabilia, tu es Deus solus. Venite & videte prodigia, Psal.76.
quæ fecit Dominus super terram, Psal.85.
Psal. 45.
VI.
1. *Et terra mota est*. Quartum prodigium, de quo di-
cere possumus

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones Eclog.5.
Interitum, montesq. feri, syluæque loquuntur.

vel accentu & stylo sanctiori: *A facie Domini mo-* Psa.11 7.
ta est terra. Vidit & commota est terra. Mouebuntur Psal.96.
omnia fundamenta terræ. Fundamenta montium con- Psal 81.
turbata sunt. Psal.17.
2. An verò nos solido vastoque hoc alimento
stupi-

ſtupidiores & inſenſibiliores erimus? Quàm nos cor pluſquam terreſtre habemus, ſi ſe ad tam horrendũ ſpectaculum emori non ſentit!

Exod. 19. 3. Cùm Moſi olim ſuam Deus legem daret in Sina, mons hic totus tremebat, fumabat, diffluebat, igniſque ex eo & coruſcationes promicabant. *Terra mota* Pſal. 67. *eſt: etenim cœli deſtillauerunt à facie Dei Sinai* cùm verò nouum ſuum in ſanguine fœdus in monte Caluariæ iniret, *totum tremefecit Olympum ſummoq; v-* Aene. 4. *lularunt vertice nymphæ.*

4. Qui Tragicum hunc tranſitum cauſauerant miniſtri ad hunc terræ motum pauidi & conſternati, Num 16. veriti ne cum Abirone *deſcenderent in infernum viuentes* libenter dixiſſent, vt in ſupremo iudicio damnati inclamabunt: *Montes cadite ſuper nos*: ſed præ Luc. 23. metu verbum vllum effari non poterant.

V. 1. *Et petræ ſciſſæ ſunt.* Eſt hoc quintum portentum: cuius conſideratio, meo iudicio, duriſsima, peruicaciſsimaque corda emouere poſſet, niſi ipſis fortè ſaxis & petris ea ſint duriora. Rogemus Deum, fratres, Eze. 11. vt hos ſaxeos animos à nobis auferat, aut ſaltem eos inſtar carnis molles reddat, non quidem ſenſuales, ſed teneros & flexibiles.

2. Quid? petra in deſerto virga percuſſa aquas ma- Exod. 17. gna copia effudit, & corda noſtra quantumlibet ſa- Num. 20. xea, an non, cùm à virga Domini Ieſu in crucem acti percuſſa erunt, lacrymas compaſsionis emittent? Pſal. 113. An non qui *conuertit petram in ſtagna aquarum & rupem in fontes aquarum*: tam indignis modis habitus, aliquam oculis noſtris lacrymulam eliciet? Non crux eius futura *malleus* validus ad animorum noſtrorum Ierem. 23. duritiem *conterendam*?

3. Adamas, omniũ gemmarũ ac lapidum duriſsimus, ſanguine emollitur; & ſponſi noſtri ſanguis animorum noſtrorum peruicaciam non liquefaciet?

4. Lapides præ nimio frigore vel æſtu (vt videre in fornacibus eſt) diffinduntur: ſi ſanctæ deuotionis

calore

calore corda nostra non emolliuntur, emolliantur & diffindantur saltem à glacie, à qua circumsidentur.

5. Olim Aegypti simulacra, ad Saluatoris in eam ingressum & accessum ad terram comminuta ceciderunt; hodie verò in eiusdem decessu ipsi lapides comminuuntur, & peccatorum nostrorum idola, & cordium nostrorum durities semper malè integra perseuerant & solida. *Isaia 19.*

6. Cur in singultus hodie non prorumpimus, cùm hodie lapis Danielis à monte auellatur? *Dan. 2.*

7. Poëta ille, qui de Deucalionis saxo loquens, dixit: *Vnde homines nati, durum genus*, exiguum nostrũ sensum & magnam insensibilitatem ad oculum depinxit. *Ouid 1. Metam.*

8. Interim ipsi adstantes tam tragico spectaculo, viso lapides inuicem collisos & disruptos crepitare, *de medio petrarum dabant voces*, & præter pœnitentiam & pectoris percussiones, querulo lamentabilique voce quiritabantur. *Psal 103.*

1. Imò & ad mortuos vsque sensus hic & motus peruasit: *Et in mortuis fecit mirabilia & mortui laudauerunt* eum, eò quòd *monumenta aperta sunt & multa corpora sanctorum surrexerunt*. Sextum & perterrificum id prodigium est. Hinc sepultura illorum non fuêre *domus illorum in æternum*; sed vice versa *narrauerunt in sepulcris misericordiam* suam. VI. *Psal. 87. Psal 123. Psal. 48. Psal 87.*

2. Et quidem iustum id fuit prodigium: cùm enim per mortem Saluatoris subacta esset mors, æquum erat, vt vitæ suæ mortem inferendo, morti nostræ vitam daret, quò se mortis æquè ac vitæ dominum declararet. *Dominus mortificat & viuificat; deducit ad inferos & reducit.* *1. Reg. 2.*

3. Non dubito, carissimi, quin hoc vobis prodigium mirum & terrificum videatur, cùm vobis cogitatione fingitis, plurimos iam à tot annis sub saxis reconditos & in tumulis putrefactos, per vrbis Ierusalem plateas obambulasse, in proprias rediisse domos, &

terrori

terrori fuisse omnibus quibus noti aliquando fuerant.

Ion. 2. 4. Reg. 4. Ioan. 11. Luc. 7. Marc. 5. 4. Verùm dum ex alia parte historiam Ionæ, mortui ab Elizæo ad vitam reuocati, Lazari, filij viduæ in Naim, filiæ archisynagogi à Domino viuente vitæ restitutorum ob oculos ponitis, & in primis illum fidei articulum, quo mortuorum resurrectionem credere iubemur, admirari desinetis, scientes nihil esse

Luc. 1. *apud* eum *impossibile*, quem omnipotentem credimus.

5. 6. An non spiritualiter hisce diebus hoc ipsum prodigium ad oculum cernimus? Quot enim in hoc auditorio esse putatis animas, quæ per pœnitentiam & exhomologesin à morte peccati ad vitam gratiæ resurrexerunt? Qui suarum conscientiarum sepulchra libenter aperuerunt, quò vetera peccata eijcerent; secretas plagas suas detegentes, quò sanarentur? *Inue-*

Psal. 31. Psal. 37. *terauerunt ossa* eorum, *putruerunt & corruptæ fuerant cicatrices* eorum *à facie insipientiæ* illorum.

7. Quis adeò futurus scelestus, qui in tempore adeò solenni non omnes è corde suo sordes, quas conuersionis dilatio in eo accumulauit, eliminet? quis non domum suam expurget, & interiora sua prępararet ad verum Agnum Paschalem recipiendum? *Præparate*, fratres mei, *corda* vestra, & *ponite ea in virtute* eius, *effundite* illa *coram illo: reuelate Domino vias* vestras

Psal. 54. *& non dabit in æternum fluctuationem vobis.*

VII.

1. Quid anne homo, qui vitæ genus profitetur maximam licentiam & dissolutionem spirans, (vt & taceam errores Gentilitatis, à quibus excæcabatur) nobis conuersionis & pœnitentiæ formulã prælegere & docere debebit? Centurio siquidẽ, miles Romanus & Gentilis, tot prodigiosa videns signa, animum suũ le-

Mat. 27. oninũ in vocem mutauit agninam dicens: *Verè filius Dei erat iste.* Hoc ipse prodigium, quod ab aliis prodigijs causatum & prognatum erat, vt septimum no-

to: Et sanè in eo velut in compendio reliqua priora eminenter videntur contineri. Erat namque is in tenebris, vtpote Gentilis & idololatra, & *sol iustitiæ nō illucebat ei* Tunc verò velum ei scissum est, cùm *à Patre luminum desursum* fidei illi claritas & visio data est, qua mediante diuinitatem in humanitate patiente agnouit & vidit. Terra etiam tremuit: *timor* enim *& tremor venerunt super* eum; vnde etiam de eo scriptum est, *viso terræ motu timuit valdè.* Tunc lapides & petræ eius scissæ sunt, cùm cor eius à pœnitentia percussum fuit, cor inquam Caucaseis cautibus saxosius. Tunc illi sepulchra aperta sunt, quando viua fidei verba ore protulit, *is, cuius antè os abundabat malitia, cuius guttur erat sepulchrum patens*, cuius os *non erat rectū cū eo*, nec *fidelis erat in testamento* suo. Sap. 5. Iac. 1. Psal. 34. Psal. 49. Psal. 5. Psal. 77.

2. Vnde maior & præcellentior, meo iudicio, dari conuersio nequit, quàm conuersio militis, hominis inquam sanguinarij & cædibus assueti. S. Augustinus nōnisi magno cum stupore duorum militum anachoretæ operâ resipiscentium conuersionem, ac velut rem maximè singularem describit.

3. Erat adhæc Centurio, qui, ceu primum quoddam mobile, multos conuersione sua post se aliorum orbes raptabat. Quod etiam insinuare voluisse Euāgelista videtur, dum scribit: *Et qui cum eo erant, percutiebant pectora sua.* Deum rogate, fratres, vt tum in spirituali, tum in temporali regimine bonos vobis rectores & superiores concedat. Eorum quippe exemplum inprimis est ad incolumitatem vestram potens atque efficax.

4. *Percutiebant pectora sua.* Quid igitur in die vniuersalis iudicij futurū existimatis, quādo *erit fletus & stridor dentiū* quādo peccatores & Iudæi *videbunt & in quem confixerunt?* Simus in tempore & antè, boni *Publicani, percutientes pectora* nostra, & hunc diem iræ, *in confessione præoccupemus.* Luc. 13. Zach. 12. Luc 18. Psal. 94.

VIII.

1. Octauum & vltimum eorum de quibus agere non statui prodigiorum est visus restitutus

crudeli

crudeli Longino, eius enim ea fuit immanitas, vt Redemptoris etiam post mortem latus & cor hasta traijcere non dubitarit. Hoc lanceæ vulnus etiam plurimis homilijs materiam suggereret; adeò nimirum argumentum id fertile & fœcundum est: sed, vt suaui & pretioso huic vulneri, quod eius amoris & omnis boni nostri centrum est pluribus non immorer; hoc vnum solum ponderabo, quomodo ex eo *exiuerit sanguis & aqua*, & quo modo liquore hoc, cũ per Longini lanceam ad vsque oculorum alterum, quem amiserat (nam plerique interpretes vtroque eum oculo cæcum non fuisse tradunt) defluxisset, statim eius oculi vsus, per diuinum hoc collycium ei sit

Tob. 8. restitutus.

2. Itane ô piscis Tobiæ, in amoris tui igne excocte, è visceribus tuis emittis, non fel (nam nullum ipse vnquam habuisti) sed mel, quò cæcis visum restitueres, & oculos illuminares, vti mel oculos Ionathæ aperuit?

1.Reg 14. 4. Videtur, bone Iesu, aliqua in te offendendo cõsistere prærogatiua, cùm eos qu te excruciant consoleris, & pijs parum è seruitio tuo commodi deliciarumque sequi, cùm matrem tuam perfectè amantẽ,

Thren. 1. sub cruce tuo planè desolatam & dolorosam amaritudinnm fluctibus obuias. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.* Hanc mihi saltem amantissime sponse, lucem concede, cuius ope manifestè cognos-

Heb 6. cam, me, quoties in te pecco, te *rursus crucifigere*, & cor tuum transfigere.

5. Ita scilicet, innocens Agne, tua vestis lana eos, qui te tondent, & pascis eos à quibus mulgeris: hanc mihi gratiam præsta vt per sacram communionem Eucharistiæ, in qua verè caro tua & sanguis est, & aqua illa quæ è latere tuo effluxit, oculi mei potenter illuminentur, ne per sæculi huius maligni tenebras incedens, vsquam impingam.

Ioan 9. 6. Ibi sit mea *natatoria Siloe*, ad quam properem, in qua me *lauem, & videam.*

7. Exi-

7. *Exiuit sanguis & aqua.* Hæc commistio, Dei suo cùm populo in Ecclesia, quæ velut secunda quædam Eua è secundi huius Adami costa efformata est, factam vnionem repræsentat.

8. Simul etiam docet, quomodo aqua baptismi animas nostras abluat, in virtute sanguinis Agni, qui ex *omni tribu, lingua & natione* nos redemit. *Gen. 2.*

Octo illa, quæ iamiam recensui, prodigia, seriò recogitate, 1. tenebras, 2 solem obscuratum, 3. velamen scissum, 4. terræ motum, 5 petrarum fissionem, 6. mortuos ad vitam redeuntes, 7. Centurionis conuersionem, 8. Longino oculos redditos; & ex his omnibus salutarem illum *timorem* Dei, qui *sapientiæ initium est*, componite. *Apoc 5.* *Prou. 1.*

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Redemptoris sepultura, & B. Virginis compassio.

HOMILIA XXXIX.

Venit Ioseph ab Arimathia, venit & Nicodemus. Peruenimus tandem, dilectissimi in Christo ad funestam cruentæ huius tragœdiæ catastrophen, cuius vobis Actus lamentabiles toto hoc quadragesimalis ieiunij curriculo spectandos exhibuimus. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

Hic finis Priami factorum, hic exitus illum
Sorte tulit. *Aene. 2.*

Hoc ipso die Parasceues Redemptori factum & illatum fuit, quidquid hactenus superioribus hebdomadis, vobis deduximus. Vnde præcedentes homiliæ omnes, totidem sunt velut prologi huius. Quamobrẽ alijs prædicatoribus ineffabilium sanguinei sponsi

nostri dolorum repetitionem renouationemq; cedentes, sub saxo sepulcrali condemus eum, qui *suam pro ouibus suis animam posuit*: mors siquidem aliquam in sepulchro iam quietem indulget illi, qui, quò nos saluaret, nullam sibi in vita concessit; sed *amodo requiescet à laboribus suis*. Longiorem hunc discursum bipartitum faciemus, in prima eius parte de Redemptoris Iesu sepultura agemus, in altera de Deiparæ matris compassione. In prima parte quatuor hæc membra expendemus, 1. depositionem de cruce, 2. sepulturam, 3. sepulchrum, 4. eiusdem custodiam.

Ioan. 10.

Apoc. 14.

I. 1. Ioseph ab Arimathia, qui ob metum Iudæorum occultus erat demortui Iesu discipulus, cùm tot in eius morte prodigia coram vidisset, omnibus humanorum respectuum nebulis ab anima dispulsis, crucis vexillum intrepidè sustollit, *& petijt audacter à Pilato corpus Iesu*. Ita fit interdum, vt admirabili quadã ratione quandam timor ipse resolutionem in homine pariat. *Audaces facit ipse timor*, & alius,

Audaces faciunt extrema pericli.

Et labor ingenium miseris dabit, & sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

2. Feræ ab insectantibus nimis insectatæ, & pressæ siluis tandem sospites egrediuntur; ac sæpè tribulatio terre a salutem inquirere iubet cœlestem. *Venatio dat intellectum, Tribulatio & angustia inuenerunt me. Lex tua meditatio mea est. Intellectum da mihi & viuam.*

Isaia 28.
Psal. 118.
Ibid.

3. Sic fieri non rarò videmus, vt peccatores, & hæretici, qui in se conuertendis diu tergiuersati sunt, & suam in vita conuersionem distulerunt, in supremo vitæ articulo, *terroribus mortis & inferni circumdati*, ad DEVM ex toto corde, ablata inanium respectuum mundanorum, ob quos in peccato vel hæresi continuabant, larua & velamine conuertantur.

Psal. 87.

4. Sed

4. Sed notate hoc loco, obſecro, fratres & ſorores dilectiſsimi, quàm ſit hoc nomen Ioſephi boni minis, & Domino Ieſu carum. In veteri Teſtamento Ioſeph Patriarcha vera eius figura fuit, vt qui innocens fuit, æmulos habuit, à fratribus fuit venditus, in carcerem coniectus, Aegypti Saluator, humiliatus, euectus, caſtus, manſuetus, dilectus, pulcher, Imò! an non & ipſum nomen Ioſephi aliquam cum nomine Ieſus ſimilitudinem habet? Hui! quot ille Redemptori noſtro modis conformis fuit! *Gen.38.*

5. In nouo verò, in duorum Ioſephorum ſe manibus velut depoſitum conſignauit, in vitę nimirum introitu, & in eius exitu & fine In introitu namque videmus quo modo eum Ioſeph iuſtus, nutritius eius, primò vlnis ſuis in Aegyptum geſtet, deinde ex illa reuerſus in Galilæam referat, felix quòd dilecto hoc onere grauaretur. Hîc verò dilectum noſtrum Ieſum, etſi *multum ab illo mutatum*, mortuum & ſanguine purpuratum, in pij Ioſephi ab Arimathia brachijs reclinatum cernitis. *Matt.2.* *Aene.2.*

6.7. Si tam ſe Simeon ſenex beatum putauit, quòd eum *in vlnas ſuas receperit*: Si vna è maximis lætiſsimiſque Beatæ Virginis voluptatibus fuit, eum puerum vt *faſciculum myrrhæ* in ſinu ſuo recumbentem geſtare, & *vbera* illi ſua, lacte diuino, aut potius cœleſti manna turgentia *ſugenda* præbere. *Luc.2.* *Cant.1.* *Cant.8.*

8. Quàm veſtra, ô ſacerdotes, conditio eximia & ſublimis eſt, quorum manibus idem, quod Beatæ Virgini, Simeoni, ac duobus Ioſephis, priuilegium conceſſum eſt! hæc vos prerogatiua apud omnes venerabiles & ſpectabiles reddit, modò abominandis cōtaminationibus tam ſancto vos miniſterio, quo non modò Angelis æquamini, verùm etiam ſuperiores & excellentiores eſtis, indignos nōn reddatis.

9. E duobus his viris Ioſepho & Nicodemo diſcite, quàm ſit vobis reuerenter ſanctiſsima Euchariſtia tractanda; quæ idem omninò corpus eſt,

ſed iam viuens, ſed iam glorioſum, ſed iam anima & inſeparabili eius diuinitate comitatum, illi quippe magna cum humilitate à B Virgine eius tractandi facultatem & veniam poſtulant: ſic vos, dum ad ſacrũ altare acceditis, eius opem & ſubſidium poſcite, vt veſtrum, ea dirigente, ſacrificium prout oportet peragatur.

2 Reg. 6. *2.Par.26.* 10.11.12. Non tam ſe temerariè & irreuerenter quàm vt olim Oza, & Ozias, geſſerunt in tangenda ſacra hac arca, & ipſo crucis thuribulo, tam ſuauem in cælos odorem exhalante, vt Pater cœleſtis cum Iſaaco *Gen 27.* meritò dicere poſſet: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni*; ſed profundiſsima quadam cum reuerentia: nam interim dum vnus longioribus ſacrum Domini corpus linteis ſuſtinet, alter clauos eximit; ipſumque ſimul deinde leniter infernè dimittunt.

Iſaia 6. 13. Venit hìc mihi in mentem Seraphinus ille Iſaiæ, qui aurea carbonem candentem forcipe de altari accepit, carbonem inquam, qui corporis Dominici figu- *Pſal. 17.* ra eſt, vt per quod exſtincta & frigida corda *ſuccenſa* *Luc. 12.* inflammantur, quiq; *ignem* illum continet, quem Redemptor Ieſus *venit mittere in terram.*

14. De S. cruce canit Eccleſia: *Beata cuius brachijs ſæcli pependit pretium*, repeti illud ipſum de Ioſephi & Nicodemi brachijs poteſt, qui in hac actione & *1.Cor 6.* opere *magnum redemptionis noſtræ pretium* geſtabant.

Cant.8. 15. *Pone* te, mi ſponſe, *vt ſignaculum ſuper cor* meum *vt ſignaculum ſuper brachium* meum; vt ipſe te diligã, tibi ſeruiam, & meo actiones omnes meæ amori ex æquo reſpondeant.

Exod 19. 16. Videte hìc igitur, quomodo Ioſeph, velut nouus quidã Moſes, è ſumma cruce (vt alter è Sina vertice) deſcendat, tabulas legis charitatis, digito Dei lapi- *Iob. 19.* di transferato inſcriptas ſecum ferens. Et quis, obſe- *Mat.2.* cro, hic lapis, niſi Ieſus? qui dicere videlicet, cum Io- *Luc.20* bo plagis repleto poterat: *Manus Domini tetigit me*, *Act. 4.* qui lapis *viuus, angularis* & *fundamentalis* eſt, etſi à

Iudæis

Iudæis reprobatus; lapis denique transferatus; videt enim, vt manus, pedes, & cor eius vndeundiq; transfixa & transfossa sint.

17. Non imaginaria Iacobi dormientis, qua Deum in scala vidit, hîc iam visio est; sed ipsummet Deum nostrum, è cruce per scalam, quam Iosephus ad eandem erexerat, descendentem videmus. Gen. 28.

18. Scalam inquam, quæ haud dubio catena illa aurea & galaxias est, per quam deos in terram è cęlo descendere commenti sunt Gentiles.

19. Videte, vt magnum nostrum sidus descendat, ac de eo dici meritò queat *cadentia sidera cœlo*, vel tono & verbis sanctioribus, *stellæ cadunt de cœlo*. Videte, vt rutila illa *lux mundi*, à mortis somno soporetur, vel obscuretur. *Suadentq; cadentia sidera somnos*. Marc. 13. Ioan 8. Aene. 2.

20. Boni hi sauctique viri hunc tandem vitæ fructũ, qui *solus* dare nobis *immortalitatem* potest, colligũt, at fructum adeò maturum, adeò ad amoris eius extremi radios excoctum, adeò denique contusum & liuentem, vt à suo separatus trunco, sponte cadere sinat? Ah! vbinam fratres mei, vbinam? Cor mihi natat sanguine, dum casum hunc mecũ recogito, & *horresco referens*; dicere tamen cogor. Ergo in matris gremium, quæ patentibus eum exceptura vlnis sub cruce stabat demittitur: olim hic *fructus* adeò palato eius sapidus & *dulcis gutturi* fuit: sed quã iã, eheu! in ore eius amaricans factus est, & *in absynthium conuersus!* Gen 2 1. Tim. 6. Cant. 2. Amos. 6.

21. Hem! quã crucis lignũ amaras Mara vel Mariæ aquas non dulcorauit, vti olim tempore Mosis, sed amaricauit! *Sitiebat quidem anima* eius *ad Deum fontem viuum*; & ecce, reperit *mortem in illa*. Exod. 15. Psal. 41. 4 Reg. 4.

22. Sub arbore, prima mater nostra Eua seducta & corrupta fuit; at secunda, item *sub arbore non corrupta est*, aut violata, sed violentata & grauiter afflicta: vidit illa fructum vetitum oculis gratum, & gustui suauem; hæc verò fructum sibi concreditum, & aspectu tetrum & terribilem, (*Non erat ei aspectus*) & palato amarissimum conspicit. Gen. 3. Cant. 8. Isaia. 53.

23. O terribilem viciſsitudinem! aliàs dum incar-
naretur, in illius deſcenderat ſinum, illum iam mor-
tuum ſua conſpicit inter brachia reclinatum: ſic ſci-
Iob. 38. licet *conuerſa eſt in luctum cithara* eius, & *vox in la-
mentum.*
24. Similis facta eſt turturi gementi, & querulos
edenti ſonos, dum ſuum par interfectum deplorat.
2. Pet. 1. 25. Sed piam contemplationem hanc in ſecundam
ſectionẽ reſeruemus, & in hac *tabernaculi depoſitione*
(ita namque de ſuo corpore loquitur Apoſtolorum
princeps) ſolum conſideremus, quàm Redemptor
noſter Ieſus obſequens ſit. Videte igitur, quàm ſe tra-
ctabiliter obſequenterque tractari ſinat ab ijs, qui pi-
um hoc illi ſepulturæ officium cupiunt impendere.
Quando verò nos tam perfectè mortificati erimus,
vt ita futuri ſimus tractabiles, ductiles ac flexibiles, vt
exanime Domini noſtri corpus? Factus enim es, ô o-
bedientiſsime Ieſu, non modò Patri tuo æterno obe-
diẽs; dum in cruce moreris, verum etiam iam mor-
tuus ab infami hoc ligno tolli niſi expreſſa Pilati ve-
nia & facultate antè obtenta noluiſti. Quis mihi det
Pſal. 16. vt ego in omnibus tibi obtemperem, & *propter ver-
ba labiorum tuorum cuſtodiam vias duras?*
Ioſue. 10. 26. Vt olim ad vocem & iuſſum Ioſue ſol ſtetit; ita
hîc ſol *orientis voci obedit hominis.*
II. 1. Vbi pretioſum hoc corpus in ſanctiſsimæ matris
gremio aliquantiſper requieuit depoſitum de eo in ſe-
pulchrum inferendo agi cæptum.
Aene. 9. *Tunc complexa ſui corpus miſerabile nati,*
Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.
Cogitate, quanto illa dolore ſuis ab oculis viderit re-
moueri illum, qui vnicus ſuorum erat oculorum ſol.
Quàm diuinus hic ſol nimis quàm citò illi occidebat!
ſed idcirco ſe viſus eſt abſcondere & ſubducere (vti
tempore Thyeſtis factum fingunt Poëtæ ne matrem
ſuam adeò doloribus oppreſſam, videre cogeretur.
2. Vide, ô afflicta mater, num corpus hoc dilania-
Gen. 37. tum & cruentum ſit *tunica filij tui* Ioſeph, quàm *fera
peßi-*

peſsima (nempe rabies Iudæorum) tam indignis modis *lacerauit*. Videt illum deformatum *vt leproſum* & in quo *à planta pedis vſque ad verticem* nulla *eſſet ſanitas*. Sanè niſi coram, ab initio ad finem vſque cruciatuum eius ſeriem ipſa ſpectaſſet, agnoſcere eum minimè potuiſſet. *Iſaia* 53.

3. In hanc ſepulturam Ioſeph ſuppeditauit lintea, & Nicodemus aromata Lintea dico: tum quia ijs illũ inuolutum ſcribit Ioannes: *Ligauerunt corpus linteis cum aromatibus*: tum vt hinc diſcatis, Redemptorem in duobus magnis linteis ſimul iunctis ſepultum fuiſſe. Horum vnum integrum, & ſacro eius corpori proximum Turini hodie aſſeruatur, illuſtre & inæſtimabile Illuſtriſsimæ domus Sabaudiæ pignus: alterius verò diuiſi pars vna Veſontij in Burgundia, altera Compendij apud Picardos religiosè ſpectatur. Quod ideò dico, vt mendacem illam ſuppoſitionẽ, quam nobis calumniosè fidei noſtræ aduerſarij vellent imponere, *blaſphemantes quæ ignorant*, & quibus vnica voluptas eſt abſurdè inepteque ſanctiſsimas & venerabiliſsimas reliquias ſuggillare, confundendo explodam. *Ioan.* 19. *Iudæ Ep.*

4. Hoc etiam ad veſtri conſolationem addam me, licet indignum vnà cum alijs Prælatis, vti in pio illo ritu fieri conſueuit, in tam pretioſi theſauri ad populum oſtenſione. Turini operam meam bis impendiſſe, & Suas Celſitudines Sereniſsimas mihi ad populum de ſuperiori loco agendi partes delegaſſe Sed, vt fatear quod res eſt, non potui, tam pretioſum monumentũ, in quo ſuam Redemptor imaginem, corporis ſui penicillo (quem ſuo imbuit & intinxit ſanguine) expreſſam reliquit, vel videre, vel de eo loqui, quin extra me raperer, & meus vix eſſem. Quod & ad eius gloriam & ædificationem veſtram dictum ſit: ſcio namque vos erga ſacrum hoc amoris eius pignus, quod partes has & terras à tot iam ſæculis beauit, dum Camberij vrbe nobis adeò vicina requieſceret, ſingulari quodam modo affectos eſſe; adeò

vt tam in hac diœcesi, quàm locis proximis, rei huius festum, postridie Inuentionis sanctæ Crucis, magna deuotione celebretur.

5. Vtinam corda nostra digna sint sudaria, quibus pretiosum hoc corpus includeretur! talia porrò fient, fratres, si salutari quadam pœnitentia, velut *aspersione hyssopi* ea emundemus, & velut *niuem dealbemus*, vt hæc in munditie ad sacram communionem accedamus.

Psal. 50.

6. Tunc verò aromatica & vnguina, & myrrham, & aloën addemus, cùm *recogitabimus omnes annos nostros in amaritudine animarum* nostrarum; si etiã corpora nostra mortificando, corda contritione & compunctione conteramus.

Isaia 38.

7. Tunc nimirum animæ nostræ, pretiosis gratiæ ornamentis ac monilibus circumdatæ, suauem exhalabunt odorem, quo cælum simul & terra omnis replebitur. *Odor vestimentorum* earum erit *super omnia aromata*, ipsæq; erunt ceu *areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs*

Cant. 4. Cant. 5.

8. Satis ergò sponso nostro non erat, lineis, cùm nasceretur, pannis inuolutum fuisse, nisi etiam se post mortem, postquam nimirum iam omnem propter nos & incomparabili quadam charitate sanguinem effudisset, mortuarijs sindonibus inuolui pateretur.

Luc. 2.

III. 1. Inuolutum ergo eum benedictus ille manipulus, qui vnà cũ B. Virgine sub cruce steterat, funerali comitatu & exequijs in hortum, qui haud procul à mõte Caluariæ erat, defert: in quo nouum erat (vt Euangelista refert) monumentum, excisum in petra, in quo adhuc nemo sepultus fuerat. Vtinam cor meum tale sit Mausoleum! Eheu! Ipsum quidem è lapide est, (ob durã eius insensibilitatem) sed non è lapide per malleum pœnitentiæ, quæ est *malleus conterens petras* cõciso: Est itẽ excauatum, sed per vanitatem & inanias, non verò humilitatem. Demum non est id nouum aut *homine nouo indutum*, sed veteri ADAMO

Ierem. 23.

adhuc

adhuc circumdatum, inueteratis inquam, & prauis habitibus repletum. Hui! quàm multa cadauera, quã *Ephes. 4.* multa inquã, peccata mortalia ibidem cõputruêre, quàm multis id mortalibus est affectibus infectum! Quando, Domine, hoc cordis mei sepulcrum suam deponet duritiem, quando se aperiet, vt salutari quadam pœnitentia omnes suas corruptiones egeret? *Inueterauerunt ossa mea, putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* *Psal 31.* Quando cor il- *Psal.37.* lud, quod tuum esse debet *templum*, ab Aegyptiorum *1. Cor.3.* abominationibus peccatis inquam, expurgatum videbit? *quis consensus templo Dei cum idolis* esse potest? *2. Cor. 6.* Tunc id erit scilicet, quando id tibi placuerit renouare, & dissoluere penitùs ad tuum amorem recipiendum *scoriam* eius *in aurum couertendo*, vel ipsum *Isaiæ 1.* *Psal.50.* nouum creare: *Cor mundum crea in me Deus.* Tunc nimirum erit sepulchrum nouum per nouum vitæ genus assumptum, & per sanctam quandam *spiritus renouationem.* *Ephes. 4.* Erit id denique lapideum, cùm firmum ac solidum conceperit propositum, nunquam posthac ad peccatum redeundi: adhæc candore album, iniquitate vacans, & ab omni inquinamento nitidum.

2. Notabitis quoque mecum, fratres dilectissimi, Dominum, cùm satis non haberet, tam pauperem semper vitam duxisse, *vt non haberet* domum, nec receptaculum, nec locum *vbi caput suum reclinaret*; et- *Luc.9.* iam post mortem sanctam illam virtutem paupertatis seruare voluisse; fuit enim & alienis impensis, & sepulcro alieno illatum. In quo pauperior haud dubiè fuit quàm prisci illi Galli, qui à Romanis exagitati & pulsi, dicebant: *Terra in qua viuamus deesse potest, sed in qua moriamur, non potest*; cùm ne quidem sex aut septem pedum spatium in terra habuerit, in quo corpus eius requiesceret, quamuis *Domini sit terra & plenitudo eius.* *Psal.23.*

3. Epaminondas celebris ille dux tam inops decessit, vt publica impensa eius curari exequias opor-

2. Cor. 8. tuerit; huc quoque inopiæ Redemptor noster deuenit, idque vt *eius inopia nos diuites essemus.*

4. Reclinatur itaque & absconditur Dominus in monumento è petra exciso, & mille virtutum odores exhalans, & amoris sui fulgoribus circumquaque radians. Apud Plinium legisse memini, in speluncis quibusdam subterraneis, haud procul à mari Erythræo, lapidis quoddam genus reperiri, qui solaribus radijs percussus eosdem ad antrorum ingressum colores emittat, qui in arcu cœlesti spectantur;

Apoc. 10. sed an non lapis ille pretiosus & angularis, qui modò in alio lapide depositus iacet, ille idem est, de quo scribitur: *Et iris in capite eius*? Quis verò mirabiles

Psal. 131. perfectiones, quæ in pretioso hoc deposito, inque hac *arca sanctificationis* continebantur, exprimat?

5. Quid verò, fratres amantissimi, à parte nostra nos ad exequiarum harum cohonestationem conferemus? flores & fructus super hunc tumulum spargamus: flores inquam sanctorum desideriorum, fructus autem bonorum operum, quos vt irrigemus & humectemus, oculi, sint riuuli, suspiria, sint zephyri,

Cant. 2. spargamus verò violas humilitatis, rosas charitatis, lilia paupertatis: *inter lilia* siquidem *pascitur* & requiescit sponsus noster. Hi porrò flores & fructus admodum proprij sunt, vt in ijs in amoris sui languore requiescat.

Tob. 4. 6. Adhęc, prout suadet bonus ille Tobias, *panem &*

Psal. 100. *vinum super sepulchrum iusti* huius *constituamus*, at-

Gen. 14. que inprimis, quia ipse est *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, qui panem & vinum obtulit. Quomodo verò id faciemus? per frequentem

Ioan. 6. communionem, sæpenumero *panem* illum *viuum, qui de cœlo descendit*, recipiendo, vt qua nullā digniorem melioremque facere oblationem possumus, cùm *qui-*

1. Cor. 11. *cumque carnem Domini manducat, & bibit eius sanguinem* quandam eius commemorationem instituat, & *mortem eius annuntiet.*

7. Vt

7. Vt hanc sepulturam eius claudamus, notate, *Io-*
sephum aduoluisse saxum magnum ad monumenti *Vincent.*
ostium. Quo spiritualiter docemur, si in cordibus no- *Brom. de*
stris vel pretiosum Domini Iesu Christi corpus per *pass. me-*
sacrosanctam communionem intra nos admissum, *dit. 51.*
vel *Spiritus sancti in nobis habitantis gratiam* cõser-
uare velimus; sensus esse nobis occludendos, ne quem *Rom. 8.*
mundanis rebus ad interiora animæ nostræ ingres-
sum demus. *Per* has siquidē *fenestras* in corda nostra *Ierem. 9.*
fur *ascendit*, vt ibidem deprædetur, omnesque spiri-
tus diuitias nobis eripiat.

8. Ianuam quoque cadis, grandi generosi constantis-
que propositi, quo impediamus, ne *in* eo *peccatum re-* *Rom. 6.*
gnet, saxo obturemus. Hæc enim vnica Domini reti-
nendi, & indissolubiliter eius nos amori vniendi ra-
tio est.

9. In quo apes imitemur, quæ vt fucos, araneas, co-
lubros ab aluearibus suis arceant, ad illorum introi-
tum herbam graueolentem & amaram collocant, quę
sua graueolentia noxia illa animalia melleo dulcori
inhiantia, & œconomiæ mellificatoriæ infesta abigit.
Sic nostrum est ad cordium ianuas sanctam mortifi-
cationem & pœnitentiam velut custodes apponere,
si gratiam, quæ super *fauum distillantem* suauis est, *Cant. 4.*
integram inuiolatamque conseruare, &, ne à satana
illa, peccato eius in locum ingesto, fugetur, impedire
velimus.

1.2. Postquam ergò Dominus monumento inclusus **IV.**
& id obturatum esset, Pilatus, Iudæis instigantibus,
ipsum obsignari, & à militibus excubantibus custo-
diri iubet. En *lectum Salomonis sexaginta fortes am-* *Cant. 3.*
biunt; sed incassum: *frustrà* enim *iacitur rete ante ocu-*
los pennatorum. *Prou. 1.*
3.4.5.6.7.8. Qui adinstar radij solaris virginitatis
Matris suæ vitrum pertransire potuit, ipsum nullate-
nus violando; qui aquis inambulauit; qui inuisi-
bilem se reddidit; cui nihil *impoßibile est*, qui *Luc. 1.*
per *Luc. 1.*

per potentiam suam transcendentem & extraordina-
Ioan. 20. riam creaturas quaslibet inflectit prout vult, qui
paucis pòst diebus ianuis clausis in conclaue ingredi-
Act. 1. tur, qui deniq; in gloriosa sua ascensione omnes cœlorum orbes, eisdem antè non apertis nec dilatatis peruadet; illinc difficile fore putatis vel lapidem pertransire?

Apoc. 5. 9. Hic signatus liber est, quem solus Agnus imperceptibiliter aperire potest.

Eze. 40. 10. Porta Ezechielis est, per quam clausam Dominus exercituum & intrare & exire potest.

11. Interim dispicite, quomodo Iudæi, gloriæ Re-
Osee 7. demptoris inuidentes, eamque obscurare conantes
Psal. 49. *tota die cogitent malitiam in corde suo*, & *lingua* eorum *concinnet dolos*, hoc pacto *nouissimum errorem* suum *peiorem priore* reddentes. Adeò enim perhorrenda illa prodigia, quæ in Domini morte coràm spectârant, & quæ etiam Gentilibus pœnitendi & ad Deum redeundi fuêre occasio, commoti & emolliti
Act. 6. non sunt, vt etiam *Spiritui sancto resistere*, & inciperent, &, cùm aliud res ipsa loqueretur, & ipsi aliter
Dan. 13. scirent, peruersè agerent, *oculos declinantes in terram*, ne *veritatem viderent*; sed, vt tetræ & malignæ quædam nubes, solem offuscare conati sunt, qui tam deliquio suo, quàm fulgore quem emiserat, ita se spectandum & cognoscendum dederat.

2 Reg. 14. 12. *Exstinguere volunt scintillam* sub mortis cineribus latitantem, sed quæ resuscitata tantum excitabit incendium, vt omnem terrarum orbem sit inflamma-
Matt. 5. tura.

13. Frustrà conantur *abscondere ciuitatem super montem positam*, & magnum solem orientis inobscu-
2. Cor. 6. rare: quod qui facit, opponit se illi, qui *fecit de tenebris lumen splendescere*, quique nouit confundere *om-*
Psal. 24. *nes iniqua agentes superuacuè*.

14. Sidus hoc dissipare, dispellere, & resoluere potest nubes, à quibus radij eiusdem impediuntur & retunduntur.

15. Sam-

15. Samson hic, portas has disijcere, & omnes Philisthæos, à quibus obsidetur, profligare potest. Pilate *Iud 16.*
Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos Custodes?

16.17.18. An non posset, si modò vellet, delere eos *Iud. ep.*
cum Chore, vel vno verbo prosternere, vel excæcare,
vel exstinguere? an non etiam conterere petram hanc *Iud. 16.*
in eos deijciendo: vti olim robustus ille iuuenis atrij columnas collidens, & inimicos suos obruens?

19. Nulla vi insolita opus est, solam suam adhibere
vult subtilitatem: oculis enim illorum se reddet imperceptibilem, & *transiens per medium illorum ibit.* *Luc 4.*

20. Porrò quis poterit, petit Sapiens, percipere *viam* *Prou. 30.*
colubri super petram?

21. Videte, vt noster Daniel in lacum aut fossam *Dan. 6.*
obsignatam conijciatur; vnde dicere potest: *Posuerunt* *Psal. 87.*
me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis. Et rursus: *Aestimatus sum cum descendentibus* *Ibid.*
in lacum: sed non multò pòst dicet: *Non derelinques* *Psal. 15.*
animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: notas mihi fecisti vias vitæ.

22. An vt sponsus à sponsa sua nomina & titulos hos
mutuetur, *Hortus conclusus, fons signatus.* Sed fons hic, *Cant. 4.*
licet circumquaque obseratus, non idcircò minùs *sa-* *Ioan. 4.*
liet vsque *in* cœlorum summa; & hortus hic conclu- *Cant. 4.*
sus *emissiones* suas faciet in *paradisum.*

23. Prô miselli Iudæi qui malignis strophis & arti- *Phil. 2.*
bus vestris illud obscurare studetis *nomen, quod est super omne nomen*, nomen inquam illud illustre, cui *omne genu flectitur.*

24. Sed vestris ex opposito moliminibus fiet, vt id multò apud posteros reddendum sit illustrius, vti ipsum Herostrati.

25. Pharao, quo vniuersam Hebræorum stirpem *Exod. 1.*
deleret, obstetricibus mandauit, vt omnes masculos, mox vt in lucem editos exciperent, de medio tollerent: sed nunquam, quò impio hoc consilio intendit,

pertin-

pertingere potuit. Sic Iudæi quò ſuo Chriſtianiſmum in ortu opprimerent, Saluatoris Ieſu reſurrectionem
1 Cor. 15. impedire conabantur: Ipſa namque primarium ac
Pſal. 2. ſublimiſsimum fidei noſtræ punctum, etſi *Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra*: ſed, *qui habitat in cœlis irriſit eos & diſsipauit conſilia eorum. Scimus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis verè. Credendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci.*

26. Interim dum hinc ſatellites ſepulchrum Dominicum praua malignaque intentione cuſtodiunt,
Cant. 1. illinc, obſecro, piæ mentes, ingentem Angelorum con-
Ioan. 10. ſpicite multitudinem, iuxtà hoc *tabernaculum Cedar*,
Luc. 2. in quo *bonus Paſtor* requieſcit, circum adſtantium; non minùs iam dolentium & afflictorum, quàm in eius natiuitate circum præſepium olim exultauerant, cùm feſtiuo ſuo concentu aëra replebant. Libenter quidem in lacrymas prorupiſſent, ſed non cadunt in eos lacrymæ, & illacrymabiles ſunt.

27. Videte quoque eos, perpetuò excubantes, vti fabricoſus ille draco, quem aurea Heſperidum mala cuſtodiſſe perhibent.

28. Neque verò dubitandum, quin plurimi Cherubini terreſtrem hunc paradiſum, ignitis enſibus in-
Gen. 3. ſtructi, cuſtodierint, cùm eodem verus vitæ fructus eſſet incluſus.

Luc. 23. 29. *Similiter & mulieres ſedebant contra ſepulcrum*, ait textus Euangelicus. Quàm ad viuum hæ repræſentantur per mulieres illas ad tabernaculi cuſtodi-
Exod. 38. am deſtinatas?

30. Interea dum hæc peraguntur, adueſperaſcit, *&*
Iſaia 21. *nox atra cauâ circumuolat vmbrâ, & ſol decedens cre-*
Pſal. 83. *ſcentes duplicat vmbras.* Durum Deiparæ Matri Mariæ fuit, item alijs Marijs eius ſociabus, inde digredi compelli; nam ſuum ibi prælibenter *fixiſſent* tabernaculum, & iuxtà monumentum hoc ſua caſtra metaſſent, perpetua ibi habitandi ſede delecta. In quo formicis Troglodyticis ſunt perſimiles, quæ nonniſi violen-

violenter à thesauris hominem pelli queunt.

31. Quàm corpora illarum violenta & vehementi quadam auulsione ab hoc sequestrátur sepulcro, cùm in eo amoris cordium illarum centrum requiesceret! *Quis eas separet à charitate Christi?* quomodo deserant eum *quem tenent*, quique tam firmiter eas sibi adnexas tenet & vnitas, vt ne mortis quidem tanta sit potentia, quanta dilectionis earum fortitudo? Rom. 8. Cant. 7. Cant. 8.

32. Vt tamen nullum ostenderent, ne cui obloquendi ansam darent, vtque consentaneum ingenuis virginibus & matronis honestis decorum seruarent modestè, saltem corpore, Ierusalem reuertuntur, etsi cor suum velut pignus ad dulcissimi sui Iesu positi in monumento pedes relinquerent. Hoc illæ facto nos docent, Deum interdum propter Deum relinquendum esse, & exteriores deuotionis actus omittendos subinde, ne quam demus temerè iudicandi occasionem illis, quibus maior est de carpendis & cauillandis alijs, quàm de benefaciendo cura; denique non ipsum modò malum, sed & omnem mali suspicionem euitandam.

33. Hinc discite etiam, matronæ spirituales, non tam diu in templis, præsertim diebus profestis, versari, vt quid inde res vestra domestica detrimenti capiat, & aliquam indignandi stomachandique maritis vestris occasionem detis.

34. Deuotio non in rosariorum multorum deuolutione, non in magno precatiuncularum numero decurrendo consistit, sed vt benè quisque pro vocatione secundum Deum viuat: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Saltatores aliquantulum retrocedunt, vt saliant longiùs: qui orationem intermittunt, quò operentur, & opus suum peragant, seruum imitantur, qui ideò sponte suum cum hero sermonem abrumpit, quo quæ ille iussit, opere exequatur. 2. Pet. 1.

35.36. Hinc & aliud secretum discite, discite inquam,

inquam in Ierusalem, id est, in visionem pacis, in animæ inquam vestræ quietem secedere, quò sanctam Domini passionem cum vtilitate aliqua meditemini. Ibi *sugetis mel de petra*, & *oleum de saxo*: hoc item pacto *colligetis de spinis vuas, & de tribulis ficus*. Et imperfecta hac recollectione cum sponsa dicere poterimus: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*.

Deut 32 Matt. 7. Cant. 1.

37. Hæc nos quies & mentis recollectio valdè aptè hîc inuitat, vt animum resumamus, & nonnihil interquiescamus, aliquantulum respirantes, quò longi huius, quod restat, curriculi spatium feliciter decurramus, interim dum ex corde chorus noster concinet: *O crux aue spes vnica*.

PARS ALTERA.

HACTENVS, fratres, lamentantes amantissimi nostri Iesu supplicia prosecuti sumus, ijsque iam finem per sepulturam eius imposuimus, corpore eius iam anima priuato in sepulchro recondito. Quia verò id iam sensu omni caret, hinc fiet, vt à furore & rabie Iudæorum, iuratissimorum eius aduersariorum, malis eius plenè saturatorum, & morte eius iam quiescentium, deinceps futurum immune sit. Sed eheu! (iterum dico, eheu!) vbi filij cruciamenta finem habent, ibi matris dolores initium sumunt; quæ iam Hierosolymam reuersa, & intra suum sola reclusa cubiculum, à tanta inimicorum multitudine impetitur, vt, quidquid de fabulosis Hecubæ doloribus referunt Poëtæ & repræsentant, nonnisi vmbra & rudis quædam imago sit essentialium illorum dolorum, à quibus cor eius depascitur, toties de nouo renascens, quoties præ dolore consumptum emoritur, sicut Promethei ad Caucasum religati iecur.

Vobis-

Vobiſcum ipſi perpendite, quot ediderit ſuſpiria, quot effuderit lacrymas, in quot querimonias & ploratus, interea dum filius in ſepulcro iaceret, proruperit. Magna hic mihi aperitur ad diuagandum, & in materia adeò fœcunda exſpatiandum ianua, niſi me ea, cui hìc ſtudeo, breuitas impediret. In ſecunda porrò hac parte & poſteriori acie, primò vobis eius compaſsionem, antiquis aliquot prolatis figuris, exprimere conabor, 2. cauſas extremi huius doloris, 3. conſtantiam animi illius, 4. amorem depromam. Incipio.

1. Sicut, qui irretortis rectiſque oculis ſolis radios intueri nequeunt, velaminis alicuius tenuioris vmbram ſibi ſpontè inducunt, vt hoc pacto fulgoris eius vehementiam, & nimiæ claritatis iubar illidant, quò ſiccos ſic oculos ad hoc faciliùs percipiendum diſponant. Ita cùm ipſe exceſsiuum illum, quo Redemptoris noſtri mater opprimitur, dolorem dignè & prout par eſſet, nequeam verbis exprimere, aliquot figurarum, veteri Teſtamento expreſſarum, lineamenta mutuari decreui; inæqualium earum quidem minimè illi reſpondentium, quæ ſua tamen inæqualitate nos mirari eum facient exceſſum, ad quem exprimendum verbis pertingere non valemus.

2. Sed ex altera parte vereor, ne, cùm vmbræ picturis decus addere & inſignire ſoleant, equidem hanc compaſsionis imaginem, quam per figurarum veterum vmbras, quas vobis hìc præparo & adfero, repræſentare deſidero, potiùs deprimam & humiliorem reddam. Certè nihil impedit, quò minùs quædam inter ſe conferantur, etſi inuicem non adæquentur; & multa in collationem & pariationem veniunt, quæ tamen nimis quàm procul diſtant vt inter ſe comparentur; imò non rarò in medium adferendo id quod minus eſt, maximè aſſurgere ſolemus.

3. Si Sara mater alicunde intellexiſſet, dilectum ſuum Iſaac vnicum animæ ſolatium, & cordis riſum à coniuge ſuo Abrahamo in ſacrificiũ immolandum, *Gen.22.*

quamnam animi amaritudinem sensisset, quos ploratus, quos planctus & fœmineos in cœlum vlulatus effudisset? Verùm Abraham, cognito, quantus esse matris soleat in vnigeniti oblatione dolor, nocte media, illa profundè vtramque in aurem dormitante, Dei iussum executurus, lecto surgit, scilicet

Tempore quo permagna quies mortalibus agris
Incipit, & dono cœli gratissima serpit.

Ergò propositum suum illam celat, imò nec filio id aperit, ne *terroribus mortis* eum perturbet. Vnde etiam in suo infortunio mater hæc fortunata aliquatenus existit, quòd id ipsa ignoraret. Sed quid de Maria Virgine dicemus, quæ suos ante oculos filium vnigenitum excarnificari, demùm & interfici conspexit; quin & lignum super quo in monte Caluariæ immolandus esset, portantem & suam ceruicem rigido seueræ iustitiæ Patris æterni mucroni subijcientem; nec aliquem in eius locum arietem subrogari, sed ipsummet, qui erat agnus sine macula pro mundi peccatis immolatus, mactari? quare sua ad dormiendum membra non componebat; sed assiduè peruigilabat; vnde nec illi nox erat, sed meridies; nec in secreto aliquo versabatur conclaui, sed velut in publico locoque inquieto.

Apoc. 5.

4. Respicite mihi stolidas & imprudentes illas sæculi matres, quæ sæpè *suos* malunt *filios dæmonibus* quàm *Deo immolare*; ad vanitates eos sæculi & pompas mundi impellere, quàm per statum aliquem Ecclesiasticum vel Religiosum altaris ministerio deseruientes videre. Quas non illæ interdum committunt ineptias, quæ non vesanæ stultitiæ edunt argumenta, quò eos à tam generosis propositis auertant? suas euellent comas, vt benè id describit Hieronymus, pectus tunsionibus onerabunt, nonnisi in singultus querimonias & improperia os laxabunt, & per ea quæ filij suxerunt adiurabunt vbera, quò eos & *respicere retrò*, & *aratrum ad* quod *manum miserunt*, deserere faciant. Memini hîc amantis & furêtis illius Reginæ, quæ

Psal. 105.

Hieron. in epist.

Luc. 9.

quæ sic apud magnum poëtam cum Aenea expostulat: *Aene. 4.*

Mene fugis? per ego has lacrymas, &c.

Si naturalis amor tam est potens, vt carnem & sanguinem sæpè spiritui faciat prædominari, & diuino famulatui vanas terræ delicias præponi; (cùm stolidæ hæ matres de filiorum suorum commoditatibus perditè sollicitæ, ac velut idololatræ, videre non sustineant, vt sanctas crucis austeritates ipsi amplectantur, morte verè ciuili in eadem cum Domino Iesu morituri) quid beatam sensisse Virginem existimabimus, quæ dilectum filium ea subire vidit tormenta; cum quibus omnes quæ cogitatione fingi possunt austeritates, ne comparari quidem mereantur?

Pro peccatis suæ gentis
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

An non hæ magnæ, inuicem collatæ, sunt disproportiones? Ex harum tamen stolidarum matrum furoribus iudicate, qui fuerint prudentis & amantis Matris Redemptoris nostri dolores.

5. Rebecca geminos vtero ferebat ita inuicem dissimiles, vt, cùm eorum incompatibilitas iam inde ab vtero materno inciperet; intestina collisione & conflictu incredibiles matri dolores & conuulsiones adferrent; quam concertationem & duellum ipsa non ferens, & oppressa, sibi dicebat: *Si sic mihi futurum erat; quid necesse fuit concipere?* Erant hæc reuera *verba præcipitationis*: videntur enim ab animo erga Deum post receptum fœcunditatis beneficium, & abactam assiduis Isaaci precibus probrosam sterilitatem parum grato proficisci. Sed annon eadem, sensu quodam molliori, ad Beatam Virginem nostram possemus transferre, quæ in Saluatoris partu ab omni tormine & cruciatu immunis, illius in morte tam incomparabiles dolores sensit, vt vere esset (vti eam vocat Ecclesia) *mater dolorosa*, cùm *virum dolorum* peperisset? *Gen. 25.* *Psal. 51.* *Isaiæ 53.*

Gen. 27. 6. Hæc ipsa Rebecca filium suum Iacob, ad paternam benedictionem astu præoccupandam, vtpote metuentem, ne, si dolum & stropham pater subolfaceret, loco benedictionis maledictionem in caput suum arcesseret, animans dicebat: *In me sit ista maledictio fili mi.* Si B. nostra Virgo ita mille subire mortes, filij sui liberandi ergô, potuisset, vti reuera dicere poterat:

Psal. 68. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me,* quàm libenter omnigenis se supplicijs obiectasset!

3. Reg. 3. 7. Vera mater pro filio apud Salomonem disceptans, eo toto carere maluit, quàm suos ante oculos eum dispertiri medium cernere. Sed ex hac vltronea cessione ipsa vera esse mater cognita est; vnde etiam puer ei sospes & integer redditus fuit. Quid non sacratissima Virgo nostra & fecisset, & passa esset, ne duram illam animæ & corporis filij sui diuisionem coràm spectare cogeretur? sed omnes eius resignationes rigidæ æterni Salomonis iustitiæ executionem

Psal. 93. impedire nequiuerunt, & *secundum multitudinem desolationum, consolatio illius animam non lætificauit:* quin immò anima eius omnigenis doloribus & amaritudinibus oppleta fuit.

Gen. 21. 8. Agar, Abrahæ ancilla, è domo herili pulsa in desertum concessit, quo loco dum cùm fame & inopia confligaretur, iamque alimenta omnia tum sibi, tum proli nutriendæ deficerent, mori statuit; sed cùm filium sine magno animi sui dolore emorientem videre non posset, ab eo se diuellens aliò concedit, dicens: *Non videbo puerum morientem.* Mater nostra Maria tale in sua miseria priuilegium non habuit: continuò namque spectaculo mortales filij sui languores videre coacta est. Vnde scribit de ea Euangelista: *Stabat iuxta crucem Mater Iesu,* & Ecclesia canit:

Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatum
Dum emisit spiritum.

Adeò vt frustrà veteres omnes euoluturi simus annales,

nales, carissimi, vt dolorem inueniamus, qui sit similis dolori eius. Aliud quippe omnes non sunt, quàm rudia quædam lineamenta, viuis amaritudinum eius acerbarum coloribus destituta.

1. Quæ ampliùs non prosequar, vt causas indagem, ob quas dolor eius longè fuerit maior & vehementior, quàm aut hominum vllus vnquam habuit, aut fingere sibi cogitatione queat. Prima fuit delicata suauissimæ ac benedictæ huius matris complexio, quæ vehementem hunc dolorem eo illi reddebat sensibiliorem. Si enim ne vilissimum quidem animalculum ipsa aut occidi vel pati, sine maxima animi commiseratione videre non potuisset, & si dolores huius eam ad compassionem concitassent: quonam putatis eam dolore vidisse filium suum carissimum tam diris modis excarnificari? II.

Quis possit lacrymis æquare dolores?

2. Secunda causa fuit, singularis eius maternitas: nã præterquam quòd partus & virginalis integritas, (quæ nunquam simul in aliqua muliere visæ erant) in ipsa cucurrerint; erat insuper ipsa Domini Iesu simul & pater & mater, vtpote quæ purissimum cordis sui sanguinem, ad corporis eius formationem, sine vlla opera virili suppeditârat: adeò vt dupliciter eum diligeret, & amore paterno fortiter & amore materno suauiter ac tenerè. Atque hic fuit *gladius* ille Simeonis, *anceps*, & ex vtraque parte acutus, *animam* eius *& spiritum diuidens*, cor item ac *medullas & compages* transfodiens. *Luc. 2. Hebr. 4.*

3. Tertia, quæ dolorem eius adauxit causa, fuit ingens eius cum Domino Iesu vnio & sympathia, vt qui verè esset *os de ossibus* eius, *caro de carne* eius, & sanguis de sanguine eius. Vnde ambo adeò conformes & inuicem vniti erant, vt bonum vel malum vnius, ad alium transeundi sese transfunderet. Atque vt solis deliquio luna statim obscuratur, vtpote quæ nonnisi de illius splendore mutuato resplendet, ita se res in *Gen. 2.*

his Geminis habebat. An non oculo vno lacrymante alter statim etiam in lacrymas prorumpit? maiorem etiam inter hunc filium & matrem hanc fuisse sympathiam creditote. Poma etiam fuêre, quorum vnius maturitas occulta quadam vi ad aliud penetrat. In quo aliquo modo pares exstiterunt pueris illis Geminis, quorum meminit Plinius, qui sibi inuicem pectore coniuncti, in omnibus actionibus ita conformes erant, perinde ac si vna eademque anima vtrumque hoc corpus animasset.

4. Quarta vehementioris huius doloris in Deipara causa, fuit locus plagæ, ipsum scilicet cor, quod & vitæ centrum est, & omnium sensuum fons. Vulnera quippe eò sunt acriora, & dolorem maiorem afferentia, quò in locis sunt delicatioribus. Eratne autem in mundo compaßibili hoc benignæ ac benedictæ matris nostræ corde quid tenerius? Hac de causa meritò

Serm. de verb. Apost. sanctus Hieronymus homilia de Assumptione, & Bernardus, plusquam martyrem eam esse dixerunt: eò quòd, cùm reliqui Martyres in solo paterentur corpore, hæc in corde passa sit: ipsi in carne, quam prodigebant & parui faciebant, hæc in benedicto Saluatore nostro Iesu, quem vnicè & præ cæteris rebus omnibus diligebat.

5. Quinta, vt ipse quidem mihi persuadeo, extremi doloris eius causa, eaque præcipua est, quòd omnes reliquorum dolores sint particulares, sed eius fuerit

Isaiæ 53. vniuersalis. Patiebatur quippe in Saluatore nostro Iesu, qui ipsius erat totum, adeò vt à *planta pedis vsque ad verticem capitis* angustijs velut immersa & perpluta fuerit. Corpore quidem patiebatur in paßione dilecti filij sui, corde verò per compaßionem, quę

Psal. 68. eam nimis quàm grauiter lancinabat: adeò vt tristitiæ & angustiarum *aquæ vsque ad animam* eius *intrarent*, dum corpus eisdem deforis obruebatur; &, si Deus semper cum ea non fuisset, ab ijsdem forsitan

Psal. 123. absorpta fuisset, & *aquas* illas *intolerabiles pertransire* minimè potuisset.

6. Cui

6. *Cui comparabo te Virgo* (dicam cum elegiaco Propheta Ieremia) *vel cui aßimilabo te? magna est velut mare contritio tua.* Egregia sanè comparatio. Nã vt in ipsa mundi creatione Deus aquarũ salsarũ congregationem appellauit *maria*; sic in eiusdem recreatione omnium cellectio dolorum dici potest *Maria*: Et nomen hoc *Maria*, an non idem sonat, quod *mare amarum*? Et, si eius litteras intueamur, à *mari* deriuari videtur? *Domine à mari via tua, & semita tua in aquis multis.* Thren. 1. Gen. 1. Psal. 76.

Atque vti sol (prout docent Physici & naturalium rerum scriptores) mare amaricat; sic solis orientis defectio sanctæ huius cor amaritudine videtur adimplere.

Nulla in mari gutta est, quin amara sit; sic nullus in Mariæ cùm corpore, tum corde locus est, qui non doloribus repletus sit. Atque ideò in illam quadrare videntur (quàm benè autem vobiscum ipsi dispicite) verba viduæ illius afflictæ, quæ cõmuniter illi applicantur: *Nolite vocare me Noemi, id est, pulchrã sed vocate me Mara, id est, amarã, quia amaritudine valde me repleuit omnipotẽs.* Quo loco notabitis, verbo illo *valdè* extremi cuiusdam doloris extremitatem vehementiamq́ue significari solere. Ruth. 1.

III.

1. Quonam verò summam eius euehemus constantiam! quòd scilicet filij sui carissimi cruciamenta, & demùm mortem videre coràm potuerit, cor tamen eius in mille frusta dissectum non fuerit. O cor inter omnia hominum corda & fortissimum & generosissimum! O pulchrum & incomparabile cor, adamante & fulgidius & defœcatius, quin & eodem solidius, cùm ne Agni quidem immolati sanguis te mollire, aut ad aliquid quod impatientiam & irresignationem redoleret, inflectere potuerit!

2. O cor ferreum, igne sancti amoris candens! eiusdem esse naturæ videris, cuius securis illa Elisæi, quòd scilicet præter naturam, amaritudinum aquis supernates. 4. Reg. 6.

3. O cor corallinum, caritate rubricans, & præ constantia lapidescens & petrosum, salsi maris tribulationum aquis tamen innatans!

Exod. 16. 4. Tu mannæ simile es, nam ad sancti amoris solem liquefis, & in afflictionum igne induréscis & incrustaris.

5. Tu simile nido Alcyonio, qui super aquas constructus ab ijs nec penetrari, nec submergi potest, cùm benè vndique conclusum & obductum sis, semperque in æquilibrio pendeas.

Exod. 3. 6. Huc adeste, carissimi, & *videte visionem hanc magnam, rubi* inquam *ardentis*, non tamen ab igne consumpti. Nam sacratissima mater nostra ita in medijs est angustiarum flammis constituta, vt in nulla impatientiæ verba prorumpat, semper & in omnibus, diuinæ prouidentiæ voluntati conformis.

Eze. 30. 7. Quàm verè illa rubus fuit sentibus horrens, ac de quo illud Propheticum dici queat: *Sicut parturiens dolebit Pelusium*! violentas namque quasdam conuulsiones & tormina, sub spinosa hac cruce, tanquam si rubum aut hericium peperisset, videns filij sui caput ita spinis obsessum, patiebatur.

8. Dicitur ficulnea siluestris lignum, secùs quàm omnia alia ligna, iam arefactum, aquis iniectum fundum petere; sed quò plus aquæ imbibit, eò etiam magis & magis ascendere. Reliquorum hominum corda, à tribulationum aquis penetrata, ad pusillanimitatis & ignauiæ fundum plerumque descendunt; at Virgo

Psal. 65. nostra, in medijs maximarum oppressionum aquis, suum semper cor ad Deum sustulit, qui *non dedit in commotionem pedes* eius.

9. 10. Piscis dum viuit, libenter in aquæ fundo na-

Exod. 15. titat, sed mortuus in eius superficie fluitat: qui in de-

1. Pet. 3. litijs viuunt, ingruentibus tribulationum aquis, *descendũt in profundũ quasi lapis*: sed qui benè mortificati sũt corpore, *viuificati* sũt *spiritu* omnibusq; difficultatibus supernatant, diuinæ se voluntati conformantes,

tes,

tes: *Mutant fortitudinem, assumunt pennas sicut vt aquilæ*, volant *& non deficiunt.*

11. In quo thuri haud absimiles sunt, quò enim magis ardent, eò suum magis odorem exhalant, & euaporant. *Vsti sunt, secti sunt, tentati sunt* & *Christi bonus* odor facti sunt. *Hebr. 11.*

1. Quis verò hanc ei constantiam inspirauit? vehemens erga Deum amor, omni ex parte perfectus: Amor hic in illa *fortior* fuit, quàm ipsa *mors* in filio. *2. Cor. 2.* IV.

2. Cogitate, quantopere in Abrahami animo, cùm filij vnigeniti immolandi à Deo mandatum accepisset, hinc amor naturalis, inde supernaturalis luctatus, eum in diuersa distraxerit: hic verò illi præualet, atque anteros, (amor inquam diuinus) erotem, amorem scilicet humanum expugnat. Eodem planè modo se res in sacratissima Virgine habet. Amor siquidem humanus tristitia & amaritudine, in vnici filij sui morte, eam adimplebat, vt diuinus afflictam redanimabat & confortabat: quo agente, dicebat: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* *Cant. 8.* *Gen. 22.* *1. Mat. 3.*

3. Si Pater æternus *proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Et, Si *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret pro nobis*; anne dubitandum, quin æternum sancta hæc mater Patrem in eo imitata fuerit tum, cùm in sua purificatione filium hunc carissimum in templo illi stetit? an non id eò faciebat, vt de ipso is, prout illi complaceceret, disponeret? Ita quippe in Deum transformata erat, vt vnus & idem cum eo esset spiritus, prout ait Apostolus: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* *Ioan. 8.* *Ioan. 3.*

4. Quàm eius amor erat purus, cùm tam æquanimiter omnibus suis consolationibus simul se priuari pateretur, tam in carentia, quàm fruitione conuersationis carissimi filij sui Deum diligens!

5. Veterum Romanorum historijs celebratur Curtius, quòd suam pro patriæ salute vitam deuouerat: quibus vero nos laudibus Mariam extollemus, quæ *Liu. l. 7.* *Oros. 3. cap. 1.*

 filij,

filij, qui vitæ ſuæ erat vita, pro mundi totius redemptione immolationem æquo animo pertulit?

Num. 31. 6. In ſacra autem hiſtoria Iſraelitides matronæ celebrantur, quòd omnia monilia ad tabernaculi conſtructionem & ornatum contulerint: quid verò ipſi de Mariæ charitate dicemus, quæ & *æra & minuta duo*, (duas inquam filij ſui naturas) in gazophylacion proiecit, & margaritum Euangelicum, quod inæſtimabilis pretij eſt, ad Eccleſiæ, quam Dominus *in ſanguine ſuo* & *lauit* & generauit, fabricam contulit? Eia igitur, anima mea, *quid tibi eſt in cœlo, & quid voluiſti ſuper terram*? Annon *renuntiare omnibus* deſideras, cùm Deipara mater Deum etiam reliquerit propter Deum?

Marc. 12. *Matt. 13.* *Apoc. 21.* *Pſal. 72.* *Luc. 14.*

9. O extremum Ieſu & Mariæ in genus humanum amorem! hæc nobis dat illum, & ille noſtri cauſa, impendit & prodigit ſemetipſum. Quis mihi det, vt tam ſancto amori reciproco amore reſpondeam! vt omnibus peccatis & imperfectionibus, etiam mihi ipſi & propriæ voluntati ſpiritualiter inter Ieſum & Mariam medius moriar!

Sancta mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

Pſal. 67. Quis mihi det, vt *dormiam inter medios cleros*, &
Pſal. 4. *in pace in idipſum dormiam & requieſcam*?

10. Quis verò ingens Paſsionis Dominicæ fructus
Ioan. 4. eſt? nō alius ſanè, quā tali eum amore diligere, quali ipſe nos antè dilexit? Vt enim charitas perfectionis eſt apex, ita etiam maximus paſsionis effectus eſt, ſi ad hunc nos apicem euehamus. Quomodo verò aliter ad eum nos librabimus, niſi continua quadam tam ingentis beneficij recordatione?

11. Vtinam ea verborum meorum ſit, quæ eſt aquæ (quam fortem vocat) vis, vt eorum efficaciâ, cordibus veſtris, tametſi ænea forent vel chalybea, indelebilem crucifixi Ieſu figurā poſſem inſculpere.

Quam

Quam non imber edax, non aquilo impotens *Horat. 3. odar.*
posset diruere?

12. Vtinam corda vestra sigillo hoc sacro ita sigillare queam, vt nullam deinde aliam figuram aut impressionem admittant, omnemq; alium affectum excludant!

13. Atq; hoc ipsum est, quod toto conatu & viribus meis, animabus vestris, linguæ scalpro, toto huius Quadragesimæ curriculo insculpere sum conatus. Siquidem vnicum hunc mihi præfixi scopum, nimirum & passionem filij, & compassionem matris, & *cordi* *Cant. 1.*
& *brachijs vestris vt signaculum* inserere.

14. Terra sigillata (vt nostis) præsens aduersus serpentum virus æmulatum est: si corda vestra, tametsi terrea, perpetua hac memoria consignata essent, nunquam à peccati veneno intoxicarentur.

15. Thomas Cantipratensis auctor inprimis pius, refert, seruum quendam Christianum, qui hero Ethnico, imprimis austero & duro, seruiebat, seueris in corpus suum modis solitum animaduertere: hic quodam tempore ab hero rogatus, cur in se adeò rigidus esset, ideò, inquit, quòd crucis & passionis Christi memoriam assiduè corde versem. Experiar id re ipsa iam iam, inquit herus incredulus & barbarus: & hoc dicto, illum confestim iubet & interfici & exenterari. Et ecce (rem admirabilem) corde eius in duas partes dissecto, vna eius medietas alteri veluti sigilli loco fuisse visa est: in vna namque parte crucis imago in superficie exstabat, velut expressa, in altera vero forma erat depressiori velut imprimens: *Tunc* *Ioan. 4.*
credidit ipse, & domus eius tota. An non erat id, vas in honorem, & vera terra sigillata?

16. Nostis in S. Martyris Ignatij Apostolorum contemporanei, & B. Virg. discipuli corde post mortem nomen & crucem Iesu insculptam apparuisse.

17. Is scilicet erat Ignatius, qui nunquam non per orationem iaculatoriam dicebat: *Amor meus crucifixus est.* Vtinam nobis post illũ etiam dicere liceat:

Amor

Amor meus crucifixus est; vel, *Crucifixus est amor me-*
Gal. 2. *us*; vel cum Apostolo, *Quod autem viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me!*

18. E prima itaque longioris huius homiliæ parte retinebitis, dilecti, qualis fuerit Domini è cruce depositio, 2. quæ eius sepeliendi ratio, 3. quale illius sepulchrum, 4. quomodo sepulchrum à custodibus fuerit custoditum. E secunda verò memoriæ, 1. imprimetis figuras, quæ compassionem B. Virginis aliquo modo repræsentant, 2. extremi doloris eius causas, 3. eius constantiam, 4. denique amorem.

Rom. 8. Et ex vniuersa simul passione addiscetis, Domino
2 Tim. 2. *compati, si corregnare* velitis; pati, si glorificari; com-
Gal. 2. mori, si æternum cum Iesu regnare, cum Apostolo dicentes: *Mortuus sum, vt viuam Deo; Christo confixus sum cruci: viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus*, qui proinde integrè, fideliter, & vnicè colatur, adoretur & ametur à cordibus nostris, iam viuens quàm moriens, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA IN PASCHATE.

Triumphus crucis in Resurrectione D. N. Iesu Christi.

HOMILIA XL.

Psal. 95. DIcite in Gentibus, quia Dominus regnauit à li-
2. Tim. 4. *gno.* Hodie illustre tropæum *bono certamini*, quod Redemptor Iesus *certauit*, quodque tota hac Quadragesima vobis deduximus, erigimus. Non erit hoc aliud quàm hæc ipsa crux, qua is mortem emori fecit, infernum expugnauit, mundi potentiam infregit & debellauit. Eius 1. vobis mirabilia, 2. bona, 3. victoriam 4. triumphum commemorabo. Insignis

sanè

ſanè materia eſt in feſtiua hac ſolennitate. Aures, obſecro, mihi eam deducenti date.

1. Iuſtinus Martyr dialogo contra Tryphonem de Iudæorum malitia expoſtulat, quòd vt fatalem illum & ineuitabilem declararent ictum, quem hoc quod vt thema ſumpſimus, Dauidis vaticinium illis recta in fronte inferebat; verba illa *à ligno*, quæ in antiquis Hebræorum exemplaribus exſtant, eraſerunt & detruncarunt. Nullum verò aliud è quo Dominus regnat, lignum eſt, quàm ſancta crux, quæ imperij eius ſignum, ſed imperij quo cordibus imperat. I.

2. Hodie etiam canere poſſumus, ac quidem non minori iubilo & exultatione, quàm ſuperioribus his diebus triſtitia:

Impleta ſunt quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicens, in nationibus
Regnauit à ligno Deus.

3. Quin rurſus cum eadem Eccleſia canere: *Qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituit, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Chriſtum Dominum noſtrum* In quo mirabile Dei elucet conſilium reparationem lapſui proportionatum eſſe, vtque arbor crucis commiſſam in manducatione fructus ex arbore vetita præuaricationem deleret, volentis. *Gen. 1.*

4. Quàm ergò bene Ioannes Damaſcenus ſcripſit: *inter omnia mirabilia crucem eſſe mirabiliſsimam*: omnia namque prodigia vetera, in hac vna ſimul coaceruata videntur, non quaſi epitome quædam aut compendium, ſed vt flumina in vaſto Oceani ſinu congregantur. *Lib. 4. c. 12 fid. orthodox.*

5. Vt enim Verbum æternum verbo & ſpiritu oris ſui, omnia in rerum creatione è nihilo formauit; ita omnia in cruce exſpirans, in recreatione reformauit.

6. Dicamne per crucem mundum à diluuio errorum ſaluatum eſſe, vti olim per arcam Noë generis *Gen. 2.*

humani

humani reliquiæ ab vniuerſalis cataclyſmi abſorpti-
onibus?

Heb. 9. 7. Arca teſtamenti vetus in ſe continebat manna,
virgam Moſis, & tabulas perforatas (quibus lex in-
ſcripta, vel potius proprio Dei digito inſculpta erat;
Crux, per quam noſtrum fœdus & conciliatio cum
Patre æterno peracta eſt & pacta, omnium harum
vmbrarum in ſe veritates continet: ipſa namq; com-
plexa eſt manna humanitatis Saluatoris noſtri, nec
Iſaiæ. 11. non *virgam de radice Ieſſe*, denique & illum, qui *lapis*
1. Petr. 2. *viuus* appellatur, quiq; vndeundiq; ſpinis, flagris &
clauis, quæ corpori eius ſanctæ caritatis legem inſcri-
Exod. 31. bunt, fuit perforatus.

1. Ioan. 2. 8. Super arcam hanc erat propitiatorium; ſic per
Exod. 15. crucem Redemptor *factus eſt propitiatio pro peccatis*
37. 40 *noſtris*.

Leuit. 16. 9. In illa reddebantur oracula rigoris; hic verò
2. Reg. 21. miſericordiæ. De illa dictum eſt, Dominum illi ſem-
Exod. 47. per fore præſentem, ita eſt & hic.

10. Virga illa Moſis tot prodigiorum affectrix, tot
nunquam prodigia operata, quot crux. Illorum nu-
merus iniri poteſt, quia fructus; ſed crucis ſunt infi-
nita. Illa tenebras per Aegyptum inducebat, hæc eas
diſpellit; illa aquas in ſanguinem conuertebat, hæc
ſanguinem rigoris in dulcem aquam mutat clemen-
tiæ; illa plagas excitabat, hæc eas curat; illa Aegyptũ
Pſal. 2. deſtruebat; hæc peccatum euertit; illa Pharaoni *vir-
ga* erat *ferrea*; hæc Principum Chriſtianorum diade-
mata cohoneſtat; illa Iſraëlitas è ſeruitute eduxit, hęc
Num. 20. animas noſtras à captiuitate Satanæ liberat; illa pe-
tram percutiens aquam eadem elicuit, hæc ex animis
obduratiſsimis elicit lacrymas, illa Iſraëlem per
mare rubrum deduxit, hæc nos per mare à paſsione
filij Dei rubricans, in terram promiſsionis condu-
cit.

11. Si virga Aaronis ſuo in flore mirabilis exſtitit,
Num. 17. quis non magis crucem hanc ſanctam miretur, è cu-
Iſaiæ 11. ius *radice aſcendit flos Ieſſe*?

12. Ipſa

12. Ipsa est virga Ionathæ, in cuius extremitate mel deguſtatur; quo deguſtato deinde homini oculi aperiuntur, vt in humanitate figurarum Saluatoris diuinitatem videat. 1.Reg.19.

13. Ipsa, virga variegata Iacob, ad cuius adſpectum animabus noſtris omnigenarum perfectionum colores imprimere poſſumus. Gen. 30.

14. Ipsa, *virgula fumi*; quæ ſuauiſsimum & acceptabilem odorem in cœlum euaporat; ipſa altare, in quo verum ſuffitur thymiama. Cantic. 3. Exod. 31.

15. Ipsa, rubus, in quo Redemptor Ieſus ardet amore. Exod. 3. Gen. 28.

16. Ipſa, ſcala myſtica Iacob, ſuper quam recubuit.

Deus: ipſa baculus ille, quem Mathematici Iacobæum nominant, quo cœlum & terram dimetiuntur. *Stetit Dominus & menſurauit terram.* Per crucem quippe apparent immenſurabiles dimenſiones longitudinis, latitudinis, ſublimitatis, & profunditatis charitatis Ieſu Chriſti. Habac. 3. Ephes. 3.

16. Ipſa, baculus Eliſæi, per quem in natura humana à morte peccati reſuſcitata eſt. 4.Reg. 4.

18. Ipſa etiam manubrium ſecuris Prophetæ huius, quæ corda ferrea, è deliciosarum aquarum profundo, attrahit. 4.Reg. 6.

19. Ipſa, lignum quod amaras aquas Mara dulcorat. ecquæ enim aduerſitas noſtra non diffugit & dulceſcit ſi cum cruce Dominica conferatur? Exod. 15.

20. Ipſa, littera Tau, electionis noſtræ ſignum: quæque iuſtitiam auertens, cæleſtem ſuper nos miſericordiam deuocat. Ezech. 9.

21. Ipſa, aſinina mandibula robuſti Samſonis qua inimicos noſtros, peccata inquã profligare poſſumus. Iudic. 15.

22. Ipſa, ſerpens æneus, qui ab eorum nos morſibus & puncturis ſanat. Num. 21. Ioan. 3.

23. Ipſa, columna ignea, quæ nos per ſæculi huius tenebras conducit. Exod. 14. Sap. 18.

24. Ipſa, columna illa, ſub qua, eam cõfringendo Iudic. 16.

Redem-

Redemptor noster, velut alter Samson, moriens sese oppreßit, & suos simul & nostros inimicos construit.

Ephes. 3. 25. Herculearum columnarum inscriptio est; *Non plus vltra*: quam non incongruè ad sanctam Domini crucem transferre poterimus: in illa namque *supereminens charitas* Domini Iesu consistit, quæ, vt ipse Ioan. 15. quidem reor, *plus vltra* extendi non poterat: nam *ma-* Phil. 2. *iorem hac nemo dilectionem habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hinc etiam Apostolus, de hoc amoris excessu loquens, maiori eam energia & efficacia nequit exprimere, quàm dicendo: *Vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

Psal. 118 26. Et sanè nulla ea eminentior videtur *memoria mirabilium Domini* dari posse, & de qua dicere omnes debemus, *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.*

II.

1. Si nunc, post hæc mirabilia, thesauros & diuitias in sancta cruce reclusos intueamur, eam verum quoddam cornu copiæ esse comperiemus, cùm quod Poëtæ comminiscuntur, nonnisi imaginarium & fabulosum fuerit.

Psal. 21. 28.77.91. 2. Ipsa, namq; cornu est monocerotis, eius inquam, qui dicitur *dilectus quemadmodum filius vnicornis*, vt quæ venenum dispellat, & sanat dum sauciat.

Dan. 4. 3. Ipsa arbor Nabucadnezar, super quæ vniuersæ cœli aues sidunt, & sub qua omnia animalia terræ pascuntur, quæque suos ab vno cœli cardine ad vsq; alium, ramos extendit; caput verò intra nubila condit. Cruce enim per quatuor mundi angulos semel prædicata, omnes ad eam gentes magno connisu & efflictim confugerunt.

Cant. 7. 4. Animæ piæ *in hanc palmam ascenderunt, & fru-* Cant. 2. *ctus eius apprehenderunt; sub vmbra illius sederunt, & fructus eius dulcißimos gutturi* suo esse didicerunt.

Psal. 15. 5. Inde est quòd Dominus in Euangelio se *vitem veram* appellet, cuius nos *palmites sumus*. Quàm, ô fra-

fratres mei, ad alta & sublimia proserpere possumus, dum sacro huic ligno, quod verum debilitatis nostrę sustentaculum est, adhærescimus.

6. Arbor hæc multò feracior est, quàm illa Apocalypseos, nouos singulis mensibus fructus proferens: hæc namque ex quo fœcundo Dei sanguine semel irrigata est, ad singula momenta fructus profert. Hac de causa canit Ecclesia: *Apoc. 22.*

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla silua talem profert
Fronde, flore, germine.

Et rursus: *Arbor decora & fulgida,*
Ornata regis purpura, &c.

7. Fructus arboris vitæ, in paradiso terrestri consitæ, nonnisi temporalem quam hîc viuimus, tueri & propagare vitam poterat: at crux, quotquot ex eius fructibus gustant, in omnem æternitatem eos conseruat Ipsa namque *manna* continet *absconditum*. *Apoc. 2.*

8. Per hanc, vti Ephraim & Manasses, omne benedictionum genus obtinemus. *Gen. 48.*

9. Ipsa, *clauis Dauid*; quin imò porta cœli, quò qui penetrare cupit, *crucem* Domini *in humeros tollere* debet. *Isaia 22. Mat. 10.*

10. Ipsa calamitatum nostrarum asylum (*miseris commune in rebus asylum*) *augens pijs iustitiam, reisq; donans veniam.*

11. Ipsa, tabula est, in qua post peccatorum nostrorum naufragium, enatamus; & firma in medijs tentationum, à quibus impetimur, tempestatibus, anchora: *Ecce crucem Domini, fugite partes aduersæ.*

12. Ipsa, pharetra, in qua suas Dominus *sagittas* amore ardentes, quas *potenter in corda inimicorum* suorum eiaculatur, recondit. Videte eum in cruce fixum, & notate, quomodo *ignis à facie eius exardescat, & carbones succendantur ab eo.* *Psal. 7. Psal. 44. Psal. 17.*

13. Denique omnia quæ cœlitus in terram dimanãt bona, per hunc crucis, in qua Redemptor Iesus no-

ſtram redemptionem, reconciliationem, & gloriam promeruit, canalem deſcendunt.

III.

1. Cùm autem ita *obediens factus* ſit, vt in hoc ligno *mortem* oppetierit, mirumne eſt, ſi in eo incomparabilem & eximiam hanc victoriam de inferno & mũdo retulerit? cùm ſcriptum ſit: *Vir obediens, loquetur victorias.* Phil. 2. Prou. 21.

2. Taceat priſca hiſtoria terribiles & artificioſas illas machiuas, quibus Archimedes vniuerſas Romanorum copias perterruit: Domini namque crux longè alias & maiores potentias proſtrauit.

Gen. 1. Pſal. 8. Luc 2. 3. In mundi creatione Deus nonniſi digitis ſuis eſt operatus: *Opera digitorum tuorum ſunt cœli*: ſed in eiuſdem recreatione & Redemptione *fecit potentiam in brachio ſuo.*

Gen. 48. 4. Iacob moriens dicebat Ioſepho ſuo: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quænam verò hæc pars eſt, nobis, cariſsimi, à Domino conſignata, ipſo inquã qui *pars* noſtra *in æternum, pars hæreditatis* noſtræ, & *pars calicis* noſtri, niſi gloria eius quam ſuis doloribus, quos in cruce (quæ eius arcus & gladius eſt) pertulit, nobis acquiſiuit? Pſal. 15. Pſal. 72. Pſal. 10.

Gen. 3. 5. Ipſa, gladius ille igneus & verſatilis eſt, quo terreſtris veræ Eccleſiæ paradiſus defenditur, & qui ab eius complexu & ſinu omnes *inimicos crucis* excludit.

Phil. 3. Apoc. 5. 6. Gladius inquam qui terra & formido dæmonum eſt coram hoc ſigno in quo *vicit leo de* tribu Iuda, trepidantium & fugientium.

1. Reg. 17 7. Funda & baculus hic Dauidis, omnes Goliadas proſternit.

Iudic 16. Pſal. 106. 8. Per hanc etiam, Samſon noſter, non modò cardines portarum Gazenſium ſuſtulit, ſed & *portas ferreas, & vectes æneos*, quibus infernus munitus erat, *contriuit.*

9. Vt primùm hi carceres reſerati ſunt, maligni ſpiritu tremore perculſi ſeueriùs aliquod ſibi infe-

rendum

rendum supplicium timuerunt, in suis se cauernis deuictos & debellatos videntes. Itaque *irruit super eos formido & pauor, in magnitudine brachij* Dei super quæ verba ait Origenes: *Quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt in qua exuti sunt principatus eorum & potestates.* Exod. 15. Homil. 6. in Exod.

10. Ipsa, claua Herculis nostri alexicaci, per quam omnia monstra infernalia rebellauit.

11 Si Moses manibus in crucis formam extensis Amalecitas expugnare potuit; quos non prosternet Saluator noster aduersarios, cùm hac in formâ cum morte & satana luctetur? Exod. 17.

12. Draco, cùm letali dente elephantem compungit, ac postea ab grandis huius belluæ, è punctura morientis, casu obteritur; sic mors Redemptorem Iesum expugnans, sub ipso & ab ipso oppressa fuit. Vnde solenni hoc die canit Ecclesia: *Qui mortem nostrã moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.*

13. Adeò vt non immeritò sanctam Domini crucẽ comparare liceat turri Dauidicæ, *è qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium.* Cant. 4.

14. Nec non *paxillo* illi Isaiæ *fixo in loco fideli super quem omnis gloria* Ecclesiæ, *& vasorum diuersa genera suspensa sunt.* Isaia 22.

15. Nam, vt verum fatear, crux armamentarium est, è quo illa depromuntur arma, quibus illustrissimas nobis victorias imparamus.

Victorias autem has certissimi sequũtur triumphi quẽadmodum hodie, triũphali Redẽptoris resurrectione, quæ post victoriam, crucis adminiculo relatã ei contigit, videre est. Eia igitur, *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurge diluculo, psallite Regi nostro, Psallite, Psallite sapienter.* IV. Psal. 56. Psal. 46.

1. Postquam populus vniuersus rubrum mare pede sicco transijt, illustre hoc canticum Moses concinuit: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Multò potiori iure nos illud repetere iam fas est, cùm Exod. 15.

humanitas Domini nostri Iesu Christi, amarum & ru-
brum cruentę passionis suæ mare pertransijt iam am-
Rom.6. plius ipsum non ingressurus: *Christus resurgens ex*
mortuis iam non moritur.

Psal. 67. 2. Dicamus item cum Dauide: *Exurgat Deus & dis-*
sipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à fa-
cie eius.

3. Hic quoque canere cum Ecclesia possemus:

Pangue lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super crucis trophæum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis
Immolatus vicerit.

Psal. 45. 4. Hodie enim verè *exaltatur in terra*, hodie verò
Phil. 2. *exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen quod est su-*
per omne nomen, coram toto mundo eum clarificans.
Psal. 111. 5. Hodie *cornu eius exaltatur in gloria*; hodie diuinus
Psal. 23. hic de eo versus canitur: *Attollite portas principes ve-*
stras; hodie, non minus quàm in eiusdem natiuita-
Luc.2. te, minimè est dubitandum, quin cœlestem illum
Luc. 24. hymnum Angeli concinant: *Gloria in excelsis Deo, &*
Psal. 95. *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: nam vt pri-
Isaiæ 22. mum Apostolis se suis spectandum dabit, hac illos sa-
lutatione compellabit, *Pax vobis.*

Eccl. 10. 6. *Imperium eius à ligno*, (quod in passione *super*
Esth. 5. *humerum eius* fuit,) iam in manu eius est: nam *in ma-*
nu eius & potestas & imperium.

7. Crux illi iam in sceptrum mutata est, & in aure-
am Assueri virgam; virgam coram qua animæ nostræ,
vt humiles quædam Estheres, sese incuruent & hu-
3.Reg.10. milient oportet.

Cant. 1. 8. Ipsa, noui Salomonis thronus est, & locus *vbi pas-*
cit & cubat in meridie.

4.Reg. 2. 9. Ipsa igneus caritatis currus, quo Elias noster ad
vitam est meliorem translatus.

2. Meta. 10. Currus inquam gloriosus & triumphalis, qua-
tuor non minus equis quàm currus solaris apud in-
genio-

geniosum Poëtam, quatuor inquam corporis resuscitati dotibus instructus.

11. Crux modò in arcum est triumphalem mutata, & victorijs & tropæis Saluatoris condecorata: arcum inquam multò admirabiliorem & magis variegatum quàm iris aut arcus cœlestis, qui signum est pacis & conciliationis: Si de hoc scriptum est: *Arcum meum ponam in nubibus cœli*, de cruce sanè non minus scriptum est: *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo.* Gen. 9. Mat. 24.

12. Veterum tropæa, è quibus profligatorum arma suspendebantur, in crucis formam constituebantur: quod erat velut præsagium, crucem Domini tandem trophæorum omnium trophæum fore. Ioseph. l. 15. Antiq. c. 11.

13. In nouissimo mundi die, quando mundum iudicaturus Dominus veniet, & de suis triumphum inimicis acturus, eos æternis flammis adiudicaturus, bonos verò & iustos cum anima simul & corpore in cœlos assumpturus; ipsum crucis vexillum à quodam Archangelorum, tanquam quoddam gloriæ insigne & monimentum præferetur, quod deinde in æternitatis templo suspendetur.

14. Ad crucis, & Agni in eadem immolati pedes, nō soli viginti quatuor seniores, sed omnes in genere Beati suas deponent coronas, cantantes: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere* solus *honorem, gloriam & benedictionem.* Apoc. 5.

15. Hoc etiam in mundo crux, olim adeò probrosa, eo honoris peruenit & venerationis, vt potentissimi etiam monarchæ summo decori sibi ducant, ea coronarum suarum apices insignire.

16. Ipsa, gladius Goliæ est, & instrumentum illud mortis, quod noster Dauid in tabernaculo consecrauit, & in perpetuam triumphalis victoriæ suæ memoriam in templo erigi voluit. Quàm ipsi futuri beati, si huic nos cruci affigentes, *bonum certamen certare* possimus, vt sponsum deinde nostrum suo in triumpho stipemus! 1. Reg. 21. 2. Tim. 4.

Gen.32. 1. Qui instar Iacob dicere potest: *Ecce in baculo isto transiui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior*, nimirum hinc Angelorum, & illinc animarum Patrum, quas cauernis subterraneis eduxerat, agminibus cinctus.

Apoc.7. 18. Qui Patres omnes hoc in triumpho *palmas in manibus* habuerunt, qui rami erant, è magna & opaca

Eccl. 24. illa crucis *palma, exaltata* non *in Cades*, sed in monte Caluariæ, decerpti.

19. Videte verò, quomodo sua Redemptor noster hodie, ad arboris huius exemplum, resurrectione contra mortis, quæ eum opprimere voluerat, pondus obluctetur contrà nitens.

20. Tumulo & limbo egreditur, eximijs, & vt Romani ea appellabant, *optimis spolijs onustus*. Nihil

Gen. 14. quippe cum animarum potest redemptione æquiparari. Vnde Sodomorum Rex Abrahamo ait: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.*

21. Itaque Domino regnanti, & per lignum hoc triumphanti occinamus, quod olim Israëlitę victrici Iu-

Iud. 15. dithæ: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter*: Nunc quip-

Osee.13. pe illud Prophetæ vaticinium adimpletum est: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus, ô inferne.*

22. Quas verò victorias & triumphos, crucis ope & adminiculo, non speremus, cùm *in hoc signo* Constātinus Magnus, illustris Ecclesiæ assertor & benefactor, tot & de tyranno Maxentio, & de omnibus nominis Christiani hostibus palmas retulerit.

27. Nostro etiam sæculo pij quique illustrem illam Ioannis Austriaci de Turcis nauali prælio ad Naupactum fusis victoriam, vexillo illi cruce signato, & à sancto Pontifice Pio V. benedicto asscribunt. *Fecit* scilicet, *Dominus nobiscum signum in bonum, & viderunt*

Psal.85. *qui oderunt nos, & confusi sunt, quoniam Deus adiuuit nos, & consolatus est nos.*

35. Dicamus ergò cum Apostolo: *Mibi absit gloria-*

Gal.6. *ri nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI,

per

per quem mundus mihi crucifixus & ego mundo.

Ex hac homilia, 1. mirabilia, 2. bona, 3. victoriam, 4. illustrem sanctæ crucis in resurrectione Saluatoris animarum nostrarum triumphum retineamus. Ipsi gloria in sæculorum sæcula. Amen.

FERIA II. POST PASCHA.

De Paßionis Dominicæ memoria.

HOMILIA XLI.

QVi sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem? Luc.24. Tam Euangelium quàm Epistola hodierna Dominicæ paßionis memoriam nobis refricant. In illo siquidem legimus: *Tradiderunt eum in damnationem mortis, & crucifixerunt eum*: in hac verò: *Occiderunt eũ, suspendentes in ligno.* Hoc me inuitat, vt eò libentiùs hodie de insigni hac materia apud vos agam: quò magis cordibus vestris suauem hanc recordationem perpetuò insculptam esse volo. Hac de causa ostendam, 1. quantopere hæc Deo sit grata, qui eorum quæ passus est, videtur obliuisci, dum petit, quasi mente sua & memoriâ effluxissent, *quæ?* 3. ad oculum demonstrabo quantum hac memoria intellectus illuminetur, 4. quàm etiam voluntas accendatur.

Luc.24. Act.10.

I. Exod.20.

1. Deus, carißimi, qui in lege sua se *Zeloten* appellat, sicut absolutè & solus amari vult, ita etiam beneficia sua, adeò eximia, singulari quadam à nobis vult gratitudine recognosci & recoli. Vt enim, teste quodam veteri, nihil terra profert ingrato scelestius ac peius, ita etiam nihil est eodem coram oculis Dei abominabilius.

2. Decalogo, videtis, vt velut prolegomenõ præmit- Exod.20

tatur ipſa ex Aegypto liberatio, vt hoc pacto Iſrael commonefieret, beneficio huic per præceptorum horum obſeruationem reſpondere. Primarium ſanè amoris prouocamentum eſt, beneficium, quo qui ad amandum non incitatur, verè ſtupidus eſt, & ſenſus omnis expers. Qui generoſi ſunt, ante prunas ardentes in ſinu illæſi geſtarent, quàm beneficium aliquod aut gratiam ſine gratitudine ab aliquo admitterent.

Exod. 12. *Hebr.* 9. 3. Quid aliud erat, Agnus Paſchalis ac manna in arca aſſeruatum & virga Aaron, tantaque teſtimoniorum ſimul coaceruatio, quàm continua quędam memorialia & monuměta, quibus Iſraelem prouocabat Deus, vt benefactorum ſuorum perpetuò recordaretur?

4. Ingratus, inquit Seneca, ille eſt, qui non omni qua valet ratione, gratiam acceptam agnoſcere ſtudet; ingratior verò ille, qui eam contemnit & negligit; ingratiſsimus demum, qui eiuſdem obliuiſcitur: obliuio namq; ventus ille auſter & calidus eſt, qui *Exod.* 14. fontes arefacit, fructuſq; omnes deſtruit. Atq; hoc eſt, *Ierem.* 2. quod Deus conqueritur apud Prophetam: *Populus meus oblitus eſt mei diebus innumeris.*

Pſal. 118. *Pſal.* 136. *Thren.* 7. 5. Quod Pſalmiſtes vitium maximopere abhorrebat cùm diceret: *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me; ſi non meminero tui Ieruſalem, adhæreat lingua mea faucibus meis.* Ierem. *Memoria memor ero.*

6. Inſigne amicitiæ & beneuolentiæ argumentum eſt, ſuo pro amici incarcerati corpore corpore fideiubere, præſertim cùm crimen, ob quod in carcerem compactus eſt, capitale eſt. An hoc obliuione dignum beneficium eſt, dilectiſsimi? Conſiderate verò ardentě Ieſu Chriſti amorě, qui pro nobis fideiuſsit & ſoluit, *redimens nos in ſanguine ſuo.* Hac de cauſa vobis *Apoc.* 5. cum Eccleſiaſtico dicam: *Gratiam fideiuſſoris tui ne ob-* *Ecc* 29. *liuiſcaris; dedit enim pro te animam ſuam.*

7. Fingite Ioſephum noſtrum vobis, vti olim ille alter Pharaonis pincernæ, dicere, Memento innocen-

tiæ

tiæ meæ afflictæ: vel cum Ieremia: *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis.* Gen. 40. Thren. 3.

6. Vt verò amicam nostram recordationem testemur, cum sponsa sancta dicamus: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Vt enim fasciculus in gremio collocatus, cùm semper ante oculos versetur, & naribus obiectus sit, è memoria effluere nequit; sic sponsi nostri cruciatus nunquam animo debent excidere, sed perpetuum sanctissimarum cogitationum nostrarum obiectum & materia esse. Cant. 1.

9. Hanc ob causam perpetuum ac iuge Dominus in Ecclesia corporis ac sanguinis sui sacrificium, quod singulis momentis toto terrarum orbe renouatur, reliquit: monens vt ipsum quotiescunque offerretur, semper in sui commemorationem offerretur: vnde etiam incruentum hoc sacrificium reale sanctissimæ passionis eius est memoriale. Dan. 8. 11. & 12. 1. Cor. 11.

10. An non etiam hanc memoriam perpetuò refricatura Ecclesia, sponsa eius, singulis ferijs sextis, in commemorationem cruentæ huius tragœdiæ sacrificium adornat?

11. Et ipsum crucis signum, quod in omnibus operibus nostris efformamus, & quo omnes benedictiones consignantur, quid aliud est, quàm ad singula propè momenta pretiosi huius memorialis renouatio?

12. Aegyptij mortis adeò semper memores erant, vt etiam inter epulas cranium mortui circumferre solerent: si mihi Redemptor noster intentione mortis suæ memoriam *sacro* corporis sui *conuiuio* annexuit: adeò siquidem hæc illi placet, vt etiam maximis delicijs suis eam intermisceat.

13 Dum in monte se transfigurat, in suo cum Moyse & Elia colloquio de alia non loquitur re quàm *excessu* decessus sui. Videtisne, quomodo gloriæ suæ voluptates & gaudia, mortis doloribus temperet. Mat 17.

14. Duo discipuli, de quibus textus Euangelicus

meminit, de eius passione loquebantur; & ecce, statim ipse in medio eorum comparet. Vultisne Dominum conuersationibus & colloquijs vestris præsentem adesse? sæpenumerò de sanctissima illius passione sermonem instituite; aliquot inquam ex punctis, quæ in homilijs hisce Quadragesimalibus ex me audistis, illis intermiscete.

II. 1. Nunquam, inquam, eius obliuiscamini, etsi eius hodie ipsemet Dominus videatur obliuisci. His namque discipulis petentibus: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem*, & tormentorum, quæ Iesus à Nazareth ibidem passus est, ignarus? socium se addens, respondẽdo vicissim petit: *Quæ*? Quid? itane te, benignissime Sal-
Psal. 128. uator, *super cuius dorsum fabricauerunt peccatores*, tam citò omnium pœnarum & cruciatuum tuorum oblitum esse? quid? æternamne Dei memoriam, cui omnia præsentia sunt, sua tam celeriter omnia supplicia quæ subijt, mente erasisse? O amoris excessum & misericordiæ!

Iere 36. *Eze.* 18. 2. Sume igitur animos peccator, *conuertere à via tua mala*, ob iniquitatem tuam ingemisce; & statim scelera tua Deus clementissimus de memoria sua delebit: illa siquidem in profundum sanguinis sui mare demerget.

Isaie 49. *Cant.* 4. 3. Quò nobis benefaciat, suis nos *manibus inscriptos* gestat, *manibus* inquam, quæ *tornatiles* sunt, ac *plenæ hyacinthis*, & sexcentarum gratiarum manna quotidie in nos depluunt; sed, vt nos castigent & flagellent, admodum tardæ sunt, & quodammodo vin-
Psal. 102. ctæ. Est quippe patiens retributor, *longanimis & multum misericors.*

4. Vt enim in præsenti Euangelio crucifixionis suæ
Cic. orat. pro Marcello. corporalis obliuiscitur, ita multò faciliùs spiritualis, quæ per peccata nostra fit, obliuiscetur, si quando ex animo & sincerè eorum nos pœnitet. Vnde potiori iure de ipso dici potest, quàm de Cæsare, omnium videlicet meminisse, prçterquã offensarũ & iniuriarum.

5. In nostris Annalibus hoc illustre de Ludouico

XI. Re-

XI. Rege proditum eſt, eum, cùm in gratiam admitteret eos, qui ei, antequam ad regnum eueheretur, infenſi & aduerſarij fuerant, reſpondiſſe: *Non eſſe Regis Francorum, recordari vel vlciſci iniurias in Ducem Aurelianenſem admiſſas.* Ita videmus hîc, Redemptorem Ieſum poſt reſurrectionis ſuæ gloriam, malorum ſibi in cruce irrogatorum obliuiſci.

6. O optabilem beatitudis ſtatum, qui, vt fulgidus quidam ſol, in momento omnes ærumnarum ſuperiorum nebulas diſsipat! *quia prima abierunt: non erit ampliùs neque luctus, neque labor, neque vllus dolor.* *Apoc. 21.*

7. *Quæ?* percontatur Dominus. Itane, ô benignisſime Domine, memoriam depoſuiſti quinquies mille & quàdringentorum verberum & ſugillationum? itane ſpinarum, quæ tibi caput transforabant? itane manuum & pedum tuorum à clauis terebratorum? itane tot aliorum, quæ numerari nequeunt, tormentorum, quæ nonniſi antè triduum in te magna vi ingruerunt? Omnium horum oblitus eſt, omnemque hanc operam benè etiam credet impenſam, modò te, ô cara anima, ſaluare poſsit.

8. Parui labores tuos facis, verè Iacob, ob amoris quo ardes magnitudinem. *Gen. 29.*

9.10. Dauid iam ad regnum ſublimatus, non ampliùs diſcriminum ſuorum recordatur, nec Agathocles priorũ in figlina laborum, iam ſceptrũ adeptus.

11. Voluptates & auſteritates eodem planè modo, quoad Eſſe ſuum pertranſeunt: ſed hæ bonum ſui poſt ſe guſtum relinquunt; illæ præteritæ iam moleſtum quoddam pœnitere & amaritudinem trahunt. Audire enim damnatos hoc plorantes & loquentes: *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? nos inſẽſati vitã illorũ æſtimabamus inſaniã.* *Sap. 5.*

12. E contra magnam poſt ſe voluptatem trahit & ſuauis eſt præteritorũ malorũ recordatio, *quod fuit durum pati, meminiſſe dulce.* Nauta libenter narrat de tẽpeſtatibus, quas ſoſpes enatauit, & miles de periculoſis cõflictibus, quos aliquãdo iniuit.

13. Quàm

13. Quàm martyribus leuia iam videntur supplicia, quæ pro nominis Christi confessione dum viuerent subierunt, viso, tali tamque ampla se gloria donatos, quæ sua multis partibus merita transcendat.
Psal. 65. *Ignis & aqua* tribulationum illorum fuêre momen-
Gen. 15. tanea, sed *refrigerium* æternum est; *merces* eorum *ma-*
Psal. 138. *gna nimis* est, & *nimis honorati & confortati sunt* &
2. Pet. 2. *momentaneum* hoc *tribulationum & leue* immorta-
2. Cor. 4. lem gloriæ coronam ipsis peperit.

14. Næ beatæ sunt pœnitentiæ & austeritates, (aiebat B. Petrus de Alcantara, B. Matri Teresæ à morte
Cant. 8. sua apparens) quæ ad talem nos requiem perducunt; cùm & ipsa vitæ propriæ substantia, pro Dei dilectione data, exiguum quid esse videatur.

15. Dicite mihi, animæ piæ & deuotæ, quæ per Quadragesimalis huius ieiunij curriculum, Redemptorem Iesum cum abstinentiarum aliarumque mortificationum corporalium cruce, secutæ estis, an non iam tantum consolationum resurrectionis eius participes
2. Cor. 1. estis, quantum *sociæ fuistis passionum*? Quid dico? Crediderim equidem, vos paruarum illarum pœnitentiarum superiorum ne quidem iam recordari. An non paratæ omnes estis, easdem de nouo inchoare, & *renouare spiritum* feruoris vestri, vel feruorem spiritus
Ephes. 4. vestri? Non cum Dauide dicitis: *Nunc cœpi ad ea quæ*
Psal. 76. *retrò sunt* non respicientes, sed *ad anteriora vos ex-*
Phil. 3 *tendentes*? Nolite, per Deum obsecro, *arbitrari vos comprehendisse*: nam præterquam quòd id insignis quædam foret præsumptio, esset totalis deuotionis vestræ destructio.

16. Imitemur potiùs Saluatorem nostrum Iesum; qui hanc beneficiorum regulam benè practicauit, oblitus inquam, est benefactorum, quæ ipse alijs contulit, nunquam verò eorum, quæ ab alijs ipse recepit: & licet ipse dolorum obliuiscatur pro nobis toleratorum, nostrum tamen est nunquam eorum obliuisci, & si fortè nos obliuiscamur eorum, quæ ipsius causa præstitimus, non est quòd vereamur, quòd horum ille memo-

memoriā deponet, cùm se etiā haustū aquæ frigidæ in Marc. 9.
nomine suo propinatum remuneraturum proponat.

III.

1. Magni illius beneficij redemptionis recordatio,
præterquam quòd illustre nostræ gratitudinis futurum
sit testimonium, nostrum etiam intellectum spiritualibus
illustrationibus illuminabit: Dei siquidem proprium est,
fauores suos & beneficia confertim aggerere in eos, qui se
eisdem exhibent ingratos. Videte enim, vt Euangelij nostri
discipuli, de Redemptoris passione sermonem miscentes,
amplè ab eodem erudiantur; & statim *aperti sint oculi eorum*. 1.Reg.14.

2. En vt fauus melleus Ionathæ oculos aperiat.

3. Ecce, vt amarum tormentorum piscis huius ex- Tob. 7.
enterati fel Tobiam illuminet.

4. An non diceretis, eum, quemadmodum aliàs per
lutum cæco nato visum restituit, ita his discipulis Ioan. 9.
improperiorum & ignominiarum suarum cœno oculos adaperire?

5. Eunuchus, Candacis, Reginæ Aethiopum, Isaiæ Act. 8.
de hac passione prophetiam legebat, S. Philippus interuenit
legenti, & Christi crucifixi nomen eum edocet. Vidit, credidit, & baptizatur.

6. Hæc siquidem vnica fax est, quæ nos in errorum
nostrorum tenebris & obscuritate illustrare potest:
Christus Iesus quippe in crucem actus, vera *lux mun-* Ioan. 8.
di est; cera, eius humanitas; ignis denique, eius diuinitas.

7. Hoc in statu ipse candela illa Euangelica est, *non
iam sub modio collocata, sed super candelabrum, vt lu-* Matt. 5.
ceat vniuersæ *domui* mundi, prout mysticè id intel-
ligunt Theophilus Antiochenus, S. Augustinus, & Commen.
Clemens Alexandrinus. in Euang.

8. Hæc nostra Pharos inexstinguibilis est, & mini- Aug. l. 5.
mè fallens, & portum nobis salutis, per procellosæ de hæres.
huius vitæ tempestates, ostentans.

9. Hæc lampas est prudentium virginum, vnguino- Clem. 5.
so Saluatoris nostri oleo plena, & amore eius inarde- Strom. 3.
scens, quam qui habet, non potest non ad Agni huius Matt. 25.
nuptias introduci.

10. An

Apoc. 13. Apoc. 21. 10. An non *Agnus* ille est, *occisus ab origine mundi*, qui lampas & *lucerna* est *Ierusalem* cœlestis?

Leuit. 6. 11. Ipse ille ignis est, carissimi, quem in intellectu nostro perpetuò collucere, & in voluntate ardere, Deus libenter videt, eumque nostrum est in cordibus tolerantiarũ ligno subiecto, assiduè serioque fouere.

12. S. Ioãnes Gualbertus, Ordinis Vallis-vmbrosæ fundator, occurrentem in via de inimicis vnum occidere parans, cùm per amorem Iesu Christi crucifixi, Act. 9. cuius imago in via, felici casu occurrebat, coniuraretur, vt in gratiam supplicem reciperet; ipso in loco ita commotus, & in hoc splendore illustratus interiùs fuit, adinstar Pauli, vt non solùm ei supplici ignosceret, sed & plenè se ad Deum conuerterit, vitamque exinde sanctam & inprimis exemplarem duxerit; vtpotè per hanc crucifixi memoriam non solùm interiùs illustratus, verùm etiam charitate succensus: atque hoc est, quod iam nobis declarandum restat.

IV. 1. Si quando solares radij in speculi ardentis & concaui centro collecti sunt, ipsum simul & illuminatur & ardens efficitur: Sic, dum passionis memoria semel animæ profundè insculpta est, statim lumina & radij intellectus in ardores transeunt voluntatis, cognitioque hæc quandam prouocat recognitionem, & hæc illustratio statim effectum progignit.

2. Moyses, mox vt rubum ardentem conspicaretur, Exod. 3. ait: *Vadam & videbo.* Desiderium siquidem eius sublimi hac visione statim commotum est. Quid aliud porrò Redemptoris nostri crux est, quàm rubus? videre vultis spinas & sentes? Videte eius caput ignem? respicite corpus eius vniuersum, vndeundique sanguine natans; liquida verò flamma quædam, sanguis est: ecquod verò cor, ad tam vehementi charitati mutuo amore respondendum non commoueatur?

3. S. Franciscus crucifixum, quem habebat, suis vt S. Ant. 3. plurimùm lacrymis humectabat; quòd cordis eius p hist. tit. ignis hunc ex oculis humorem eliceret.

24. c. 11. 4. S. Brigitta nunquã de Dominica passione aut loquebatur, vel apud se meditabatur, quin oculorum

imbre testaretur, cor præ amore liquescere.

5. S.Catharina Senésis, tota fiebat ignea, & Seraphicis ardoribus æstuabat: & verè Seraphica sancta fuit.

6 B.F.Aegidius, è primis S.Frãcis sodalib⁹ quotiescũq; crucifixũ tantũ videret, in animi cadebat deliquium.

7. S.Maria Oigniacensis, vt primùm paßionis Dominicæ memoria menti illius incidebat, extra se alienatis sensibus rapiebatur. *Surius in vita.*

8. Peregrinus quidam terræ sanctæ, vt aliàs legi, cùm in Caluariæ montem venisset, tantum ad primã Pasionis Christi recordationem, doloris sensum concepit, vt in ipso sit loco mortuus, cuius cùm mortui cor inspiceretur, ipsum in duas scissum partes repertum est, & vtrique inscripta verba illa: *Amor meus crucifixus est*. Amans hoc cor quasi quædam amoris exrat fornax, quæ tandem disiliens, & in partes diffracta, piám hanc animam in cœlum euaporauit. *Iubãnus de Lign. de nomine Iesu p.1.c.30.*

9 Quid porrò aliud est Redemptor in crucem actus, quàm ardens quidam carbo, & pruna igniens, quæ non labia nostra modò purificet, verùm etiam animas pollutas expiet & *ignem in* vniuersam *terram mittat*; ignem inquam interiorem, de quo quidam Propheta dixit: *Ab excelso misit ignem in oßibus meis?* *Isaia 6. Luc.12. Thren. 1.*

10. Si cruenta Cæsaris subucula vniuersam Vrbem Romanam ad vindictam emouere potuit.

11. Si color rubeus tauros & elephantes, animalia stupida & tarda ad prœlium & iram concitet.

12. Si Tamber lanes ad sanguinem & cædem suos milites animabat, rubicunda expandens vexilla; quomodo nõ ipsi, videntes sponsum nostrum toto corpore in sanguine, quò nostram redẽptionem procuret, natantem, ad sanctam quandam de peccatis vindictam capiendam, & potentem amorem concipiendum concitemur? sanctum itaque ignem in penetralia nostra inseramus, interim dum *fulget crucis mysterium*.

13. Dico itaq; vobis, quod olim Deus ad Iosue: *Non recedat* hoc *volumen* Iesu Christi crucifixi, *ab oculis* vestris: *sed meditemini in eo diebus ac noctibus, tunc dirigetis viam* vestram in cœlum.

14. Etsi

Exod. 4. 14. Etsi ipse nobis *sponsus* sit *sanguinis*, & cordium nostrorum circumcisionem requirat, velitque omnes carnis & sanguinis affectus ab ijs resecari, idcircò tamen vnicè illum amare debemus, quòd ipse *prior* ita
Galat. 2. *dilexerit* nos, vt suam pro nobis vitam prodegerit.

15. Eia igitur crucem cum crucifixo amplectamur, eum vbique magna quadam constantia sequamur, nunquam vt eum ex oculis amittamus: mors eius nostra sit mors; crux verò illius, thalamus nuptialis, in qua nimirum cum ipso requiescamus, & per compassionem illi commoriamur; vnicum cœlum nostrum sit cum ipso vbicunque demùm sit, versari; tam eum in doloribus quàm dulcoribus, tam crucifixum quàm glorificatum, tam in monte Caluariæ quàm Thabor, tam in spinis passionis quàm in rosis resurrectionis, tam in clauis & verberibus quàm in palmis & triumphis, tam mortuum quàm viuum, tam in terra & sub terra, quàm in cœlis regnantem diligamus: cordium nostrorum sit regia, vbi desideriorum nostrorum Rex dominatur; ibi noster infernus, vbi ipse non fuerit: atque vti ipse factus est totus noster; ita nos vnicè simus eius, vt certum & exploratum teneamus, tunc amorem & fidelitatem nos nostram euidentiùs demonstraturos, si in sua eum cruce amplectamur, quàm si mercenariorum instar, illi solius gloriæ acquirendæ studio seruiamus.

Hactenus dicta vos doceant, 1. Passionis Dominicæ memoriam Redemptori Iesu gratissimam esse, 2. eum illius oblitum videri, 3. memoria hac intellectum illustrari, 4. voluntatem inflammari.

FERIA

FERIA III. POST PASCHA.

De vulneribus D. N. Iesu Christi, HOMILIA XLII.

VIdete manus meas & pedes meos, & palpate. Luc. 24.
Quanam re melius interminabilem hanc materiam terminare, & infinitum hoc passionis Dominicæ argumentum concludere possemus, quàm per quinque hæc vulnera, gloriosa inquam *boni illius certaminis*, victoriæ & triũphi monumenta ac signa? Erunt hæc *Agni sigilla*, quibus opus hoc nostrum sigil- 2. Tim. 4.
labimus. Huc verò me hodiernum Euangelium inui- Apoc. 6.
tat, cuius occasione 1. agã de passionis necessitate ſutat, per hæc verba: *Sic oportebat Christum pati*, 2. bellum eius mortale & cruentum ostendam nostram fuisse pacem, super hæc: *Pax vobis*; 3. Quinque eius vulnera in genere considerabimus, 4. in sacro lateris vulnere singillatim sistemus, in quo, velut in cẽtro, omnes lineę circũferẽtiæ pientiorũ affectuũ nostrorũ terminãtur.

1. Theologi cõmuniter necessitatem, in absolutam & conuenientiæ distinguunt: illam esse dicunt necessitatem, & sine qua res nullo modo fieri & adimpleri queat: hanc verò necessitatem talis cõuenientiæ esse, vt non tam benè commodeque quid peragi queat, nisi hoc vel illo modo peragatur. Negari porrò sine aliqua Dei omnipotẽtiæ iniuria nõ potest, quin mille & mille Deo, tum mundi saluandi, tum præuaricationis Adami reparãdæ fuerint modi. *Qui* enim *fecit cælos*, & vniuersum hoc *in intellectu*, quiq; ex nõ esse ad esse perduxit, vno ipsũ recreare poterat verbo, vti vno ip- Psal. 135.
sum creârat. *Ipse* enim *dixit*, & *facta sunt* omnia. Adeò Psal. 48.
vt hinc liquidò colligere possitis, passionis eius necessitatẽ nõ de necessitate primi generis sed de secũdi esse, vtpote quę extremo eius amori & cõueniẽtior sit & cõformior mũdi redimẽdi ratio. Atq; ideò scriptum est: *Sic Deus dilexit mundum*, quo loco Tò *sic* expressa Ioan. 3.

quadam aposiopesi,& aposipetica expresſione, *æternæ charitatis* exceſſum denotat. Vnde quod in noſtri Euangelij textu legimus: *Sic oportebat Chriſtum pati*, de ſecunda illa neceſsitate intelligendum eſt, vti & illud *oportuit* heſterni Euangelij: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* An non hæc amorosè neceſſaria ſponſi noſtri ſanguinolenti paſſio, corda noſtra ad tam prodigioſæ vniuerſi ſanguinis eius prodigalitati, ſanctis quibuſdam affectibus reſpondendum prouocabit? Nonne *charitas Chriſti vrget nos?*

2. Cor. 5. 2. Vos, ô cariſsimæ animæ meæ, *redemptæ eſtis pre-*
1. Cor. 6. *tio magno*, non igitur *Deum glorificare* vultis, illum *in*
2. Cor. 4. *corpore* & in corde *veſtro portantes*? quomodo verò illum aliter portabitis, quàm per *mortificationem Ieſu Chriſti*, quam imitabimini? Recordamini, *non eſſe* vos
Hebr. 9. *redemptos per ſanguinem hircorum & vitulorum*, ſed *per ſanguinem Agni immaculati.*

3. *Nihil vobis profuit naſci*, canit per S. Gregorij organum Eccleſia, *niſi redimi profuiſſet. O mira circa nos diuinæ pietatis dignatio! ô inæſtimabilis dilectio charitatis! vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti! ô certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

4.5.6.7.8. Dixit olim Themiſtocles: *Perieram niſi*
3. Reg 22. *periſſem*: ſed multò potiori iure dicere ipſi poſsimus:
Iuſtin. l. 2. vol. man. l. 10. cap. 6. Liu 7. Oroſ. 3. c. 1. Liu. l. 2. Val. Ma. l. 3. c 2. *Perieramus, niſi Chriſtus periſſet.* Niſi Achab mortuus eſſet, Iſraël vniuerſus perijſſet; niſi Codrus, Athenienſes; niſi Curtius ſe in voraginē deieciſſet, Roma abſorpta interijſſet; & Hetruſca facta fuiſſet, niſi vnus Horatius omnibus ſe Hetruſcis obieciſſet Ita mundus in erroris & tartari abyſſo exſtinctus eſſet, niſi à morte æterna tēporali ſua eum Dominus Ieſus liberaſſet.

Hebr. 9. 9. Sanguis eius noſtri fuit è ſeruitute redemptio, & illius effuſio, delictorum *noſtrorum remiſſio.* O mirabilē diuinæ prouidentiæ directionem, quæ ſingulari quadā diſtillatione & caminulo, è malo elicere poteſt

bonum

bonum, è morbo ſanitatem, ex infamia gloriam, & è morte vitam! *O inueſtigabiles vias Domini!* Rom. 11

10. Tales ſunt viæ iuſtorum, qui vt in cœlo viuant, ſeipſos in terris mortificant; qui bonis renũtiant temporalibus, quò immortalia ſibi acquirãt, qui *ſuas odio habent animas*, quò eas in æternitate *poßideant*; qui exteriùs ſibi inferunt bellum, quò interiorem conſequantur pacem: nam vt Propheta *in pace* ſuam eſſe aiebat *amaritudinem*, ita vice verſa in amaritudine ſitam eſſe pacem exiſtimabat. Ioan 12. Iſaia 38.

12. Atque hæc pax eſt, quam nobis amaritudine & exceſsiuorum dolorum ſuorum bello Redẽptor Ieſus comparauit: Tu, ô Ieſu crucifixe, verus *arcus* es *in cœlis* & *nubibus, ſignumquè fœderis inter* Deum & homines initi tu vera arca fœderis & teſtamenti. II. Gen. 9.

3. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*, quique *cœlos* in terram *inclinauit*, diuinitatis ſuę lumen mortalitatis noſtræ limo coniungens, & duas illas anſas, Verbi inquam & carnis, connectens, vt quædam ex ijs catena & contextura hominis cum Deo fieret, hominem Deum ſe faciens; idque vnione adeo arcta, vt etiam quædam idiomatum cõmunicatio inde reſultet: homo quidem eſſe voluit, vt pati poſſet, vt Deus verò, infinitum tormentis & paſsioni ſuę meritum addidit, vt ſic infinitũ peccatorũ noſtrorum malum repararet. Epheſ. 2. Pſal. 17.

4. Duæ hæ partes, vnũ dũtaxat cõſtituentes Ieſum Chriſtum, congruè ſatis per duos illos turtures, (quę aues pacis ſunt ſymbolum) in leproſi purgatione offerri ſolitos, quorũ vnus immolabatur, alter verò liber dimittebatur, repręſẽtãtur: ille denotabat malũ, & ipſum pellebat; hic verò ſanitatem amiſſam reddebat: ſic Redẽptoris Ieſu humanitas moriẽs, per meritum ſuum, immortali diuinitati ſuæ vnitũ, à peccati lepra nos emundauit, & animabus noſtris ſanitatem, ſanctitatẽ & ſanctificationem reſtituit: *Mors & vita duello cõflixêre mirãdo, dux vitæ mortuus regnat viuus.* Leuit. 14.

5. Vox *Pax* à *pactio* deſcendit: Paſsio verò Redẽptoris an nõ noſtra pactio, pax, & reconciliatio cũ Patre

æterno fuit? *Agnus redemit oues, Christus innocens Patri reconciliauit peccatores.*

6. An nō, ô corda rancore & odio plena, in inimicitias discreta, & cōtentionibus diuisa, subtili sanguinis huius pretiosi cœmēto vniri cōglutinariq; vultis, qui, vt quidā de SS. Patr. scripsit, *in se recōciliauit ima sūmis.*

Luc. 23. 7. Infideline Pilato, & immani illo Herode deteriores eritis, quos Agni huius sanguis antea dissidentes inuicem amicitia coniunxit?

8. Qui de rebus Indicis scripsêre, in ijs locis reperiri tradūt fructum, scolymo penè per omnia similem, qui cultro incisus tā tenax & viscosum exstillat gūmi; vt si ambas partes dissectas denuò reiūgas, tā tenaciter cohæreant, vix vt appareat incisas esse. Nō minùs fortem resinam esse creditote Saluatoris Iesu sanguinem, ad corda ferro etiam dissecta reunienda.

9. Addunt insuper, si cultrum in medio pomi relinquas, humorem hūc adeò penetrantem esse, vt ferrum non minùs exedat, quàm aqua vitriolina, imò ipsum dissoluat & cōsumat, quò alteri parti pars recisa cōglutinetur. Etsi inimicus ferrū etiā in vulnere tibi, ô frater, reliquisset, itaq; te atrociter offendisset, vt offēsa vindictam inclamaret, nulloq; pacto expianda videretur, si tamen hoc in Paschate, per sanctissimā Synaxin, cor tuum pretioso sanguine Redēptoris benè imbutum fuerit, & ab eo penetratum; mihi persuadere non possum, quin omnem iniuriam gratanter aduersario ex corde condonaturus sis, quemadmodum tua tibi *debita* à Deo petis *dimitti*

10. Mercurius vt fabulātūr Poëtæ duos caduceo suo serpentes conciliauit: sanè quamuis peccatores, serpentiū more, virulenti essent, crucis lignum & cum Deo & cum proximo conciliare eos poterit.

11. Notabitis porrò, hoc in caduceo serpētibus implexis duo cornua copię addi solere, vt hinc discamus è pace & reconciliatione omne bonorum & deliciarum genus promanare: *Habitabit populus meus in tabernaculis fiduciæ, in abundātia pacis, in requie opulētā fructus iustitiæ pax. Ideò orietur in diebus illius iustitia & abundantia pacis. Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.*

Isai. 32. Iac. 3. Psal. 71. Psal. 121.

12. Non

12. Nō sine ratione itaq; inter cæteros titulos, quos Euangelicus Propheta Saluatori Iesu attribuit, vocat eum *principem pacis*, cùm primarium eius opus fuerit pacem in mundū inuehere. Sic videtis, eius in natiuitate Angelos *pacem in terra* annunciare *hominibus bonæ voluntatis*. Dicitur adhæc ipse *plusquam Salomon*, quod nomē Regē pacificū sonat; & est *sacerdos secundū ordinē Melchisedech*, qui fuit rex Salē, id est, pacis. *Isaiæ 9. Luc. 2. Luc. 11. Psal. 109. Hebr. 9.*

13. Isaias itē regnū eius appellat *imperiū pacis, cuius non erit finis* regnabit enim in domo Dauid qui pater eius est secūdū carnē, regni quoq; sedem stabiliet Hierosolymis, quod nomē *Pacis visionem* significat, & modò eam fixit in Ecclesia, quæ noua quædā est Sion, de qua canere possumus: *Lauda Ierusalem Dominū, lauda Deum tuum Sion, quoniā confortauit seras portarum tuarum, & posuit fines tuos pacem.* *Isaiæ 9. Psal. 147. 3. Reg. 1.*

14. Occasione portarū harum, addo tēpli Salomonici portas oleaginas fuisse, quod arboris genus pacis est symbolum. Non videtis porrò vt Dominus Iesus suorum in passione brachiorum vel vulnerum ianuas aperiat, quò nos in templum pacis, cor inquam suum atque etiam corpus, quod templum dicitur (*soluite, templum hoc*) intromittat. *Ioan. 2.*

15. Per hanc Redēptor pacē animas nostras redemit. *Redimet in pace animā meā*: sed pace quæ ipsi sanguine cōstitit: nā *redemit nos in sāguine suo, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione* Itaq; *in pace in idipsū dormiamus & requiescamus* quæ nos *cruci cū ipso cōfiget*, vt nō amplius in nobis viuamus sed in illo & per illū. *Psal. 54. Psal. 5. Apoc. 5. Psal. 4. Gal. 2.*

16. *Venite & videte quæ* fecit *prodigia super terram arcū conteret & cōfringet arma, & scuta cōburet igni. Vacate & videte, quòd ego sim Deus: exaltabor in gentibus & exaltabor in terra.* Ex hac prophetia colligite eum per passionem quam *exaltationem* appellat (vti & in illis Eangelij verbis: *Cùm exaltatus fuero à terra*) bello pulso pacem in orbem inuexisse. *Psal. 45.*

17. In nostro verò textu videte, vt instar columbæ, pacis ramum, post sanguinis sui diluuium

referat, Apoſtolis ſuis dicẽs: *Pax vobis*. Repetendo ve-
Gen. 8. rò: *Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis, non quo-*
Ioan. 14. *modo mundus dat, ego do vobis*; ſignificare vult, pacem ſuam ſolidam eſſe: *Pax multa diligentibus legem* eius quæ nullam cum pace mundi ſimilitudinem habet,
Pſal. 118. vtpote qui nonniſi apparentẽ pacem poſsidet, at ſemper introrſum bello & turbatione æſtuat, ac cuius riſus nonniſi ſuperficialis eſt, in quo dicitur, *Pax, pax,*
Ierem. 6. *&* vbi *non eſt pax*, qua enim pace gaudeat is quem peccatum Dei reddit inimicum?

Leui. 34. 18. Igitur in Paſsione Domini omnia hoſtiarum pa-
Nu. 6. 7. cificarum ſacrificia, quorum tam frequens in libris Moſaicis mentio eſt, adimplentur.

Cant. 8. 19. Ipſa Eccleſiam fecit *vineam pacifici*, ipſa in ea *mille pacificos* generauit, ſanctos inquam Martyres, qui *animarum* ſuarum pacem & *quietem* in tormentis & patientia *inuenerunt*.

Matt. 21. 20. Dicebat Dauidi Ionathas: *Si ſagittæ intra te*
1. Reg. 20. *ſint, pax tibi eſt*: ſic nos per vulnera Saluatoris noſtri Ieſu pacem habemus: *Quia ſagittæ noſtræ infixæ ſunt*
Pſal 37. illi, ſcelerum inquam noſtrorum ſagittæ, nam *vulne-*
Iſaiæ 57. *ratus eſt propter ſcelera noſtra*.

Cant. 2. 21. Bono animo in tribulationibus veſtris eſtote, dilectiſsimi in Chriſto, cũ cõſtet poſt bellũ ſequi pacẽ, poſt tẽpeſtatẽ malaciã, poſt hyemẽ & pluuiã ſerenum.

22. Audite ſponſum veſtrum vobis inclamantem: *Iam hyems tranſiit, imber abijt & receſsit*: *Surge, propera amica mea, & veni in foraminibus petræ* (vulneribus inquam eius) *in cauerna maceriæ*, in vulnere inquam ſuauiſsimo lateris eius. Atque hoc eſt, de quo
III. mihi pluribus iam apud vos agendum.

Zach. 13. 1. *Quæ ſunt*, ſuauiſsime ſponſe, *plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Carnifices & tortores ſuos
Hebr. 6. amicorum appellat nomine. O bonitatis exceſſum! ô magnam peccatoribus eum denuò peccando *crucifigentibus* conſolationem? qui tametſi Iudæ ſint ſimiles, *amicos* tamen appellare non dubitat.

2. Apud Iſaiam vulnera manuum vocat miſericor-

diarum suarum memorialia & descriptiones: *Ecce in* Isaiæ 9.
manibus meis descripsi te. Non satis tibi fuit, benignissime Redẽptor, tuis me manibus creasse, (*Manus tuæ fecerũt me, & plasmauerunt me*.) sed in manibus quoque tuis recreationis meæ notas gestare voluisti. Benedicta sit itaq; in æternum talis *misericordia & copiosa redemptio*. Iob 10. Psal. 129.. Leuit. 17. 1.Reg. 17 Ioan. 5.

3. In his igitur quinque vulneribus quinque sicli redemptionis nostræ siti sunt.

4. Hęc sũt quinq; nostri pastoris Dauid lapides, quibus mũdũ prostrauit: *Hæc est victoria, quæ vincit mũdum*.

5. Quinque item porticus piscinæ probaticæ sanguinis eius, in quibus omnes infirmitates ac languores nostri curantur.

6. E quinque hisce canalibus sacer quidam profluit liquor, qui omnibus imperfectionibus, & vitiosis quinq; nostrorũ sensuũ naturaliũ affectibus medetur.

7. Quàm hæ manus, hi pedes, & latus hoc probrosę & pudendę sunt inordinatarũ passionum, operum, cogitationum, & verborum meorum exprobrationes!

8. O vulnera certaminis eius indicia, verùm etiam gloriosa triumphantis eius victoriæ vestigia! Notas ergò has per resurrectionis suę gloriã perdere noluit, cùm hæ cicatrices fortitudinis & generositatis eius sint argumenta.

9. Ita, post vniuersalem corporum resurrectionem, eò Martyrum corpora splendidiora erunt, quò in vita tormentis & supplicijs magis deformata fuerint.

10. Per solam sanctarum harũ plagarum meditationem eminentes in pietate euaserũt S. Franciscus, Catharina Senensis, & tot alij Sancti, qui suis eas corporibus vel cordibus insculpta gesserũt, vnde vera *vasa electionis*, Domini sui signaculo signata dici merẽtur. Discip. V. Passio in Prompt. Exempl.

11. Hæc meditatio omnes inhonestas tẽtationes ilicò dissipat. Sic virgo quædam pia, tentationibus carnis pressa, & iam ruinæ proxima, Dominicorum vulnerum inspectione penitùs à maligna hac obsessione liberata fuit. Vti & quandã Religiosã in officio suo v-

nicus sanguinolẽtorũ horũ vulnerũ intuitus retinuit.

Verũ quid de vulnere omniũ præstãtissimo, sacro inquam vulnere lateris dicemus? Tot sanè homilijs materiã id suggereret, vt, si in eo nos dilatare vellemus, hãc passionẽ id potiùs esset incipere quã finere.

IV. 1. Nobis verò sufficiat intra amorosũ carissimi nostri Iesu cor nos ipsos recludere ac per patẽtẽ hãc ianuã in ipsũ nos inserere; scriptũ est.n. *lãcea latus eius apertũ esse*; quò vulneris huius enormitas & late-patẽtia designetur.
Psal. 94. *Intrate* igitur *portas eius in confeßione, atria eius in hymnis.*

2. Vulnus hoc nobis sit instar annuli Gygis, quò huius adminiculo aut inuisibiles reddamur, aut saltem ab inuisibiliũ inimicorũ nostrorum incursibus protegamur, necnõ eo ceu scuto *aduersus spiritualia nequi-*
Ephes. 6. *tiæ in cœlestibus* obumbremur.

3. Sit hoc spiritualiũ sponsalium nostrorum annulus, per quem & nostram puritatem, integritatẽ, fide-
Psal. 60. litatem conseruemus, & *protegamur in velamento a-*
Psal. 15. Psal. 90. *larum* eius. *Sub vmbra alarum* eius *speremus*. *Scapulis* enim *suis obũbrabit* nobis, *& sub pẽnis eius sperabimus*.

Psal. 30. 4. *Abscondet* nos *in abscondito faciei* suæ (quodnam
Coloss. 3. verò est *absconditũ faciei suæ*, nisi hoc lateris eius vulnus?) *à cõturbatione hominum*, & tunc *mortui erimus, & vita nostra abscondita cum Christo in Deo.*

5. Huic nos arcæ includamus, quò à perditionis di-
Gen. 7. luuio, quo sæculum obruitur, eripiamur, & in omni-
Isaiæ 25. bus tentationibus nostris ad securum tutumq; refu-
Psal. 131. giũ hoc cõfugiamus: *Hæc requies mea in sæculum sæ-*
Psal. 90. *culi, hîc habitabo quoniam elegi eam.* Hîc *habitabimus*
Psal. 131. *in adiutorio Altißimi*, &c. *Et in tabernaculo Dei*, &c.
Cant. 1. *in tabernaculis Cedar, in pellibus Salomonis.*

6. Hic pharmacopoliũ inueniemus omnigenis phar-
Discipul. vbi supr. macis ad morbos nostros pellẽdos proprijs instructũ. Religioso cuidam cùm panis cœnobij sui desiperet, eũ illi Dominus cum sanguini è sacro hoc vulnere profluenti extinxisset, sapidissimum reddidit.

7. Idẽ cũ aliàs sanctũ hoc vulnus Apostatę Monacho ostendisset, ilicò is Ordinis sui habitum resũpsit, & in

eodem austerissimum vitæ genus, & seuerissimum ad vsque vitæ finem traduxit.

8. Si omnes aduersitates, & tribulationes nostræ hoc sanguinẽ imbuerentur, quàm illæ statim alleuiarentur & dulcescerent, sæpe sacram Communionem adite fratres mei, & in pretioso hoc Saluatoris corpore & sanguine abũdè satis natabitis, ac videbitis carnis æstus extinctum, cupiditates imminutum iri, amaritudines dulcorandas, inquietudines dissipandas, iracundiam componendam, passionum impetum fractum *& omnia vobis adiectum iri.* *Matt. 6.*

9. In sacro hoc & amabili vulnere nidum vestrum & cunabula constituite, & in eo ab omnibus tempestatibus & periculis ingruentibus tuti eritis. O locum ad salutem nostram in eo collocandam securum! *Respiciami ad petram vnde excisi sumus.* *Isaiæ 51.*

10. B. Elzearius Comes Arianensis in Prouincia in sacro hoc Domini Iesu latere ita suum fixerat domicilium, & perpetuã habitationem delegerat, vt omnibus à quibus quærebatur, ibi se inueniendum indicaret, alio quidem loco corpus fore, sed ibi solum cor & cogitationes eius. Vtinam talis & mea deuotio foret, vt idem vobis de me dicere possem, fratres! cùm hoc igitur die Quadragesimæ nostræ currriculum absoluatur, equidem me subducam, & aliquantulum in solitudine, aut potius solicitudine studiorũ meorum, & actiuiori operosioriq; officij mei pastoralis exercitio me abdam. Vtinam cor meum in beata hac sponsi nostri plaga relinquere possim, vt in ea me toties inuenire possitis, quoties eum in templo hoc oratum, salutatum, & adoratum venietis? Hanc mihi obsecro precibus vestris gratiam impetrate: ita quidẽ ipse id optarem, sed per meã stat miseriam quominus opera ipsa affectibus meis respondeant. *4. Reg. 4.*

11. Hoc saltem dico esse me quàm potui maxima cõtentione & studio cõnisũ, vestras sanctæ crucis baculo animas ad gratiæ vitã, quæ in Dei charitate cõsistit reuocare Et sanè immẽsæ Dei bonitati cõfido, felicius

ne fortè rem meam per hunc Scipionem gefsiffe, quam per Helizęi suã Giezegefsit, crediderim nãque, plurimos, paſchalibus his feſtis, per ſanctam Confeſsionem & Communionem *mortuos rurſum viuere.*

Pſal. 21. 4. Reg. 13. 12. *Oſſa* Saluatoris noſtri Ieſu, quæ *dinumerata* eãdẽ quã Prophetæ oſſa, (quorũ tactus vitã reddidit mortuo in eius ſepulchrũ obiecto) potentiã ſcilicet exeruerunt: *Omnia oſſa noſtra dicent, Domine quis ſimilis tibi: Oſſa arida audierunt vocem Domini.*

Pſal. 34. Eze. 37. 1. Theſ. 4 13. Si Dei vox per Archangelũ prolata, in nouiſsimo die corpora mortuorum ad vitam reuocare poterit, an non eadem vox, ore concionatorum annuntiata, talis erit potentię ad ſpiritus reſuſcitandos & reuelandos?
Pſal. 28. *Ipſi reuelabunt condenſa, & in templo Domini omnes dicent gloriam.*

Gen. 32. 14. Dicere cũ Iacobo itaq; poſſum: *Ecce in baculo iſto tranſiui Iordanem & cum duabus turmis regredior.* nã, Quadrageſimæ huius ſinu cum crucis vexillo pertrãſito, hiſce me diebus feliciter ad ſacrum altare ingenti virorum & feminarum multitudine, ſacram è manibus meis ſynaxin recipientiũ circumdatũ cõſpexi. Quo nomine Deũ opt. max. laudo & benedico, qui
Gen. 28. *eſſe nobis* debet *in Deum*, cùm *panem* hunc *Angelorum*
Pſal. 77. nobis *ad manducandum dederit.*

15. Gaudeo, & ſummopere mihi placet, fratres mei honoratiſsimi, quòd poſt ſeptem illos, quibus obſequio & miniſterio veſtro me dedicaui annos lacrymãtẽ mihi hac Quadrageſima Liã dederitis, quia ſæpè vos ad acerborum Redemptoris Ieſu cruciatuum cõ-
Gen. 29. memorationem compatientes & complangentes vidi: qui tener ac pius affectus ſpẽ ſuggerit, à diuina miſericordia, ſi in ſancto eius obſequio fideliter perſeuerẽ, mihi Rachelẽ etiã datũ iri, modos inquã & rationũ ſuggeſtũ iri veſtri ad maiorẽ perfectionẽ deducẽdorũ. Veſtra me, fateor, attẽtio, aſsiduitas, & prõpta ad monita ſalutis admittẽda facilitas maximè ædificarũt. Alius quiſpiã ob frequentẽ veſtrũ ad hoc auditoriũ cõcurſũ gratias ageret, ſed equidẽ pro ſãcta dicendi

cēdi libertate,qua me ad vos loqui permittitis,dice-
re cogor,officio vos vestro plusquā satis fecisse,verbo
Dei aures accōmodādo,me verò meas in eodē annūci-
ādo partes nudē dūtaxat impleuisse cū eius me dispē-
satorē facere,& vires ad hoc mihi sufficiētes dare Do-
minus dignatus sit Benedictus sit ipse, cū quòd velle
dederit, tū quod perficere. Equidē etsi fecerim quod Luc. 7.
potui, *seruus inutilis sū*; & Deus, vt prædicationes &
exhortationes hæ mihi aliquādo in dānationē & rea-
tū nō imputētur quod nimirū dixerim,nō dico, tā be-
nè,sed tātū boni;& illud ipsū ego tā parū pręstiterim.
Misericordē Iesu Chr. bonitatē rogate,ne,*cū alijs præ-*
dicauerī,ipse reprober neq; n. *existimo me cōprehēdisse.* 1.Cor.9.
16. Ego *seminaui* dolores,vos vestris lacrymis *eos ri-* Phil.3
gastis;sed *neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat,* 1.Cor.3.
incremētū dat Deus. Faxit Deus vt bono semini Euāg.
mali ego exēpli *zizania* nō *superseminarim.* sed ex Mat.13.
summi Doctoris præcepto memineritis *facere,quæ di-* Mat.23.
co vobis,defectus verò meos nolite intueri à quibus
Deū opt.max rogate,vt me liberet.Hoc mihi à vestra
benignitate & pietate minimè spero negādū: atq; hæc
vnica est, quam à charitate vestra mercedē exigo.
17. Interim, Apellē imitatus,retro post tabulā,quā
vobis spectandā proposui,latebo non quidē vt iudi-
cia & sententias vestras audiā(etsi alioquin enim *nūc* Ioan .12.
iudiciū sit mūdi,& vnusquisq; etiā ineptissimi quiq;
de concionatoribus ferre sententiam temerè aude-
ant, nullū interim è diuino verbo emolumentum ca- 1. Cor. 4.
pientes; *veruntamen mihi pro minimo est, si à vobis* Ioan. 8.
iudicer aut ab humano die: nam qui meipsum iudicat,
Deus est,& gloriam meam non quæro, est qui quærat
& iudicet)sed vt in abscondito videam,quomodo vos
geratis,& quod exhortationes meæ apud vos in mo-
rum emendatione pondus & energiam habeant.
18. Video quidē *flores apparuisse in terra nostra*; imò Cant. 2.
vox turturis audita est in terra nostra: sed specto,núm
tempus putationis aduenerit, num *flores parturiant,&*
& ficus proferant grossos suos?

19. Tua

19. Tua nos ô bone Iesu, gratia cordiũ horũ terrã proscidim⁹, animas excoluim⁹, bona desiderijs istorũ documẽta inseminauimus, & tu tuo ea sãguine irrigasti, quare ne permittas, obsecro, vt noxia & molesta quædã indeuotionis bruma ea in germine & vixdũ enata destruat; sed da vt, dulci amoris tui calore tota in flore prorũpant & postquã floruerint, ad operũ fructus ab eis prodeuntes ad maturitatem, caritatis tuæ radiis fac vt perueniant.

Gen. 2. 20. In ipsa mũdi creatione nõ antè plãtæ germinarũt, quã pluuia irrigarẽtur: sic omnis labor noster in vanũ futurus est si gratia tua, velut cęlestis quædã pluuia ac ros, in animabus his salutis semina & radices egerminare non faciat. *Salutare lumen expectabo Domine.*

Gen 49. Cant. 4. 21. *Veni Auster, surge Aquilo, perfla hortũ* nostrũ *& fluent aromata illius* Veni inquã calens caritatis auster, veni mortificationis aquilo, venite flabra spiritus paracliti vosq; per opidi huius exigui areolas diffundite quin & ad loca vicina suaueolẽtes boni eius exẽpli odores dispergite: atq; efficite, vt rursus dicatur, *A Nazareth potest aliquid boni venire?* ac sępenumerq odoratissima vnguẽta & aromata, in minimis recludi pyxidiculis & auri fodinas in agris sterilissimis margaritas demũ in locis desertissimis reperiri.

Ioan. 1. 22 Importunũ, & fortasse etiã ridiculũ foret, me hic, vti ab Ecclesiasticis aliis in curriculi & stadii quadragesimalis extremo fieri pio more cõsueuit speciosa aliqua & affectata formula vobis valedicere, cũ per totũ annũ continuo, exercitio huic omnibus diebus quibus haberi concio solet, vti nostis mihi incũbendũ sit. Valedictio itaq; mea quædam potius esset prosperi diei apprecatio.

23. Tria saltẽ mihi fas erit vobis in hoc loco cõmẽdare. Primũ vt oculis manibusq; in cęlũ sublatis D. Op. M. deprecemini, vt Ecclesiã suã sanctã & Catholicã exaltare & sanctissimũ Dominũ Nostrũ Paulũ V. Pontificẽ Maximũ conseruare dignetur. Secũdũ, ad eandẽ maiestatẽ tẽpore hoc adeo calamitoso & exulcerato pro Galliæ

totius

totius pace, ac clementissimi & Christianissimi Regis no-
stri Ludouici XIII. & Reginæ eius coniugis, ac Reginæ
Matris prosperitate saluteq; rogetis. Ita nãq; id fieri sua-
det magnus Gentiũ Apost. dũ Timotheo Episc. iuniori sic 1.Tim.2.
præscribit: *Obsecro primum fieri obsecrationes pro Regibus
& omnibus qui in sublimitate sunt, vt tranquillam & qui-
etam vitam agamus, in omni pietate & castitate.*

Tertium est, vt, sicut sancte cœpistis, ita etiam sanctæ
Confessionis & Communionis Sacramenta frequentius
vsurpare pergatis: in hoc enim veræ pietatis essentia con-
sistit. Nemo siquidem coronam meretur nisi qui ad finem
vsque perseuerauerit; nec incepisse satis est, nisi consum-
maris; cùm cœlo is indignus sit, qui *mittens manum ad a-* Luc.9.
ratrum respicit retro. Rogo proinde, vt *qui vtuntur hoc* 1.Cor.7.
*mundo, sint tanquam non vtentes: præterit enim figura mun-
di huius.* Ita venite & facite, vt vixisse & fecisse in mortis
articulo cupietis.

Itaq; in pace, quã hodie Redẽptor Iesus suis apprecatur,
ite carissimi mei Bellicẽses, recogitãtes, quomodo opor-
tuerit Dominum pati, 2 quæ sit pacis nostræ & recon-
ciliationis cum Deo causa, 3 pio erga sacra Domini no-
stri Iesu Christi vulnera affectu feramini, 4. atq; inprimis
erga vulnus laterale, per quod suũ ipse nobis dat & aperit
cor, nosq; in cellam vinariã amoris sui introducit.

Deniq; hactenus dicta omnia duabus egregijs Apost.
sentẽtijs concludã, quas cordi vestro profũde insculptas
manere peruelim. Prima est hæc: *Charitas Christi vrget* 2.Cor.8.
nos: nã is *pro omnibus mortuus est vt & qui viuũt, iã non si-
bi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Alte- Rom.8.
ra hæc: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribula-
tio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an per-
secutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum
qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita,
neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instan-
tia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque pro-
fundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate
Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro,* cui vna cum Pa-
tre & Spiritu sancto sit honor & gloria nunc & semper &
in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM huius operis.

A

Cha-

B. Igna-

FINIS



PRIMÆ
HOMILIAE
QVADRAGESIMALES,
ET IN
PASSIONEM
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

HABITAE ET CONSCRIPTAE A
*Reu.*mo *Domino* D. IOANNE PETRO CAMVSIO, *Episcopo ac Domino Bellicensi.*

Iam nuper Latinè conuersæ operâ ac studio M. M.

Dedicatæ

R.mo AC ILLVST.mo D. ITELIO FRIDERICO COMITI IN HOHENZOLLEREN &c.
S. R. E. Cardinali.



COLONIAE AGRIPPINAE
Apud IOANNEM KINCKIVM sub Monocerote.
ANNO M. D. C. XXI.

APPROBATIO.

Nos infrascripti Doctores SS. Theologiæ in alma vniuersitate Parisiensi, notum facimus legisse Homilias, tam Dominicales, quàm in Passionem Domin. Reu^{mi} D^{ni} Ioannis Petri Camusij Episcopi & Domini Bellicensis, in quibus nihil contra Ecclesiæ Catholicæ, fideique veram doctrinam reperimus. Parisijs 14. Nouemb. 1616.

F. E. CONRADI GVARDIANVS
FF. Minorum.

E. P. LE FRANCQ S. Th.
Doctor Regens.



ILLVSTRISSIMO,
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ITHELIO FRIDERICO
COMITI HOHENZOLLERANO &c. S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Hoc

Quàm parum potentis, tàm multum volentis animi symbolo minus breui

Gratulatum & gratiatum ibat

IOANNES KINCKIVS Bibliopola.



Atere modò, *Sacratorum virorum* maxime magis, an optime; & sine paruulum venire ad Te cum hoc paruulo planè, neque pro magnitudine Tua nisi hili munusculo. Inter laudes magnorum non est parua, parua non fastidire.

Episcopum in lucem fero; cui potiùs, quàm Cardinali? Romanè loquentem, cui potiùs, quàm modò

fulgenti *Romana Purpura*? benè loquentem; cui potiùs, quàm benè agenti, & ita bene? de rebus optimis loquentem; cui potiùs, quàm adeò cum fructu & gloria versanti semper in rebus optimis? Ego fero; cui potiùs, quàm cui me debeo; & ita libens debeo? debeo (inquam) ego, & è proximo meus sanguis. Saltem agnoscere beneficium & testari licet, quando non mereri.

Eia, summi nunc in terris sanctissimique Senatus quàm recens tam decens Portio, perge, quò Te cœlum vocat & Tua virtus: *Intende prosperè, procede, & regna*? Votis saltem eũtem sequimur, & à nobis (eheu!) abeuntem. Verùm, an aberis, cùm sic abiueris? Non poteris obliuisci, apud quos, propter quos tanta fecisti hactenus & perfecisti, tam hîc optimarum rerum, conscio satis & laudatore Mundo, parens, conditor, sospitator: imò latiùs deinceps se diffundere poterunt fauor Tuus

& Tua

& Tua pietas; quippè propiùs iam ab ipſo *Corde*, ab ipſo *Capite*.

Eia, *luce & arde*, *Candela* ſuper illud nunc tantò excelſius poſita *Candelabrum*, vt videant, qui in *Domo* ſunt & accendantur; imò & qui foris; gaudeatque Iure Bono Germania è ſinu ſuo protuliſſe, quo ſe iactet olim & pulchram putet *Romana* illa & *Sacra Purpura*.



PROLOQVIVM AD LECTOREM.



Ine velo, gubernaculo, mappa hydrographica, & pyxidicula nautica quodammodo nauigat ille, qui ad libri alicuius lectionem se applicat, ignorans quænam auctoris sit scribendi ratio, quod operis etiam ipsius argumentum, quæ forma eius, & demum quis scopus. Paulisper igitur, amice Lector, hîc siste, & hac in arena anchoram tuam aliquantisper defige, tuũque ante suspende iudicium, quàm in prȩoccupatarum præcipitatarumque opinionum pelagus longius prouehare. Caudam caput prȩcedere solet, & omne iudicium quoddam requirit præiudicium; *graue* alioquin *praiudicium est, quod iudicium non habet*. Et quatuor disce causas, quibus hæ homiliæ debentur, & ob quas luce donantur.

I. Efficiens cusa, Deus est, supremum illud principium, à quo omne descendit bonum: cuius hîc

Ierem. 1. *verbum* vide, quod *in manibus meis dedit*, vt ipsum pro modulo ac potestate mea *dispensem*.

1.Cor.4. Inspirationes eius, motiua sunt, quibus ad obiectionum, quæ ad primam libri huius apertio-

Ezech. 8. nem mihi obijcientur, *parietem fodiendum* sum permotus.

Sæcu-

Sæculum hoc moroſum & phantaſticum eſt, & iam tum mihi præſentire videor, plurimos de extimo duntaxat frontiſpicio iudicantes, dicturos.

1. Eum, qui poſt tot tam priſci æui, quàm nuperi concionatores, poſt innumeros, qui homilias euulgârunt, eiuſdem generis ac formæ opera reproducere ac refingere velit, quodammdo in ſcenam poſt Roſcium prodire, aquam in mare deducere, arenas Libycas numerare, ſole ſplendente candelam accendere, cramben bis coquere, laterem lauare, Danaidum dolium replere, denique rebus aliàs & ante dictis replere mundum & onerare.

2. Homilias & cóciones conſcribere, plus otij requirere quàm habere queat Epiſcopus, cuius *officium* ac munus *Angelicis* etiam *humeris formidabile*, multis alijs adobrutum impedimentis eſt, quæ non facilè ſimul cum hoc ſcribendi negotio conſiſtunt.

3. Imprudenter ac temerè chartæ illa committi, quæ non niſi in ore ſapiunt, & celeberrimos quoſque concionatores, eius quam dicendo comparârant, famæ ſcribendo iacturam feciſſe, quòd à victu vngula, à lingua calamus minimum quantum diſtarent.

Ego verò, cariſsime Lector, vt tria hæc, quàm veriſsima eſſe non diffiteor, te viciſsim obſecro, vt etiam hæc quæ ſubnecto, vt vera admittas.

1. Arcam & horreum Domini nondum adeò plena eſſe, nec Petri ſagenam ita repletam, vti nec gazophylacium, quin vel vnum adhuc ijs granum, haleculam, & *æra minuta* Luc.21.

duo addere queam. Quadragesimale hoc breue adeò est, vt sicut non magno manibus erit oneri, ita nec crumenas multum euacuaturum, & bibliothecas parùm adaucturum sit.

2. Antiquos illos Episcopos, prædecessores nostros, non minùs officij sui negotijs oppressos, impeditos & adobrutos fuisse, quàm ipsi simus modò: illi tamen non idcircò minùs, ea quæ ad populum suum ore dixerant, vel contractiùs vel diffusius scripto mandârunt; quidni ergò & nos si non id præstare illis meliùs queamus, faciamus quod possumus?

3. Sicut in diuina hac arte, ob indignitatem & ineptiam ipse meam oppidò exiguum mihi nomen comparaui, ita paruam etiam meam futuram iacturam esse: caput aliquantulum mihi inclinandum duntaxat ad hunc aduersariorum ictum declinãdum: *Ego autem non quæro* hîc *gloriam meam, sed eius qui misit me* Domini: & *si hominibus placerem*, eius *seruus non essem*. Et sanè si mundi captare gratiam, ac famam studuissem, longè aliter me comparassem.

Ioan. 8. *Gal. 1.*

Vis dicam id, in quo rei cardo vertitur? Scioli & momi hi nullam nec publici commodi, nec status, nec nominis mei rationem habent, satis ipsis est, si suo satisfaciant genio ac cauillanti naturæ, quæ ceu postrema quædam impetigo & scabies, perpetuam quandam excitat alios carpendi pruriginem. Nunquam aliàs tot videre fuit palata delicatiora, & tam paucos doctos, nunquam tot operum alienorum censores, & tam paucos operarios; nunquam tot iudices, & tam parum causarum.

Maio-

Maiores nusquam ronchi, iuuenesque senesque, Martial.
Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Semper etiam in venustate venustissima, quod carpatur inuenitur; opus etiam optimum ac lectissimum, semper quod momns sugillet, habebit. Dicite mihi concionatores, quis vestrûm, veterum Patrum homilias euoluitans inspicit? Hé, quàm pauci! quid igitur? manna insipidum erit nauseabundis? minimè gentium: sed mutata forma est, color, procedendi modus; eiusdem quidem doctrinæ habemus materiam, sed illius adhibendæ modum variamus.

Erunt qui quosdam concionatores plus æquo dicent verbosos, ac succi omnis & medullæ expertes; alios dicent plus nimio confertos & constipatos; alios dicent in dicendo ac sermone nihil singulare habere, nonnullos dicent confusos: alij puta nimis contemplatiui ac subtiles illos, commentarios dicent scribere, non conciones; alios, disertulos quosdam esse, qui propter verba de re nihil laborant; alios eadem identidem repetendo lectori tædium afferre, quin imò alios nimis, ad antiquorum cauillabuntur imitationem, ordinatè procedere; nunquam carpendi finis; plus hodie sensuum inuenias quàm capitum, plus opinionũ quàm opinantium: oculi malè sani sanos afflatu suo inficiũt, palata deprauata cibos suauissimos, vt insipidos & amariores, reijciunt; ita & lectores quascunque imperfectiones habent, in ipsos reijciunt auctores.

Miserum sanè, tot cum Momis negotium habere, qui etiam in Apellis Minerua quod carpant inuenirent, etiam *vltra crepidam* procedentes!

Vtinam quis, pictorem hunc, qui ex vniuersa *Phil.35.* omnium Virginum Græcarum venustate suam *cap.10.*

Venerem omnium pulchritudinum exemplar pinxit, imitatus aliorum inſiſtendo veſtigia, perfectam formare homiliam, vel conſummatum concionatorem effingere poſſet? ſed idea hæc, ſicut & reſp. illa Platonis, & Ciceronis, quem perfectum expingere conatus eſt, orator optanda magis quàm ſperanda.

Nimis quàm longè ipſe diſto, vt huc aſpirem, & euolem: Sufficiat ſi ipſe miles gregarius in aſ-
Matt. 25. ſultu & oppugnatione vel ſoſpes queam euadere, &, cùm nõniſi medium nactus ſim talentum, inutile id eſſe & interquieſcere nõ ſinã: & nulla reuera hic rhetorices aut eloquẽtię drachma apparet.

Nam (vt ad ſecundam, eamque materialem
II. cauſam perueniam) aliud hic non videbis, quàm ſinceram ſimplicemque rerum coaceruationem, conſtipationem, accumulationem, qualem in co-
Ouid 9. Metam. Luc. 13. piæ cornu infuiſſe Poëtæ deſcribunt, aut qualis in grano ſinapi Euangelico adumbratur, vtpote quæ exigua quidem & parua apparens permultum in ſe complectitur.

Eſt nempe quoddam velut compendium, epitome, ſuccus, quinta eſſentia ſublimata, quæ pauculis verbis amplum copioſumque includit ſenſum: tam hîc de breuitate ſectanda fui, quàm de obſcuritate euitanda ſolicitus.

Materia cruda eſt, inuoluta, inculta, informis,
Ouid. 1. Metam *rudis indigeſtaq; moles*, rationes, ſimilitudines, cõceptus, paucis ſingula ſunt comprehenſa & conſtricta verbis: fruſtilla ac membra ſuum ſingula conſtituunt corpus; & eius generis linea in longioris cuiuſdam ſpiritus extendi cudique diſcurſum poteſt.

Nullum hic contextus apparet filum, nulla ars oratoria, digreſsio prorſus nulla, vti nec dilata-

tio,

tio, verba, quæ rē & maximè, & quā efficacissimè exprimāt, sum studio sectatus: si extēdere modò quis corium velit, in infinitum id valeat extendere; & modicum verborum fermentum si inserueris, spissa hæc massa minimum quantum & plusquam fortè volueris insurget excrescens in immensum. *Matt.13.*

Inprimis suadeo, rumines, examines, ponderes, remandas, relegas: alioquin enim, parum præstiteris, vtpote tantum obruens memoriam, & meris intellectum cruditatibus complens.

Peruide, Lector, accuratè citationes scriptorum, & inprimis ea ad quæ te remitto loca; ac comperies non aliter mentem tuam apertum iri, quàm ad solem Heliotropium. Dimidio plusquam satis est, dixi, vt qui de diligentia tua meliora spero.

E tribus essentialibus Oratoris partibus, & Inuentione inquam, quæ ad materiam refertur; Dispositione, & Elocutione, quæ formam spectant, postremam hanc planè & prorsus omisi, tanquam quæ in charta emortua quodammodo sit, & forsan indecora.

Vt nimirum duabus prioribus magis & exactiùs studerem; quarum prima, (tametsi sæculo hoc nostro nihil scribi nisi quod ab alijs scriptum sit, perhibeatur, perinde ac si nostra sterilis facta esset & adulterata) certus sum fore, vt etiam inuidiâ teste, quo ad potissimam quidem sui partem, vt mea ac dominata agnoscatur; secunda verò, mea in solidam & quoad totum: nam duæ partes accidentales, Actio & Pronunciatio suum quæque etiam hic symbolum habet ac formam.

III. Satis mihi eſt, (vt ad cauſam veniam formalem) botrum tibi dare, ſpicam, & pomum quoddam punicum, quorum grana ſcitè apteque inuicem connexa & conſtipata ſunt; Vt enim verum fatear, nulli rei plus & anxiè magis ſtudui quàm methodo, & ordini, quem extremè & religiosè, quin imò ſuperſtitiosè, me crediderim obſeruaſſe.

Ferculum eſt in ſuas buccellas diſtinctum, panis in partes conciſus, ſolùm maſticandus, degluttiendus, digerendus, ingerendus eſt: boli ſunt, iam diſpertiti & fruſtratim digeſti.

Nôrunt doctiores, quantò ſit faciliùs, vel planè de nouo quid inuenire, vel priſcis inuentionibus quid addere, quàm confuſa in ordinem ſcitè redigere.

Gen. 1. Ipſemet Deus vniuerſi materiam vnico creauit inſtanti, & ſex ipſam diebus diſpoſuit.

Ligniſecę ligna rudi quodam modo diffindũt, ſcriniarij alijque artifices minutim ſuo quæque loco digerunt.

Latomi ſaxa latumijs educunt; ſed ſolorum architectorum eſt eadem adaptare, & ſuo ordine quodque collocare.

In hoc inprimis fui accuratus, ad ipſa vſque punctula, omnia in diuiſiones, ſubindiuiſiones, quin immò & ſubdiuiſionum ſubdiuiſiones diſtinguendo: quod Arithmeticæ notæ ad oculum indicabunt, memoriæque ſubſeruient iuuandæ, non ſecùs ac notula vel aſteriſcus: ſtupidus ſanè is ſit oportet, qui facilem adeò lectionem non facilè perdiſcat.

Capita primaria in partes diſtincta ſunt,

puncta

puncta in fruſta ac particulas. Sunt qui artem in eo ſitam volunt, vt artem quàm maximè occultent: ego vice verſa de induſtria eam patefacere, & omnes partes in apertum proferre ſtudeo ab omnibus conſpiciendas, vti ſuam Romanus ille domum conſtrui volebat.

Materiam igitur ſummatim & paucis ſuggero, nec non formam eius principalem, qui eſt ordo; aſcititium verò ornamenti, decoris, venuſtatis, colorum fucum penitus repudio & rideo. Hæc quippe eius relinquo iudicio, qui hocce labore meo vti voluerit, ita vt alicuius libertatem certorum nolim verborum limitibus conſtringere. Vt enim quod cenſeo & res eſt, dicam, quicumq; ſe ad dicendum ad concionem hominum ingerit, iam verba cóparata & parata ante habere debet; ſin minus, nimis quàm temerè facit ſi hoc linguę deſtitutus præſidio ſuggeſtum conſcendat.

Non eſt boui trituranti os obligandum, aliquot ſpicilegis relinquendæ ſpicæ ſunt, vti Booz ancillæ ſuæ Ruth reliquit; & hoc concionatori ſaltem permittendum, vt cùm rem illi ſuggeſſeris & materiam, ſuis eam exponere & polire verbis, & 1. Cor 9. Ruth. 2.

Saltem aliquod poſſit dicere iure ſuum.

Cauſa mea finalis, & collineationis & intentionis meæ ſcopus fuit, tironibus ac rudioribus aliquo prodeſſe modo; neque enim vlterius meę poteſtatis limites ſe extẽdunt, ac pręſertim in doctioribus Curionibus ac parochis huiuſce meæ diœceſeos, quam mihi regendam gubernandamque animarum omnium noſtrarum rector Chriſtus concredidit, ſuppetias aliquas litterarias ac librarias ferre. Si per prœli Typographiyci commoditatẽ fit, vt ad alia etiã opida vlterius exemplaria IV.

plaria deferantur, calami mei, ceu nouus Icarus, confusionem metuo; nimis tamen demissè volito, quàm vt verear ne alæ meæ liquescant, cùm vix à terra me ipse sustollam, & nunquam me eleuem sublimius.

Iere. 11. *Psal. 43.* *Psal. 138.* Prout Domino visum fuerit ita fiet, qui tametsi ei *causam meam* non *reuelem*, *nouit cor meum probat me, & cognoscit me, intelligit cogitationes meas de longè, semitas meas inuestigat, & omnes vias meas præuidet*; scit inquam, non aliud mihi esse propositū, quàm, si melius quid afferre nequeo, fimum congerere ad vineam eius fœcundandam ac impinguendam.

Incipientibus ac rudibus materiam & artem nudè planè propono; atque hæc adamantes sunt in scopulis nati, quos prouectioribus ad concinnandum & poliendum consigno. Ipse primò carbone delineo, alij dent colores; imaginis ego do fundum, alij ei addant lumina; molem nudam tabulæ propono, alij exordiorum, epilogorum, apostrophorum, prosopopæiarum, repetitionū, figurarum oratoriarum, similiter cadētium, flosculorum, digressionum, extensionum, descriptionum, persuasionum, complorationum, exclamationum, quę sæpè magis concionem emouent, quàm rationum pondera, vmbracula & coronides adiungant: mihi sufficit dedisse iudicio, in quo se exerceat, memoriæ, in quo se occupet; voluntati, quod sibi per doctrinam sinat persuaderi; imaginationi, quod ruminet; toti denique ingenio ac menti, quod recogitet, & in suam rem conuertat.

Equidem summatim multa coarcto, alius diminuendo explicet, ego materiam do concinnatam & adaptatam, alius linguæ phrygionicam super-

addat. Nam de verborum pulchrorum ornamentis ne cogitare quidem volui; quin imò eadem ceu tædiosam linguacitatem subterfugi & declinaui, vtpote quę succinctæ illi, quam profiteor & affecto, breuitati planè contraria sunt.

Hæ quatuor sunt causæ meæ, amice Lector: si porrò liber hic tibi aut prosit aut arrideat, lauda efficientem, materialem tibi adapta, formalem in tuum commodum conuerte, & finalem noli obliuisci, gloriam inquam Dei.

Si simplex sis lector duntaxat, meditationum tibi hic materiam suggerat liber.

Si autem concionator, magna, mi frater, tua est dignitas & munus quod tractas, virum esse nimirum organum, cuius adminiculo & operâ verbum Dei ad aures & animos hominum dimanat. Da itaque operam, vt os tuum quoddam sit velut oraculum, & cor tuum ceu ardens fornax zelo succensa, vnde lingua quædam ignea prorumpat (hæc sacra Ecclesiæ dos est) nec non verba ignis vehementis & ardentis, quibus etiam *carbones* exstincti *redaccendantur*. *Psal 17.*

Homiliæ hæ non ampliùs futuræ sunt meæ, sed tuæ, dum scilicet easdem aut aliter, vel melius quàm ego, dicere poteris; cùm etiam aliter eas ipse in cathedra, quàm scribo, pronuntiârim.

Adhæc, fidelium & *credentium* nonnisi *cor vnum & anima vna est*: omnes eorum diuitiæ, ac præsertim spirituales, debent inuicem communes esse. *Caritas benigna est*, & *non æmulatur*. *Actor. 5.* *1. Cor. 13.*

In primis his, quos vobis offero, fôtibus exiguę huius

huius diœceſeos, in qua me Deus ad animarũ eadem contentarum tutelam collocauit, territorium irrigate. Quod ſi fieri nequit, precum ſaltem veſtrarum huc influxus dirigite, quibus graue hoc, quo in honore oneror, onus aliquatenus releuabitur.

Has ſi impenderitis, haud grauatè omnes veſtrûm erga me gratitudinis obligationes, & vanos applauſus equidem negligo & proculco, quas tamen indigno huic Epiſcopo, qui tam eas inſtanter & efflictim per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, qui vnicus & ſacroſanctus noſter Amor eſt, à vobis efflagitat, denegare, quantum mihi quidem videtur, meritò non poteſtis.









FERIA V. CINERVM.

De Cineribus.

HOMILIA I.

Memento homo, quia cinis es, Gen. 3.



CINERIBVS suis repullulascens phœnix à morte vitam suam mutuatur. Huic se similem esse perhibet his verbis Iob, *In nidulo meo moriar, & sicut palma* (aut alia lectione, *& sicut phœnix*) *multiplicabo dies meos.* *S. Ambros lib. 6 Hexam. c. 23.* *Iob 29.*

Nihil autem antiquius habet Ecclesia, nihil maioribus exoptat votis videre, quàm vt filii sui veterem exuentes hominem, nouum, ad imitationem sponsi sui Saluatoris nostri, superinduant. Hinc ipsa sub initium dierum, quos agendæ pœnitentiæ destinauit, salutari sanctaque quadam cœremonia capita nostra cineribus conspergit, vt finis nostri repræsentatione, ad è peccati morte ad vitam gratiæ (gratiæ inquam, quæ vitæ mortem omnem nescientis ianua est) resurgendum nos exstimularet. Circa hanc cinerum memoriam hodierna, quanta quanta est, versabitur homilia, vt ne latum quidem vnguem à cõparationibus è cinere petitis deflexuri simus: in qua ad oculum ac liquidò ostendemus, memoriam cinerum esse generale quoddam ad septem illa pestifera monstra, quæ nos læsæ maiestatis diui- *Beda lib. 2. exposit. in Iob.* *Ephes. 4.*

næ reos, & capitali supplicio dignos constituunt, à nimabus nostris eradicanda remedium. Idque ordine ac methodo ita facili, vt ex ipso ea contextu manifestè colligi queant. Rem auspicamur.

I. 1. Archimedes Geometrica scientia illustris non nisi vnicũ sibi dari extra terrã punctũ, in quo cõsisteret, postulabat, ad vniuersam terrã loco mouendã: Ecclesia, carissimi, mulier illa imprimis fortis, industria, ac draconis septicornis domitrix, vnicum petit dumtaxat cineris puluisculum, qui verè proprieque nonnisi punctum est, ad homines transmutandos, & terrenam illorum conditionem in cælum subuehendam. Quod in extrema illa dierum, hesterni & hodierni, differentia & oculus ipse liquidò cernere, & mens admirari potest: quæ sanè mutatio quia repentina ac subita, prodigiosa imprimis est.

Exod. 9. 2. Ecclesia, blanda illa mater, cineribus suis medelam affert, longè secùs ac Moses olim, cuius manu cineres in aëra sparsi, vlcera ac vesicas procrearunt. Ille olim puluerem in muscas & sciniphes commu-*Exod. 8.* tauit, Ecclesia diei hesternæ muscas, tabanos atque œstra in apes hodiernæ sapienter frugi, ac temperãtissimas conuertit.

3.4. Spargit suos illa cineres non secùs ac *vnguẽtum* *Psal. 13.* quoddam *Aaronicum*, quod *è capitibus* nostris *descendit in oram vestimentorum*, per internam scilicet nostri cognitionem ad exteriorem nos modestiam sanctamque morum compositionem traducens.

5. Panacea in pulueres cõminuta Aesculapiũ medicũ adeò celebrẽ & inclytũ apud omnes reddidit, vtpote quâ mortuis vitã & ægris sanitatem restituit amissam: nostri verò cineres salutare sunt aduersus letalem peccati morbum alexipharmacum, animæque pollutæ salutem conciliant. Quin vniuersale quoddam sunt remedium, omnibus morbidis animi affectionibus ac plagis adhibendum, quod singillatim iam declaraturi sumus.

II. 1. Intumescit quis superbiâ, malâ inquam de propria excellentia præsumptione? docebit illũ pauus,

ne, cùm

ne, cùm ad puluerē pedum, miseri scilicet corporis sui cineres, oculos reflectit, stellatis eximiisque animæ donis ac pennis præsumptuosus intumescat.

2. Cinis prima terræ materia est: & ortus nostri, & interitus & consumptionis recordatio, ad purum Esse nostrum naturale, vt philosophorum vult dogma, nos reducet.

3. Philippus in lucta humi afflictus, cùm corporis in arena dimensionem expressam cerneret, Tantillo, inquit, spatio omnes mei vani conceptus ac molimina terminabuntur. Alias quoque ipso vmbram sui corpore maiorem esse conspicatus, En vanitas, inquit, sed in puluere veritatis. *Puluis & vmbra sumus*, ait non nemo poëtarum. *Quid superbit terra & cinis?* &, *Omnes homines terra & cinis*; dixit Sapiens.

Horat. lib. 1. oda.
Eccli. 10.
Eccli. 17.

4. Magnates, tametsi insolescant, nonnisi cinis sunt, at cinis, vitri instar, ab igne prosperitatis depuratus; at prosperitatis, quæ vicissim vitri in morem fragilis, *mare vitreum simile crystallo.* *Apocal. 4.*

5. Auiū sacrificatarū pennæ tempore Mosaicæ legis vnà cū cineribus vnū in locū abiiciebantur. Monarchæ ac Summates, auium licet cælicarum in modum elati, per mortem tamen vt victima immolata occìduntur, & in cineres, tametsi superbis Mausolæis inclusi, conuertuntur. *Leuit. 3.*

6. Persimiles sunt lapidi illi Alexandri, ceteris quidem ponderosiori, sed omnium, cùm puluere coopertus esset, leuissimo: post mortem Rex & baiulus eamdem subeunt sortem, in vitæ cursu adeò dissimiles, sed fine & termino ita similes.

7. Ignis multum ligni in pauculos redigit cineres, nec antè desinit, quàm omnia consumpserit: mors regem in nihilum redigit, ac nemini parcit.

8. Et hi ipsi cineres, quibus hodie frons nostra conspergitur, an non è ramis palmarum conficiuntur? vt hinc euidens fiat à morte triumphantes vinci atque in triumpho duci.

9. Cinis à *cadendo* nomen inuenit: omnes in hac

arena mortales prolabuntur; homines frondium in modum abeunt & prodeunt, pereunt & naſcuntur. *Æquo pede mors pulſat pauperum tabernas, regumque turres*, ait poëtarum quidam.

Horatius lib. 1. oda. 10. Agathocles, figulo fratre natus, figlinis ad menſam vaſis vtebatur, vt originis hoc pacto ſibi memoriam refricaret, tum propriæ, tum regibus omnibus, ſimul & mortalibus vniuerſis, communis.

Ioan. 9. 11. Hoc eſt ſalutare illud lutum, quo Saluator cæco nato oculos illiuit, & viſum reſtituit; & hoc ipſo Eccleſia oculos adaperit illis, quos ſuperbia ita excæcauit, vt ſeipſos videre nequeant.

12. 13. Puluis item quidam eſt acer & mordens, quo illa ſuperbiæ næuos & maculas exedit. Puluis æſtatis è luto naſcitur brumali: homo in vita nonniſi mera eſt vanitas, & in morte vilitas.

14. Cinis contemptibilem præfert colorem: & mortis memoria ſanctum quemdam honorū mundanorum contemptum procreat.

15. Fierine queat, creaturam, cinerum adinſtar vilem & abiectam, per vanam gloriam, aduerſus tantam maieſtatem, diuinam ſcilicet, intumeſcendo inſurgere? numquamne, vilitatis noſtræ perſpecto ſymbolo, humilitatem addiſcemus?

16. Vas aqua plenum, cineres licet inieceris, non idcirco redundat, aut aqua aſſurgit altior. Noſtræ ergo præſumptionis tumorem ſalutarium horum cinerum vſurpatione deponamus. Et ſanè aliud non ſumus, quàm *puluis à vento* agitatus, & *omnis gloria noſtra* nonniſi *puluis* eſt, & *puluis mortis*: *præter pulverem nihil ſumus*, & *in puluerem redigemur*. noſtras ergo *animas in* hoc *puluere*, & his ſordibus *humiliemus*.

Pſal. 1. 7. 17. 21. 34. 102. 103. 143.

III. 1. Inuidia aliquem occupauit, monſtrum inquam illud viſcera corrodens, quod è bono alieno malum elicit, & dolorem concipit? Norit quemadmodum in cineribus vermes omnes emoriuntur, ita mortis reminiſcentiâ omnem æmulationem ſuam extinguendam.

2. Vipera

2. Vipera hæc & ſcorpio, in puluerem redacti, theriacum erunt, & præſens aduerſus morſus proprios medicamen.

3. Ad nidum non redit coruus, ſi quando vitri comminuti fragmina & pulueres ei inſperſi fuerint: nec inuidia, bellua illa portentosè furua, in animum cineribus conſperſum, & mortis formidine conſtratum redibit.

4. Nihil cinere vilius, ſemper quippe in angulum aliquem obſcurum abiicitur: ſic nec quidquam hoc vitio vilius aut contemptius, vtpote quod malignitatis conſectatur tenebras, ſeſe prodere erubeſcens: ſi propriam tui ipſius perpenderis miſeriam, facilè ipſum perſanabis aut tolles.

5. Cinis materia eſt ſimplicisſima, & ab omni compoſitione ac mixtione remotisſima: inuidia è contra duplex eſt, ac malitiosè compoſita & conficta; adeo vt meliùs exſtirpari non queat, quàm inſigni cordis ab omni fuco & arte alieni ſimplicitate.

1. Choleræ & bili quis obnoxius eſt? è cineribus noſtris pilulas componat, nihilque ad bilem tollendam eſſe aut comperiet ſalutarius, aut oportunius. IV.

2. Cinis frigidus ignem exſtinguit: mortis frigidæ ac pallidæ memoria vtilisſimum eſt aduerſus æſtuantes iracundiæ furores cataplaſma.

3. Qui olim, ad hocce malum animo pellendum, conſuluit inter cetera remedia, vt irâ æſtuans in ſpeculo ſe contemplaretur, vt horribili commotionum, quas in vultu excitat, conſpectu ad ipſũ fugiendum moueretur; vt interim taceam ſymptomata & miras conuulſiones, quibus mentem adobruit; is inquam ſpeculum hoc è cryſtallo, è puris hiſce ſimplicibuſque cineribus coagulato, componere debebat, in quo hodie ipſi noſtri Eſſe inanitatem ac nihilum contemplamur.

4. Apes dum in certamen acriter ruunt, pulueris, quantum pugnus contineat, iactu omnis ipſarum

pugna motuſque conquieſcit. Magnus poëta egregiè hunc conflictum depingit, & ait:

Georgic. 4. *Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta*
Pulueris exigui iactu contacta quieſcent.

Populus, qui heſterna die inſenſatis & Bacchicis ſuis clamoribus fucorum ac veſparum bombizantium examen, ſexcentis pungens ineptiis & inſolentiis referebat; hodierna benedicti huius cineris iniectu penitus detumuit, omniſque ipſius furor conſopitus.

Lib. 3. 5. Ammianus Marcellinus oleum quoddam eſſe ait incendiarium, quo ſuas barbari nonnulli ſagittas inficiebant, quarum vulnera eam in corpore ſaucio inflammationem cauſabantur, nulla vt ratione ardor aut tolerari poſſet, aut medicamentis exſtingui; ſed ſola cinerum applicatione coërcebatur. Si rabidi noſtri duellatores, qui diabolico quodam furore in cædem aduerſarii adeò præcipites ruunt, ſcirent, malæ eſſe mortis horrores, & eam ſequi ſolitorum in mentem ſibi reuocandos, iurare auſim, cinere hoc omnem, qui in venis ipſorum efferueſcit, ardorem maximoperere, veluti frigidâ iniectâ, exſtinguendum.

6. Meminit Plinius fontis, cuius aqua inardeſcens, nonniſi frigore arenæ circumſecùs vicinæ exſtinguatur: iræ refocillatio & temperamentum, mortis eſt nos inueſtientis, & ad ſingulos pulmonum halitus nobis propius approximantis conſideratio.

7. 8. Quid? excogitarunt Empirici puluere ad calculum renibus concluſum diſſoluendum; noſter verò cinis iracundiam ac bilem frangere nequeat? Roga Saulem, qui Dauidi, cuius vitam in manu ha-
1 Reg. 24. bebat, pepercit, & mortale, quo eum proſequebatur, odium exuit, illum ſe *iuſtiorem* appellans.

V. 1. Si acedia, lethargicus ille ſopor, viuens illa mors, inerti ſua pedica aliquem illaquearit; noſter eum cinis expergefaciet: tametſi viuacitatis illius ignis in cœnum, vti ignis ille ſanctus in reditu

à captiui-

à captiuitate Babylonica, transierit, illud tamen redaccendetur, modò solis radiis exponatur. Fieri namque nequit, vt non ad rectè agendum is se accingat, qui & vitæ breuitatem, & mortis instantiam ob oculos habuerit. *2. Mach. 1.*

2. Instar Antæi gigantis vigorosior ac vegetior resurget, vbi magnam illam matrem nostram, terram, contigerit.

3. Cæsar in Africæ littore casu prolapsus, *Te*, inquit, *Africa teneo*, possessionem quodammodo *per glebæ susceptionem* adiens. *Sueton. Cæsar c. 59.*

4. Arbor arida & infrugifera reuiuiscet, & fructum proferet, si modò radix excolatur, & stercoretur: sanè abiectionis nostræ fimus viuum est calcar, quo ad *faciendos fructus dignos pœnitẽtiæ* excitemur.

5. Sic nimirum ceruum excitat aquila inter ramosa eius considens cornua, & caput illius alis puluere oppletis concutiens; ad eundem modum peccatores excitandos ait Baruch, cùm *oculos puluere plenos* habuerint. *Plin. lib. 10. c. 14.* *Baruch 6.*

6. Erichthon terræ filius, in pyxide enutritus, vnà cum Cerere in viam se dedit ad Proserpinam raptam inquirendam: nos verò, mille papaueribus soporatos, quid non facere oportet, quò animam, Sacramentorum adminiculo, Plutonis manibus eripiamus?

7. Et verè, eheu! nonnisi cineres nos modò sumus; at maiores nostri carbones erant, feruore, zelo, & deuotione flagrantes: populus & generatio hodierna nonnisi frigidus est *de* pio primitiuæ Ecclesiæ *incendio cinis*. *Isaiæ 33.*

Nunc seges est, vbi Troia fuit.
Ac veluti segetẽ cùm flamma furentibus Austris
Exurit.

Sic porrò vigorem animi nostra exurat inertia, vt vel flammulam aliquam ex hisce cineribus excitare, & pristinum illum ardorem queamus redaccendere! Sed quid? sceleſtus ille Roboam, mundus scilicet, *scuta* introduxit *ærea* sublatis *aureis*, & *aurum* nostrũ *3. Reg. 14.*

Thren. 4. *obscuratum est, color* noster *optimus mutatus, & facies* nostræ *sapphiro pulchriores denigratæ sunt super carbones exstinctos & in fuliginem redactos.*

VI. 1. Ingluuies aliquem & gula, pecuina illa pestis inuasit? adhibeat malo panem illum Eliæ subcineritium, simul & memoriæ insinuet, fore se aliquando vermium escam: imitetur regium Prophetam, qui Psal. 101 *cinerem tanquam panem manducabat*, aut in panem cinerem vsurpabat; & confestim à gula purgabitur.

2. Quemadmodum in omnibus conuiuiis & ad omnes cibos panem adhibemus: sic in omnibus actionibus nostris, etiam deliciosis (vt cranium in AEgyptiorum mensis circumgestari solitum) mortis memoriam intermisceamus.

3. 4. Cinis gustu amarus & insipidus est, sed Thren. 3. macularum abstersiuus; terramque, cui superseminatus est, sterilem reddit: si *os* nostrum *in puluere ponamus*, ingluuies discet sobrietatem, & appetitus noster sterilescet.

Dan. 14. 5. Daniel cinerum indicio sacrificulorum Beli imposturam detexit; & pauxillum illud, quod naturæ nostræ cinereæ necessarium est, satis superque insatiabilis gulæ nostræ inæqualitatem declarat.

Exod. 30 6. Nunquam aureum sensualitatis nostræ vitulum adorabimus, si miseriam eiusdem in pulueres redactam attenta consideratione hauserimus.

7. Ille profectò stolidus est, qui lignum iniicit igni, quem vult exstinctum: concupiscentia nostra quædam fornax est, in cinerem nos redigens; ille verò ter miser, qui ipsam assiduò fouet.

8. Quid dico, concupiscentia? quid verò aliud Psal. 1. ipsi sumus, quàm arbores inuersæ? vt aiebat Plato, Ierem. 17 quàm *arbores ambulantes*, feraces vel steriles, *autu-* Isaiæ 1. *mnales*, *mortuæ*. eradicatæ, quantum quidem ad Iud. 1. corpus? quoad animam verò, ignis, secundùm Æneid. 6. Empedoclem, fumus: cuius sententiam sic declarat Virgilius,

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Iuxta

Iuxta fabulam Promethei, quid aliud quàm scintilla quædam cœlestis flammæ? quàm spiritus ac Sap. 2.
flatus diuinus? mirumne igitur, per calorem illum 2. Reg. 21
naturalem omnia absumentem humorem nostrum Gen. 1.
radicalem in cineres tandem conuerti? *Dilapsa in cineres face.*

9. Abstinentia ergo & cineres gemelli sunt, eodem die in lucem editi: eodem siquidem die esum ex arbore scientiæ boni & mali Deus vetuit, quo in Adamum hoc mortis decretum, quod hodiernæ ho- Gen. 3.
miliæ fuit thema, pronuntiauit, *Puluis es*, ô homo, *& in puluerem reuerteris.*

VII.

1. Libido quem inquinauit? (quod à duobus præcedentibus malum originem trahit; cibus quippe illius est pater, & acedia mater) cinere nostro se expiet, & agnoscet, vti bene obseruat D. Gregorius, non alio duriori carnem freno, quàm assidua mortis cogitatione refrenari.

2. Ipsa est Anteros ille feralia Cupidinis tela in cinerem conuertens.

3. 4. 5. Cinis purissimus est, hinc mali huius impuritatem expurgabit; quin etiam mordax, hinc Leuit. 6.
eiusdem titillationes erodet. Cineres hi cor mun- Num. 19.
dum exigunt, vti olim sacrificiorum cineres loco mundissimo reponi Deus iussit.

6. Pulueres iridis mortis nuntiæ, qui egregias nobis considerationes suggerunt, quin & cupressi arboris in funeribus veterum adhiberi solitæ à mulieribus emuntur, vt iis capillos conspergant & colorent. hi nimirum sunt *pulueres* aromatici & Cant. 5.
beneolentes sanctæ sponsæ. In hoc Isaias puluere fi- Isaia 7.
lias Sion sedere vult, vt eodem lasciuiam restinguant ac petulantiam expurgent.

7. 8. Cineres hi bonũ diuini amoris ignem conseruant, & perniciosum carnis exstinguunt: sunt itẽ cineres ignis vestalis, pietati & castitati consecrati; quin & cineres herbæ, cui nomen *Agnus castus*, è qua qui sibi ceruicalia suffarciunt, à tentationibus sensualibus immunes dormiunt.

9. 10. Cinis maculas eluit: è cineribus namque colatur lixiuium, quo sordes omnes tollun-
Num. 4. tur. Altaria in lege Mosaica aqua cineribusque mundari Deus volebat: sic nihil adeò corpus simul & animũ, templa Spiritus sancti, & viua Dei altaria à carnis inquinamentis expurgat, quàm lacrymarum vnda mortis memoriâ permixta.

VIII. 1. 2. Hydrops auaritiæ, quæ est inexstinguibilis quædam habendi sitis, aliquem inflauit? in
Dan. 2. mentem is reuocet lapillum illum exiguum, quo ingens ille Colossus, è varia conflatus materia, vt inter somniandum vidit Nabuchodonosor Rex,
Iona 4. deiectus est, & in puluerem comminutus: recogitet item vermiculum illum, qui virentem Ionæ hederam corrosit, & arefactam in cineres redegit.

3. Norit is, cinerem nostrum esse velut aureum
Cantic. 5. spiritualium Chymicorum puluerem, omnia in se commutantem. Sanctus sponsus cùm eo caput suum
Hebr. 9 consperisset, ipsum ex *auro optimo* composi-
Num. 19 tum fuisse sponsa amans deprædicat.

4. Immundi olim cineribus vitulæ rufæ mundabantur: tum vt hoc pacto idololatricus vituli aurei cultus repræsentaretur, tum verò vt hac ratione euidens fieret, Adamum è rubra compositum fuisse terra: quod & è nomine eiusdem colligere est; notat id namque vas è rubra argilla conflatum.

2. Cor. 4. 5. *In vasis* hisce *fictilibus*, quæ ab ipso trahimus, magnum, teste Apostolo, *thesaurum habemus*, animam videlicet nostram: cuius si eam quam oportet curam habuerimus, omnis extemplò de mundanis facultatibus solicitudo abscedet.

6. Persimiles porrò hæ sunt pomis illis Gomorrhæis, exteriori quidem specie allicientibus & oculo gratis, sed ad primum contactum in fauillas abeuntibus.

7. Aurum

7. Aurum & argentum nonnisi puluis sunt, qui verò eisdem coaceruandis inhiant, Geometris esse dixero persimiles, sexcentas in aretna figuras ducentibus, ad minimum aquilonis flabrum turbandas & delendas.

8. Denique Senecæ suffragatur D. Hieronymus dicens, *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum.* *Epist. ad Cyprian.*

1. Videte igitur, quo panacea nostra in pulueres comminuta modo omnigenis applicetur morbis. Cineres saligni, aceto immixti, vermes ac blattas enecant: & mortis consideratio salutari iuncta pœnitentiæ omnigena hominum cordibus peccata tollit. IX.

2. Pœnitentiæ inquam, cuius verum & essentiale hieroglyphicum sunt cineres, ad quam proinde omnes hi seriatim de cineribus conceptus adaptari queunt. Pœnitentia etenim & mortis memoria sunt à se inuicem inseparabiles, & circulo quodam spirituali in se mutuò conuertuntur, idque necessaria quadam consequentia; vna quippe eademque meditatio est & bene viuendi & bene moriendi.

3. Cinis etiam ambabus commune est symbolum ac nota. Exemplo sunt Abraham, Iudith, Esther, Iob, Dauid, filiæ Ierusalem, Achab, Niniuitæ.

4. 5. 6. Germanicus veneni haustu cùm esset exstinctus, cor eius busto ac rogo exequiali confici non potuit: quos mortis cogitatio redigere in pœnitentiæ cineres nequit, pestilenti peccati veneno infecti sunt, cùm Salamandrarum adinstar frigidi permaneant, atque, vt pyraustæ, diuini amoris, à quo ad pietatem & resipiscentiam vocantur, flammis insuperabiles & impenetrabiles. *Suetõ. in Caio c. 1.*

7. Veteri lege sancitum erat, vt tripodes ac lebetes ad cineres sacros excipiendos destinati mũdissimi forent: pœnitentia quidam lebes ac tripus est, *Exod 27.*

tribus

tribus suis partibus integrantibus constans, ad vtilitaté è sacris hisce cineribus capiẽdam peridoneus.

8. Nunquam finẽ cũ Geometris inueniremus, si omnes, quas sacri hi cineres suggerunt, comparationes & paralleba singillatim prosequi vellemus; vtpote qui non minùs conceptibus pleni sunt, quàm illi, quos in ventum Moses sparsit, vt ex iis
Exod. 8.
nati sciniphes vniuersam AEgypti superficiem replerent, sunt siquidem Cadmæi dentes ad viuos compunctionis effectus producẽdos percommodi.

X. 1. Nos igitur diuini amoris flammæ ad salutares hos pœnitentiæ cineres inducant; nam hæc spiritualis quædam peccato mors est.

2. Generosam illam aquilam imitemur, quæ Plinio teste, in suæ rogum altricis & educatricis se vltrò iniecit flammis absumendam. Si enim *cõregnare*, & eadem cum Redemptore Iesu gloria potiri voluerimus, cum ipso etiam mori simul & sustinere crucem oportet. Vtinam verò ea nostra foret generositas, vt præ pio compassionis affectu ad crucem eius in glorioso inquam sanctæ eiusdem passionis busto compatiendo emoreremur!
Lib. 10. c. 5.
2. Tim. 2.

3. Romani, vt scriptis Herodianus prodidit, suos olim Imperatores vita functos, pyra ex aromaticis & odoriferis constructa lignis cremabant, & apotheosin celebrantes, animas se ipsorum ad semideûm & heroum habitacula ramosis odoratarum harum arborum alis subuehere, & honoribus hisce funeralibus cineres ipsorum immortalitati commendare opinabantur. Quidni ergo nostras nos ad eumdem modum in aromaticis passionis Dominicæ insignibus, amore Redemptoris flammescentibus animas exhalamus? O felix rogus! Sed quæ ingratitudo nostra est, Mausolæum huiusmodi non promeremur; ergo saltem ceu noui phœnices (vt in ea, à qua auspicati sumus, homiliam hanc comparatione orbe circumacto claudamus) odoriferarum ligna virtutum coaceruantes, in cinerum nostrorum consideratione emoriamur absumpti, atque ita in
In Commodo.

tumulo

tumulo noſtra conſtituentes incunabula, ſancto hoc pœnitentiæ tempore ad meliorem vitam renaſcamur.

Oſtendimus itaque, cariſsimi, 1. cinerem contra omnia eſſe mala remedium, & imprimis 2. contra inflationem ſuperbiæ, 3. vlcera inuidiæ, 4. inflammationes choleræ & iracundiæ, 5. lethargum acediæ, 6. cruditates ingluuiei, 7. putredinem luxuriæ, 8. denique hydropicos auaritiæ tumores, 9. per pœnitentiam poſſe nos diuini amoris flammas reaccendere, 10. amoris inquam, qui vnicus ſaluberrimorum & ſanctiſsimorum affectuum noſtrorum eſt ſcopus.

FERIA V. POST CINERES.

De humilitate.

HOMILIA II.

Domine non ſum dignus, Matth. 8.

TRIGONI vitri diaphania eaſdē viſui noſtro colorum varietates repræſentat, quæ iridem condecorant: & Euangelium, quod de Centurione Eccleſia hodierna nobis die proponit, illuſtria trium virtutum, fidei nimirum, charitatis, & humilitatis, quæ mirum in modum effulgent, ornamenta ac ſplendores continet. Verùm enim verò vt in magno colorum diuerſitate oculus in vnum ſingulari quadam ratione fertur, quem præ ceteris videatur complecti; ſic & conſideratio noſtra in poſtremam illam, ſed primariam virtutem, humilitatem ſcilicet, libentius videtur ferri, vtpote miſeriæ noſtræ conuenientiorem. De hac hodie agemus, & cœleſti afflante numine, videre & oſtendere conabimur, 1. qualis ipſa ſit, 2. quæ eius ſit pulchritudo, 3. quæ eiuſdem bonitas, 4. quæ falſæ, 5. quæ veræ ſigna, 6. quæ margaritæ huius Euangelicæ comparandæ ratio.

dæ ratio. Incipio itaque.

I. 1. S. Bernardo præeunte, humilitatem dico, *propriæ esse excellentiæ contemptum*, & *sinceram abiectionis nostræ ac vilitatis agnitionem*. Definitio hæc bimembris est, & duas complectitur partes: prima ostenditur quid non sit; altera verò quid sit. Sic teste poëta, *virtus est vitium fugere*.

Epist. 48. & Tract. de grad. humil.

Horat. Epist. lib. 1.

2. Vnâ parte superbiam ipsa prosternit, alterâ in vilitate se sua abscondit, & in fimo volutatur abiecta, quò fructum abundantiorem ferat.

3. Israëlitis persimlis, vnâ pugnantibus manu, alterâ muros dirutos reædificantibus.

4. Duos illa oculos habet: vno malum cernit, & fugit; altero bonum, quod amplectitur. *vno horum oculorum* animæ humilis sponsus vulneratum se sentit; quid erit, si vtrumque ipsa aperuerit? Non exspectes tunc aliud, quàm inflammationes, ardores, & mentis raptus. hinc & verbum *vulnerasti* Paraphrastes transtulit, *auulsisti cor meum*. Vnum mundo occludit, alterum dilecto recludit, sufficere sibi rata, si sponsus suus absconditus solus arcana sua contempletur.

Cantic. 4.

5. *Murænulas*, inquit sanctus ille sponsus, *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: atque ita ad litteram transferendum videtur: alii tamen legunt *tænias*, & *fascias*; alii verò, & quidem meliùs, *inaures*; vel potiùs, annulos retortos auribus inferendos, eosque argento vermiculatos. ars noua: quis enim vnquã vidit aurũ argento tegi? Docere hic Spiritus sanctus vult, vanitates, vel, si sanctiùs accipere voluerimus, charitatis aurum humilitate contegendum esse.

Cantic. 1.

6. *Tigna domorum nostrarum*, ait sancta illa amans, sunt *cedrina, laquearia nostra cypreßina* nemini non notissimum est, cedrum cupresso ferali nulliusque odoris pretiosiorem esse: includit tamen alium phrasis hæc & parem conceptum; quo doceamur, dotes & excellentiam omnem Nihili pallio esse tegendam.

Cantic. 1.

7. Cortex

7. Cortex arborem conseruat, & vitâ frondium nutrit, at ipsa florum elegantia, fructuum succus, & ipsi etiam fructus sub ipsis frondibus conseruantur; si verò adhuc immaturi decidui sunt, sub sarmentis & stramine maturescunt. Denotant hæc omnia, humilitatem reliquarum esse virtutum tutricem & conseruatricem.

8. Easdem etiam ipsa congregat & fouet, & velut gallina sub alis pullos complectitur.

9. Figuratur ipsa per tabernaculi cortinas & vela, per *tabernacula cedar*, & *pelles Salomonis*: foris quidem deformis, introrsum pulchra, quæque mille interius thesauros, cymelia, multa pretiosa ac sancta complectitur. *Cant. 1.*

II.

1. Si ipsa deformis sit in se, qui de eiusdem loqui pulchritudine meditamur? quomodo de ipsius excellentia, si ipsa *omnis* sit *excellentiæ neglectus*? sanè non minùs idcirco in effectu suo pulchra est, tametsi exteriori specie aliud præferre videatur.

2. *Nolite me* (inquit Sponsa illa sancta, cuius humilitas Altissimo summoperè placuit) *considerare, quòd fusca sim*, neque enim propterea pulchra esse desino: *& respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, vt magna & eximia in ipsa operaretur. *Cantic. 1.* *Luc. 2.*

3. Viola humilis & obscura suauiorem gratioremque exhalat odorem, quàm multi coloris præstantioris flores.

4. Humilitas est Dianæ illius Chiensis simulacro, quod & arridere & lacrymari eodem inspectantibus tempore videbatur, persimilis; nec non gemmæ illi, quam vulgò Esclandratam vocant, quæ foris quidem squalida & pinguis, sed introrsum micantissima est. *Plin. l. 36. c. 5.*

5. Ascititius & elegans fulgor, simul & putredo, eam condecorant, sicut & prisco ab æuo transmissas antiquitates; quas etiam ob adhærentem rubiginem ac sordes magnifieri cernimus.

6. Arcæ ferratæ & turpiculæ thesauros solent continere, non tecæ aut pyxides auratæ.

7. Lectu-

Cant. 1. 7. *Lectulus noster floridus est*, inquit in Canticis Sponsa, alia lectio præfert, *obscurus* est & *condensus*. Humilitas, molliculus ille Sponsi lectulus, non idcirco florida esse desinit, tametsi obscura sit, aut vix appareat. *In tenebris*, ait Iob, *straui lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es; Mater mea, & Soror mea vermibus*: quæ verba ab extrema quadam humiliatione sui profecta sunt.

Iob 17.

Cantic. 1 8. *Ecce tu pulchra es*, inquit Sponsus, puræ animæ perfectionibus enumeratis, quæ mox illi respondet, *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus*, perinde ac si illi diceret: A te, vnice oculorum meorum Sol, ipsa veluti Luna, omnem quemcumque habeo splendorem ac lumen mutuor, neque enim cum humilitate pugnat, illas agnoscere in nobis gratias, quas munifica Dei dextera in nos effudit.

Psal. 130. 9. *Domine*, canit regius vates, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matre sua*, à qua omnis illius vita dependet, sic quodcumque in me bonum est, à te, pro te, per te, propter te est.

10. Stellæ summi cæli nũquam lucis deliquium patiuntur, & tametsi Lunâ multò sint maiores, eâ tamen longè minores videntur: sic quò humiles abiectiores ac demissiores esse apparent, eò sunt sublimiores, ac diuinæ gratiæ nunquam defectum patiuntur.

11. Virtus hæc ceu punctum est Geometrarum, quod cùm in se nihil sit, omnium tamen est fundamentum.

12. Ipsa principium est, circa quod omnis boni ac mali scientia versatur.

Plin. lib. 37. c. 1. lib. 36. c. 5. 13. Parua etiam suas habent dotes & excellentias. Pyrrhi Regis Achates, qui tantillo spatio tot hominum corpora continebat; nauis item Myrmecidis, quam suis musca alis inumbrabat, non minùs laudem merentur, quàm qui ex Atho monte non-

nisi

nisi vnum formare Alexandrum vellet.

14. *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici*; ait sponsus; huius porrò cortex turpiculus est, sed coronatus: sic & excellentia abiectionis humilitatis nostræ. *absque occultis* tuis, granis scilicet, instar pyropi rutilantibus. Symbolum hæc sunt charitatis, quæ sub vilitatis pallio delitescere gaudet. *Cant. 6.*

15. Denique, quemadmodum rhetor ille Græcus omnes eloquentiæ partes ad vná referebat actionem & pronuntiationem: sic vni humilitati multò potiori iure vniuersas perfectionis Christianæ partes asscribere possumus. *August. Epist. 56.*

III.

1. Verùm quid de vtilitatibus, eam bonam efficientibus, dicemus? non aliud, quàm summatim, quod ædificio fundamentum, arbori radix, corpori pes, statuæ basis, accidenti substantia, formæ materia, superstructioni fulcimen est, hoc in virtutum cumulo vnicam humilitatem esse.

2. Ipsa, ager adeò ferax & vber, teste è sanctis Ecclesiæ Patribus nonnemine, vt centesimum fructum reddat. *S. Bernard. lib. 2. de consid.*

3. Ipsa, *pomum conuallium*, quod in Cantico suo sponsa tantoperè deprædicat, nonnisi humili loco enasci solitum. *Cantic. 6.*

4. Terra, mundi centrum, humilitatis imago, nihili centrum, omnium est elementorum fœcundissima, animantium nutrix, & cuius è gremio alimenta omnia prodeunt, ipsa plinthus, fulcrum, ac velut anterides totius vniuersi. Eadem de humilitate, omnium perfectionum microcosmi animam exornantium fonte dicito.

5. 6. Ipsa fermentum est massæ virtutum, ipsa lapis philosophicus, plumbum infidelitatis Centurionis nostri in aurum conuertens: ipsa per cognitionem eius quid sit homo, ad Dei ipsum cognitionem perduxit.

7. Ipsa granum sinapis, cuius Euangelium meminit, quod breuissimo temporis spatio è tantillo in tantum excrescit, & quod comminutum & contu- *Matth. 13.*

 sum tan-

ſum tantas exerit vires.

8. Ipſa rudis inornatuſque eſt pannus, ſed ad gē-
marum, auri, ſegmentorumque phrygionicorū or-
natum accipiendum peridoneus, & ad virtutum, in
obſcuro eius colore magis effulgentium, decus il-
luſtrandum propria.

Matth.7. 9. Ipſa cæli oſtiaria: quò vt nos introducat, ſe-
demque ibidem ſtabiliamus, *per anguſtam portam*
intremus, ac proinde nos ſubmittamus neceſſe eſt:
neque enim alium in cæleſtibus locum aut ordinem
obtinebimus, quàm quem eius nobis ope in terra
præparauerimus.

10. Ipſa fax eſt emortua, ſed adhuc fumigans, quæ
diuinam ad ſe flammam attrahit. Deipara Virgo
Luc. 1. mox vt dixit, *Ecce ancilla Domini*; illico Verbum, qui
Exod. 3. *ignis conſumens* eſt, illius in vterum deſcendit, non
Iudic. 6 ſecùs ac olim ignis in rubum Moſis, & ros in vellus
Cantic.3. Gedeonis.

11. Ipſa etiam *virgula* illa *fumi, adſcendens
de deſerto, ex aromatibus vniuerſi pulueris pigmentarij*
compoſita: ita omnis humilis per hunc humilitatis
fumum gratiam Dei ad ſe attrahit, ſicut Virgo ip-
ſum gratiæ auctorem in ſe deuocauit.

Iſai. 42. 12. 13. Ipſa *linum fumigans*, quod à *Domino non ex-
ſtinguitur*, ſed eiuſdem amore accenditur, ac fauori-
3 Reg.21. bus accumulatur. *Nonne vidiſti*, dicebat ipſe Eliæ,
humiliatum Achab coram me? quomodo ergo in il-
Ionæ 3. lum animaduerterem? Niniuitæ ſe humiliant, &
ecce, clamantes ad Dominum exaudiuntur. *Reſpicit*
enim *in orationem humilium. & deprecationem ipſo-
rum* nunquam *deſpicit*. Quænam ergo vtilitas ma-
ior, quàm huius adminiculo virtutis omne bono-
rum genus in ſeſe attrahere, & cælum terræ ſum-
mittere?

Luc. 14. 14. Quicumque per eam infra ſuum ſe locum & or-
dinem demittit, hanc ilico vocem audit, *Amice aſ-
cende ſuperiùs*: nā *erūt nouiſſimi* in terra, *primi* in cælo.

15. Sine humilitate ceteræ virtutes collabaſcunt,
ait de ſanctis Patribus quidam occaſione quinque
fatua-

fatuarum virginum, quibus, quod humilitate de- Matth.
ſtitutæ eſſent, virginitas nihil penitus ad ſalutem 25.
profuit.

1. Verùm quo bonam humilitatem à falſis & deceptricibus humilitatibꝰ ſigno diſcernemus? eodem quo aurum; è ſono ſcilicet; ſi enim acutùm id ſonet, & tinniat, pluſquam par ſit, falſum & adulterinũ eſt; ſin obſcurum det ſonum & fractum, ſincerum eſt ac genuinum. Sunt quippe humilitates, quæ occultè nonniſi ad vanitatem per mendax quoddam oſtium proſerpunt, idque eò faciliùs, quò id agitur occultiùs ac fictiùs. IV.

2. Hypocritæ hi ad templi Salomonici pinnaculum per gradum quemdam anguſtum, cochleæ in modum tortilem & obliquum proſerpunt; per fictam demiſsionem ſcilicet & obliquos agendi anfractus rectà ad ambitionem aſpirantes. 3 Reg. 6.

3. 4. 5. 6. 7. Sunt heliotropia, ſunt vt arbores illæ in inſula Thylo enaſci ſolitæ, nonniſi ad humani intuitus ſolem folia recludẽtes: ſunt & parietes dealbati, fana AEgyptia, ſinuoſi torrentes varijs in oceanum ſuum mæandris ludendo ſe exonerantes.

8. Accipiter circum columbam gyrando continenter volitat, cumque is ab eadem recedere putatur longiùs, tùm derepentè vno in illam incitu irruit, eam dilaceraturus: ſic multi gloriam tùm aucupantur, cùm ab eadem ſe penitus abhorrere fingunt.

9. Spontè dataque operâ vmbram hanc fugitant, vt illos eadem deinde perſequatur.

10. Michol ſtatuæ cuidam Dauidis veſtes adaptauit, atque hoc pacto percuſſores à Saule immiſſos decepit: non quotquot prima humilitatem fronte præferunt, eam ſemper animo incluſam tenent. 1. Reg. 19.

11. 12. Perſpicere eos totos & in cute vultis? indicio ſũt affectatæ illæ per ſpeciẽ cõpoſitionis & elegãtiæ de humilitate ſentẽtiolæ: ſunt quippe hæ, velut iacula ad corda trãſadigẽda exacutæ, atq; Galateæ inſtar,

de qua magnus Poëta, poma iaciunt & fugiunt, videri volentes dum latent.

13. 14. 15. 16. Saltatores sunt, qui retro primùm cedunt, quò saliant longiùs; tripudiatores terram ferientes, quò se efferant sublimiùs; pilæ solum tangentes, quò resultent altiùs; sagittarij arcum ad se tendentes, quò iaculum euibrent remotiùs: impostores, qui ob hunc byssinum ornatum omnium fauorem captant, quique per apertas has incisuras fastuosum fundi animarũ suarũ decorem ostentant.

V. 1. E contra vera humilitas amat silentium, prodire in lucem detrectat, solitudinem quærit, apparere metuit, & si simulare auderet, simularet, quò lateret.

Apoc. 2. *Sap. 16.* 2. Ipsa est *manna absconditum*, quod eo quo decet modo collectum, infinitos sapores continet & suauitates.

3. Ipsa Margarita est, conchæ inclusa, inque locis abditis enascens, ac quæ nonnisi rore cælesti, non verò marinis fluctibus pascitur.

Valer. lib. 7. c. 3. Liuius lib. 1. 4. Ipsa excauatus ille baculus auro repletus, quem Brutus stultitiam mentitus Apollini Delphico obtulit.

5. Ipsa granum frumenti, quod fructum non affert, nisi iam putrefactum & in terræ visceribus emortuum.

Exod. 14. 6. Ipsa est columna illa in speciem ignis Israëlitas in nocte ac tenebris internorum, ac nubis, in die externorum deducens.

7. Ne scripta recenter scriptura deleatur, arenâ inspersâ cooperiri solet, ad impediendum verò, ne opus nostrum bonum à maligno eradatur, & commaculetur, humilitatis id tegmine cooperiendum.

Iob 14. 8. Sic Iob in *omnibus operibus suis*, etiam rectis, Deum eiusque iudicium *verebatur*; probè sciens, etiam opera quæcumque lucis à nobis facta, ad diuinæ iustitiæ splendorem solemque exposita, tenebrosa videri.

9. Et, veluti stellæ ad solis exortum, euanescere.

10. 11. Ceruus cornua, dum decidunt, abscondit, eò quòd

eò quòd pretiosa sint; feræ siluestres spelæa sua & cunabula, quàm possunt maximè esse volunt abscondita: sic thesauros nos nostros spirituales humilitate tegere, non verò, Ezechiæ exemplo, eosdem prodere oportet, ne propalando eos amittamus. 4. Reg. 20.

12. S. Bernardus cilicium gestare cognitus, ipsum ad tempus deposuit.

13. Spirituales & ascetici magistri, qui veluti sagaces venatores, illustre hoc animæ ornamentum indagant & consectantur, alia insuper notant humilitatis signa; qualia sunt 1. sæpè peccatorum confessionem instituere; 2. iniurias illatas nec quidem verbo vindicare; 3. vilissima quæque munia libenter exercere; 4. oculos in terram deijcere; 5. ex animo delinquentibus ignoscere; 6. sibi ipsi diffidere, ad hæc, plurimas alias occulti huius luminis scintillas.

VI.

1. Quid verò profuerit appetitum virtutis huius excitasse, si eius acquirendæ rationes nullas aut modos producamus? nisi fortè Tantali more, sola inanitate pasci nobis sufficiat?

2. Hoc primum eius acquirendæ medium amplectere, vt scilicet nihilum tuum recogites, vnde venisti, & in quo es, & in quod redis: *substantia nostra merum nihilum est*, & *omnis homo viuens vanitas* quædam vniuersalis. Psal. 38

3. Cogita, oculos perspicaces, quales fuisse Tiberij dicuntur, in obscuris illis nihilitatis tenebris acutùm cernere. fierine potest, vt, quod reuera nihil est, aliquid esse velit? intra centrum te tuum homo contine. Sueton. Tiber. c. 68.

4. Oculi introrsum acti eminus posita conspicantur; ita tu sublimia è profundo humilitatis puteo videbis.

5. Secundum præceptum sit, vt agnoscas malum, quo premeris, verè tuum; & bonum purè Dei esse: ipse namque nonnisi depositarius es, apud quē Principis thesaurus depositus est. Turpe foret & indecens regium quæstorem regiâ pecuniâ ditescere, & ali-

1. Cor. 4. & aliquem alienis diuitijs insolescere. Nihil ipse *habes, quod non accepisti: si autem accepisti* aliunde, *quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Plutarch. 6. Tertiò, late, & obscurus viue. Egregium hoc præceptum est, quod & Ethnici in vitæ rectè instituendæ rationibus vt primum maximeque necessarium agnouere.

7. Si ornatus & egregiè vestitus per iter incedis, Matth. 17. latrones ad te despoliandum incitas & inuitas. Redemptor Iesus, vt se transfiguraret, absconditse & obumbrauit.

8. Dei tibi fauentem reddere misericordiam desideras, & inuitare? mendicorum ritu miseriarum tuarum illi plagas ostende. Publicanus hoc faciendo, Luc. 18. Pharisæo iustior templo exiuit.

Psal. 118. 9. Quartò, *auerte oculos* tuos, *ne videant vanitatem*, & allicientibus illis præsumptionis & amoris proprij Sirenibus aures occlude; & ita his humilitatem Plin. lib. 10. c. 3. obijce, vti aëtitem gemmam serpenti letiferam aquila in nido collocat, quò fœtum tueatur.

10. 11. Quintò, imitare eum, qui tibi iam olim di- Matth. 11 xit, *Disce à me, quia mitis sum, & humilis corde*; (hinc Cantic. 2 & se *lilium conuallium* nuncupat) qui cùm omnibus Philip. 2. esset maior & dignior, *exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem crucis.*

12. Huius igitur eximiæ virtutis trabea, carissimi, velut summi Pontificis tunica nos induamus, coro- Exod. 28. nata nimirum propriæ excellentiæ malogranata, & tinnientia vanæ gloriæ tintinnabula pedibus subijcientes.

13. Notemus etiam, quidquid hactenus de humilitate diximus, in aureis illis Centurionis verbis, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, velut radios quosdam solares in speculo concauo iunctim contineri. Videte enim eum, magna potestate donatum, dignitatem suam penitus negligere, & indignitatem è contrà agnoscere: quomodo item se abijciendo extollat, & abiectionem propriam agnoscendo, animæ pulchritudinem declaret suæ.

Humi-

Humilitatem hanc in causa esse, eius vt postulatis Redemptor annuat, & quidem addito elogio honorifico.

In nihilo se suo abscondit, & sui vilitate ob oculos posita, indignum se censet, qui à tanto Domino domi visitetur.

Fatetur *vnum* Redemptoris *verbum* posse omnia, Illustris sanè & eximia est hæc fides, omnium in Israele maxima viuæ vocis Dominicæ oraculo iudicata.

Quàm magna etiam in seruum ægrum charitas comitabatur, & cui vicissim ipsa Redemptoris sanitati eum restituentis charitas respondebat. Mirabilia hæc admiremur; sed admiratio ipsa otiosa non maneat, sed ad imitandum nos animet. Si plura de hac virtute, quam modò sum prosecutus, scire est animus, locum ad marginem citatum consulite, & multis homilijs habendis sufficientem materiam illo loco reperietis. *Lib. 17. diuersitatum cap. 1.*

FERIA VI. POST CINERES.

De fuga hæreticorum.

HOMILIA III.

Diligite inimicos vestros, Matth. 5.

MAGNES ferrum attrahit, nisi allio fortè id illitum sit, & succinum omnigenas paleas, exceptis dumtaxat ijs, quas dracunculus herba dat. Sic cordis nostri amor indifferenter sine vllo discrimine, omnibus applicari, & velut Arca Noe omnigena animalia tam munda quàm immunda complexa est; sic erga amicos iuxtà & inimicos promiscuè debet ferri. Hoc hodierno docemur Euangelio, in quo legimus, *Diligite inimicos vestros*, inimicos inquam vestros, sed non Dei, quales sunt, *Gen. 7.*

qui infidelitatis, apostaseos, hæreseos allio & dracũculo inquinati & tacti sunt. Hoc hodierna adhortatione declaraturi sumus, ostendendo 1. hæreticos *perfecto odio* prosequi licere, & 2. eosdem fugere nos teneri, si modò fidem puram perfectamque conseruare voluerimus. Initium ducamus.

I. 1. Cùm absoluta auctoritate, quæ in his verbis, *Ego autem*, elucet, Redemptor præcipit, vt inimicos nostros diligeremus, non dixit, *Diligite inimicos meos*. Ecquis enim bonæ indolis filius patris sui cœlestis aduersarios, & iuratos Ecclesiæ matris nostræ cœlico-terrestris inimicos amare queat? Atque hic essentialis est, quod inter nostros & Dei inimicos intercedit discriminis, nodus: neque enim minor nobis incumbit horum fugiendorum & odio prosequendorum, quàm illorum diligendorum & quærendorum obligatio, si modò *Patris* nostri *esse filij*, & illius adinstar *perfecti* velimus.

2. Ceterum, quoniam regionis ratione, longo locorum interuallo ab Turcis, Ethnicis alijsque infidelibus disiuncti sumus, in hæreticos stylum nostrũ conuertamus, qui veluti zizania inter nos mixtim sunt ad vsque magnæ messis diem seminata; & primò auctoritatibus testimoniorum, deinde rationibus ad oculum ostendamus, esse nobis licitum eos odisse, quin imò sæpiùs, vt eosdem fugeremus, tum auctoritate, tum ratione nobis mandatum.

Sap. 14. Psal. 7. 3. An non scriptum est, *odio fore Deo impium & impietatem eius?* Domine, an non *odisti omnes, qui operantur iniquitatem?* An non apertè vates ait, *odio*

Psal. 118. *habuisse se iniquos*, eò quòd legem diuinam ipsi oderint? An non *perfecto* eos *odio* se prosequi testatur, &

Psal. 138. cane peiùs & angue detestari? An non rursus declarat, *in matutino se omnes peccatores terræ interfecisse, vt de ciuitate Domini* exterminarentur *omnes, qui operabantur iniquitatem*? An non denique asserit, *Zelo* se

Psal. 118. aduersus *Dei inimicos tabescere*?

Exod. 23. 4. 5. 6. An non Deus ipse populo suo significat, *Inimicũ* fore se *inimicis* suis, idololatris inquã, ad eum ad eorum

ad eorum destructionem inuitandum? An non etiam *Exod. 34.*
auxiliaturum ei se promittit ad euertendum Amorrhæum, Hethæum, Pheresæum, Chananæum, Heuæum, Iebusæum? An non Israëlitis seuerè connu- *Deut. 7.*
bia cum alienigenis interdixit?

7. 8. Quàm vniuersale Amalecitarum excidium *1. Reg. 15.*
Sauli indixit? quomodo Achanis, qui pauxillum *Ios 7.*
dumtaxat è præda Hierichũtina sibi reseruarat, peccatum eum exacerbauit?

9. Quantopere est ob fœdus cum Gabaonitis ini- *Iosue 9.*
tum, tametsi astu ac subdolè à Iosue extortum, indignatus?

10. Ergo *exurge Domine in præcepto quod mandasti, &* *Psal. 7.*
Synagoga populorum circundabit te. Quomodo inquam verisimile sit, velle te, vt hæreticos mortales inimicos tuos amaremus, cùm eos summo ipse odio prosequaris? si omnes adeò homines in te diligere nos oportet, quo eos diligemus modo, qui in te non sunt, sed veri *diaboli filij* quique te in *patrem habere non possunt*, cùm *Ecclesiam* sponsam illam tuam *non habeant vt matrem*?

11. *Quæ*, obsecro, *societas luci ad tenebras*, aut *quæ* 11.
conuentio Christi ad Belial? *2 Cor. 6.*

12. Qui terrenorum regulis subijcere & adaptare cælestia moliuntur, ignorant sanè, nihil omnino terram sine cœlesti influxu posse: quod qui fecerit, ille & sine stella Boreali, & aduerso prorsus vento & æstu nauigationem instituere conabitur.

13. Ille & ignẽ aquæ, oues lupis associabit, & fidei capita inter se directè contraria inter se conciliabit.

Odisse placuit: ignibus iunges aquas antè,
Quàm eadem inter se vnijueris.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit, *Horat.*
tanta nostra *discordia est.* Diuisionis chaos nimis vastum & nimis à se mutuo dissitum est, vt hæ duæ extremitates inter se aptè coniungantur.

14. Viri planè Catholici sententia ac protestatio eadem omnino sit oportet cum illa, quam Hannibalem filium ad aras iurare fecit Asdrubal, nunquã

vt quoad viueret, cum Romanis fœdus iniret; erat enim ipse è furibundæ illius reginæ cineribus exortus, quæ præ ira rabiens imprecando aiebat,

Æneid. 4 *Exoriare aliquis nostris ex oßibus vltor,*
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.

Sic qua iungi amicitia aut familiaritate poterunt, quibus nulla mutuò est in hoc sæculo, nec in altero esse potest communicatio?

15. Eteoclis & Polynicis corpora eodem cremari rogo non potuêre, nec Ismaël & Isaac eadem in
Gen. 21 domo agere; Esau & Iacob etiam in vtero mater-
Gen. 25 no inter se colluctabantur, quod futuræ illorum dissensionis & diuisionis fuit præsagium.

16. Fides è lupinis intestinis concinnatæ symphonicè adaptari ad fides alias ex ouinis intestinis contortas non queunt.

17. Nec voratricis aquilæ plumæ cum aliarum auium pennis vnquam associantur, aut se mutuò ferunt.

18. An non etiam quotidianâ experientiâ constat, nullum auibus de die volare solitis esse cum noctiuagis commercium, & his illas esse inimicas?

Virgil. 4. Georg. 19. Apes *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Quid nobis de his qui foris sunt? Foris canes.* Dicere nos alioquin cum Poëta oporteret:

Virgil. Eclog. 8. *Iungentur iam gryphes equis, æuoque sequenti*
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Permistionem hanc hæreticorum cum Catholicis tolerare possumus, sed non approbare: permittit quidem malum Deus, sed ipsum planè non vult.

Psal. 71. 20. Firmamentum Ecclesiæ (*erit firmamentum in*
Gen. 2. *terra in summis montium*) *aquas ab aquis diuidit*, supercælestes scilicet veritatis à terrestribus menda-
Ioan. 4. ciis; *fontes viuos salientes in vitam æternam*, & immortalitatem ab *aquis* putidis *cisternarum dißipatarum* erroris.

Ioan. 4. 21. *Non coutuntur Iudæi Samaritanis.* Hinc mirabatur hæc mulier, quo modo Redemptor, vtpote Iudæus,

dæus, à se Samaritana potum petat.

Odium hoc etiam expresse præcipi nobis, iam ostendamus.

22. Ioannes dilectus Domini discipulus strictissimè inhibet, Ne *ei, qui non permanet in doctrina Christi*, atque aliter quàm oportet credit, *aue dicamus* ne *operibus eius malignis communicemus*. & Timotheo suo sic scribit Paulus: *Profana & vaniloquia deuita: multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit*. Quod Vincentius Lirinensis de colloquijs cum hæreticis intelligi vult: *Exita*, inquit, *eos, vt viperas scorpios, basiliscos: vt qui ne in conspectum quidem admittendi, nec ad ipsos vllatenus accedendum. profani quippe sunt, & extra Dei templum constituti*. *Vide lib. 30. diuersitat. c. 1. Ioan. Epist. 2. 2. Tim. 2. Aduers. profan. hæres. nouit.*

III. 1. Odio huic ita annexa est fuga, vti è principio præmisso consequentia necessario sequitur. Hæc etiam è sacris voluminibus eruitur & præcipitur: *Hæreticum hominem*, inquit Apostolus, *post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus*. In quæ sic scribit D. Hieronymus: *Si peccatores infames, vt adulteri, homicidæ, fornicarij, fugimus, eò quòd Ecclesia eiusmodi detestatur, quanto potiori iure illi fugiendi sunt, qui seipsos ab Ecclesia sequestrant?* *Tit. 3.*

2. Cyprianus: *Declinemus fortiter, & euitemus fratres verba & colloquia eorum, nulla cum talibus commercia, nulla cõmunia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quàm sunt ab Ecclesia profugi*. *Epist. ad Cornel. lib. 1. Ep. 3.*

3. S. Augustinus: *Fugite hæreticos, ne fortè paruulos & infirmos circumueniant*. *Epist. 62.*

4. *Declinate colloquia ipsorum viperina: nihil cum ipsis vobis commune sit; neque enim præter damnum vobis inde potest accedere*; ait S. Leo. *Serm. de passion. Domini.*

5. Notissima sunt exempla sancti Ioannis, eiusque discipuli sancti Polycarpi martyris. *Irenæus lib. 3. c. 3. Euseb. lib. 4. hist. c. 13.*

6. S. An-

S. Athanas. in vita. 6. S. Antonius Eremita sui temporis hæreticos nullo vnquam est verbo blandiori dignatus; & fratribus suis moriens testamento sui in illos odij exẽplum legauit, simul & Arianorum fugam singulari quadam ratione ijs suasit.

Lib. contra Auxentium. 7. S. Hilarius tot se videre asserebat cacodæmonas, quot videret Arianos.

Lib. 1. in Pelag. 8. S. Hieronymus, acerrimus ipsorũ hostis, in nulla se re vnquam ijs pepercisse gloriatur, sed illos semper vt inimicos habuisse, quos inimicos habebat Ecclesia. Quin & quadam in epistola S. Augustino gratulatur, quòd laboribus in se suis hæreticorum odium prouocasset.

9. Extrauagante *Ad evitãda* sub pœna excommunicationis cuilibet indicitur, ne cum notoriè excõmunicatis vllo pacto cõmunicet; cuiusmodi haud-dubiè sunt hæretici manifesti, & vt tales cogniti.

IV. 1. Scio Doctores omnes (vt ab auctoritatibus & exemplis ad rationes deueniamus) distinguere loca, & ab rigido hoc præcepto excipere eos, qui propter necessitatem legis, vel potius legem necessitatis, aliter facere nequeunt.

2. Sed vellem hanc ab eis commodè necessitatem distingui, & diuidi in *absolutam* & *decentem*: vti enim eos à censura immunes crederem, qui absoluta necessitate coacti cum hæreticis conuersantur; sic nec illos omni vacare culpâ crederem, qui ab decentiæ & conuenientiæ respectu ne latum quidem vnguem discederent, quò ab illorum se conuersatione sequestrent, quando nimirum ea nullo modo necessaria est.

3. Tantopere in via aliqua lutulenta declinanda laboramus, ne fortè vestes cæno occurrenti commaculemus: & graue ducemus, aliquem velut circuitum facere, aut paululùm de via discedere, vt aures ab immunditia, quam è noxio cum hæreticis commercio contrahimus, puras integrasque conseruemus?

4. In fuga scilicet, non in aperto cum ipsis certamine

mine sita victoria est: superiores nempe erimus, si Parthorum more retrocedamus & fugiamus.

5. Daphne impudicos Apollinis fugitans amplexus, in laurum transijt, victoriæ ac triumpho destinatam arborem. *Ouid. 1. Metamorp.*

6. Lex, qua iubemur eos nobis permixtos tolerare, simul non præcipit, vt cum ijs familiariter agamus; quin potiùs commonet, ne vel *verbo per viam* eos salutauerimus. Sinit illa sui eos in erroris libertate viuere, non tamen nos illa vetat in seueritate rigoris nostri viuere. Neque enim vmquam Superiores ac Prælati Ecclesiastici suæ potestatis tela aduersus Ecclesiæ canones, eosdem oppugnaturi detorserunt.

7. Imitemur Rhodanũ, qui eo in lacum Lemannũ se impetu exonerat, vt suam tamen aquam palustri non commisceat. fluamus ergo leniter, *exspectantes beatam* tam optatæ tot Errantium conuersionis & vnionis nobiscum *spem*; dantes simul operam, ne tetra illorum nos inficiat contagio. *Tit. 2.*

8. Adinstar Alphæi fluuij, qui in salso mari Peloponnesiaco, quod influit, dulcorẽ aquarum retinet. *Plinius lib. 2. c. 103.*

9. Ventorum & æstus impetum sequamur, atque ad exemplum nauigantis fugiamus, nos tamen loco non mouentes.

10. Quid? nosipsos fugere ipsi possumus vel quærere, nec propterea nostram compositionem destruere, cur verò non cum alijs viuere, nullum tamẽ habere commercium poterimus? & *hoc mundo vti tamquam nõ vtentes? præterit enim figura mũdi huius.* *1. Cor. 7.*

11. Quid? excogitata est etiam mellis à cera diuidendi ratio, sine vlla tamen alterutrius destructione, quin imò *pretiosi à vili*, frumenti à palea secernendi, etiam vini iam aquæ immisti, nihil vt alterutrius pereat. An non prudens ille paterfamilias *zizania crescere sinit ad vsque tempus messis?* Verùm priusquam panem pinsat, vannus alterum ab altero separabit. *Ierem. 15. Matth. 13.*

12. Panis, quo pascimur, varius est; *& nos altare habemus,*

Hebr. 13. *habemus, de quo edere potestatem non habent, qui altaris* & Synagogæ *deseruiunt.*

13. Animalia tam quadrupedia ; quàm volatilia nonnisi cum sui similibus volitare & sociari solent, non propterea terra aut aër commune omnium esse habitaculum definit. Quisque sibi similes quærere debet ; nec alijs associari ; quàm qui eiusdem secum sunt fidei.

Cant. 5. 14. *Oculi tui*, ait dilectæ suæ Sponsus ; *sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Placidum illud, purum & meticulosum animal aquarum fluentis delectatur, vt conspectum in ijs eminus accipitrem, sibi insidias struentem ; & circumuolitantem effugiendo salutem consequatur. Anima fidelis circumspecta admodum & cauta sit oportet, vt insidias ac laqueos, quos fidei inimici tendunt ; prudenter declinet.

15. Hæretici persimiles sunt crocodilis, nam fugientes sequuntur ; & ingerunt se vltrò non quærentibus.

16. Quonam ergo modo ad rectam eos semitam reducemus, eos si fugiamus & oderimus ? Vnica illorum lucrandorum est ratio ; mortali eos prosequi odio ; id est, odio, quod tum in nobis emoriatur, cùm in ipsis emoriturus est error.

17. Licinius Consul Romanus non antè cum Perseo rege de pacis agere conditionibus voluit, quàm se ille populo Romano dedisset : tum demum ad ipsos conuertemur ; vbi ad nos conuersi fuerint ; tum etiam edocebuntur, cum crediderint : credere enim quem oportet antè quàm edoceatur.

Lib. 7. c. 16. 18. Monstra illa portentosa, quorum ferax est Africa ; hinc enasci tradit Plinius, quòd cùm ob aquarũ inopiã in æstuanti illo solo ad paucos amnes se congregent feræ, cùm dissimili sæpè sui specie commisceantur, atque inde multiformes illi animalium & informes existunt partus. Varia illa & diuersicoloria fidei portenta ; quæ in tot mentibus

fidem

fidem proprio sibi sensu iudicioque fingentibus enascuntur, & pullulant, ab vna nimij cum errantibus commercij libertatis, concertationis, & frequentium disceptationum radice ac semine progerminare certissimum est.

19. Quot animæ idcirco maculas contrahunt ad exemplum agnorum Iacob, quòd in versicolorem politicissimi nostri virgulam oculos conijciant? Gen. 30.

20. Tamen, quemadmodum diluuij metus fera & siluestria animalia in arca Noë tranquillabat, vt cum cicuribus cicurascerent: sic miseriarum humanarum consideratio intra modestiæ nos terminos continere debet, leges nostras municipales, easque ad humanam infirmitatem quàm maximè accommodatas seruando. vbi Gen. 7.

Nat lupus inter oues, & fuluos vehit vnda leones.

qui non potest, quod vult; velle debet, quod potest.

21. Si, vt ollæ illæ duæ, de quibus fabula, nonnihil ab inuicem separati agamus, longè felicius res succedet.

22. Cœli, in orbibus licèt & motu naturali adeò discrepantes, pariter tamen ad motum primi mobilis, à quo impelluntur, feruntur.

quò freta trahunt retrahuntque sequamur.

Si Clauum tamen rectà semper dirigamus, tam in malacia quàm tempestate scopulos & vada declinabimus.

23. In confusione chaos, omnia mixtim perturbateque elementa ferebantur: hinc Ouid. 1. Metam.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.

Verùm sine vlla sui destructione, sed mediocri quodam & suaui temperatura.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

24. Elementa loco & varia inter se qualitate, diuersa sunt: hæc tamen in corporum mixtorum compositione mirè inter se conueniunt, quin imò illorum separatio congre-

congregata, & congregatio collecta totius est vniuersi harmonia.

Isai. 5. *Eccli.* 24. *Psal.* 51. 25. Nunquam oleum alicui liquori permiscetur: nunquam fidelis, qui est velut *vinea in cornu oliuarum* consita, quin imò *oliua speciosa* & *fructuosa*, cum aliquo sectario sociari potest.

26. Ostendimus ergo, vt vidistis, 1. hæretici odium consentaneum esse, idque auctoritate è sacris libris petita declaratum est, 2. etiam rationibus, 3. fugam illius esse pernecessariam: probatum id itidem auctoritatibus, 4. rationibus. Eum porrò *Matth.* 18. Redemptor haberi *velut ethnicum & publicanum* iubet, qui *Ecclesiæ* auscultare *noluerit*.

27. Errantes ergo, carissimi, veluti leprosos fugiamus, non aliter ab Ecclesia separatos, quàm hi ab omni hominum sunt commercio segregati.

28. Noxia ac pestifera illorum verba, & disceptationes non secùs fugiamus, quàm putiscentia cadauera & resonantias echoinas apiculæ.

29. Si quid verò in ijs amandum est, ametur (secundùm communem Scholasticorum, dum de inimicorum dilectione agunt, distinctionem) in ipsis natura, non culpa; hæreticus, non hæresis; errans, non error; non quod sunt, sed quod esse possunt; non ipsorum auersio, sed conuersio; non illorum, sed doctrinæ destructioné & euersioné à Deo petamus.

30. Atque vt boni Medici morbum euertamus, non morbidos, & erga eos non passionem, sed compassionem exhibeamus.

Lib. 17. *diuersitat. c.* 2. De amore verò erga inimicos proprios alibi agemus diffusiùs.

DOMI-

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE,

De Ieiunio.

HOMILIA IV.

Et cùm ieiunasset quadraginta diebus. Matth. 4.

POLYCHRONIVS athleta, qui tot in stadio Olympico certando coronas victor retulit, longè secùs ac collegæ, qui ad lacertos corrobor̃ados, & vires confirmãdas quotidie genio indulgebant, & dapibus se ventremque continenter farciebant; vnicam sobrietatem, velut vigoris matrem, & fortitudinis altricem sectatus est. Christianus, cuius *vita* assidua *militia* est & *colluctatio*, ieiunium vt vmbonem & insuperabilem aduersus tentationes omnes & conflictus clypeum assumat necesse est, idque Redemptoris exemplo, qui præclarum eius hodierno in Euangelio, in quo & eiusdem describitur ieiunium, & de satanæ illusionibus victoria recensetur, exemplum proposuit. Vnde de ieiunio agendi occasionem trahemus, dicendo 1. quid sit, deinde declarando, ipsum honestum esse, 3. perutile, 4. iucundum. Cursum inchoo.

Iob 7. *Ephes. 6.* *Matth. 4.*

1. Ieiunium ergo, carissimi, non modò frugalis quædam est parsimonia, superfluitates omnes repudians, vti Galliæ nostræ comminiscitur hæresiarcha: sed seuerior quædam abstinentia in ciborum qualitate quantitateve, tum ad Ecclesiæ præceptum adimplendum, tum ad carnem emacerandam, tum verò vt Deo gratos acceptosque nos exhibeamus, consistens.

2. Sancta hæc abstinentiæ virtus, cuius actus est ieiunium, vno eodemque tempore & malos animi mores, & noxios corporis humores consumit: hinc

eius adminiculo permulti sanitatem simul & sanctitatem sunt consecuti.

3. Serpentium more sese renouantes, qui, postquam veteres posuere exuuias, ore patulo ad solem anhelantes, hiant:

Qualis vbi in lucem coluber mali gramina pastus,
Iam positis nouus exuuijs, nitidusque iuuenta,
Arduus ad solem, linguis micat ore trisulcis.

4. Mustela, vt in fabulis est, cùm angustum per foramen in penum irrepsisset, & nimium se ingurgitando aluum distendisset, feli haud dubiè præda fuisset deprehensa, nisi abstinentia primam illi macredinem simul & libertatem reddidisset.

Macra cauum repetas arctum, quod macra petisti.

5. Sanè, si nonnisi simplex quædam abstinentia ieiunium foret, bestijs hoc in genere pares essemus, quæ in quotidiana escæ ratione maiorem, quam homines, præferunt temperantiam.

6. Communiter id diuiditur in generale, Philosophicum, & Ecclesiasticum. Primum est vniuersalis à vitijs abstinentia, de qua apud Isaiam sic loquitur Deus: *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.*

Isa. 58.

7. Alterum est illa temperantia, quæ tot veteres Philosophos adeò celebres reddidit, & cumprimis Socratem, qui cùm sitim diutius tolerasset, multum priùs aquæ è puteo hausit, & haustam in terram effudit, quàm vel guttam bibit.

8. Tertium est hoc ipsum, quod sancto hoc Quadragesimę curriculo, dilectissimi, ad Redemptoris nostri Iesu Christi imitationem, celebramus, vti & alijs diebus à Sancta Matre nostra Ecclesia præscriptis.

II. Annon verò filios bonæ indolis honestissimum est illustria sanctaque patris sui vestigia insistere, accedentibus etiam matris suæ exhortationibus & decretis?

1. Quos non honores victrix illa & gloriosa Iudith consecuta est, quæ ieiunio suo tam illustre referre tropæum, caput inquam tyranni, ac populi sui in libertatem assertionem promeruit? hinc illi reduci hoc epinicion populus vniuersus accinuit: *Tu es gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificẽtia populi nostri.* *Iudit. 15.*

2. Quos non Esther, quæ ieiunando gratiam apud Assuerum est adepta, & conceptam eius in Hebræorum genus indignationem tranquillauit? *Esth. 4.*

3. Quos Moyses, cuius ieiunium quadraginta dierum, quod Saluatoris nostri ieiunium præcucurrit & præfigurauit, tantam illi apud Deum auctoritatem conciliauit, vt *ore ad os* familiariter, & quidem sæpius cum illo colloqui meruerit? quibus è colloquijs vultus eius adeò fulgidus & micans effectus est, illius vt splendorem Israëlitæ ferre non possent. *Exod. 34.*

Angelica sanè virtus, quæ terrenas fastidiens dapes, nonnisi cœlico rore, sacro ac mellito diuinarum inspirationum manna pascitur.

4. Danieli eiusque socijs ieiunium pulchritudinem propè angelicam conciliauit. vnde factum est, vt ceterorum adolescentum, qui regijs quotidie dapibus vescebantur, pulchritudinem habitudinemque longè superarint. *Dan 1.*

5. Non est ergo, quòd mulieres, quæ venustatem sæpenumero probitati anteferunt, vereantur, ne ieiunãdo decor ille exoptatus fortè marcescat, aut roseus genarum color euanescat, si ex animo ieiunium seruarint: nullum siquidem hinc corpori ipsarum damnum accedet.

6. Sidrach, Misach, & Abdenago, adolescentes indefessi ieiunij cultores, virtutis huius ope horrendos fornacis Babylonicæ, cuius flammarum globi vndequinquaginta cubitos extra caminum efferebantur, ardores superarunt, igne scilicet minimè illorum corpora depascente, qui eadem cibis non *Dan. 3.*

pauerant; & deuoratrice eiusdem natura ab abstinentibus his abstinente. sic etiam spiritualiter numquam acres concupiscentiarum flammæ ieiunij cultores adurunt vel deuorant.

Ion. 1. 7. An non balena ieiunauit, quò Ionæ parceret Dei iussu ieiunium & pœnitentiam Niniuitis prædicatum abeunti? Quàm etiam honestum & potens ciuium illorum fuit ieiunium, quod Dei iram compescuit, cùm alioquin post quadraginta ipsos dies populosam & magnam illam ipse vrbem exscindere decreuisset? (Ion. 3.)

4. Reg. 2. 8. Ieiunium, dilectissimi, currus ille leuis est & flammeus, qui Eliam in paradisum terrestrem transuexit.

Matth. 3. Apoc. 1. 9. Ipsum S. Ioannem Baptistam in deserto adeò celebrem reddidit, & Euangelistam in insula Pathmo dignum, qui tot arcana mysteria in admirabili sua Apocalypsi signata, sed nondum resignata videret.

10. 11. Bellerophon, vt quidẽ Poëtæ comminiscuntur, equi alati adminiculo Chimæram triformem superauit. Talem sese reuera Saluator noster in huius Euangelij conflictu exhibet, in quo ieiunij (quæ virtus leues corporis nostri equo alas addit) telo triplices monstri illius infernalis, (Ouid. Metam.)

Cui nomina mille,
Mille nocendi artes,

illusiones, & malitiosa argumenta euentilauit.

12. Ecquis etiam in corpora nostra fulgor à sancto huius virtutis exercitio dimanat? per quam nimirum nebulæ, quibus anima in seipsa offuscatur, dissipantur.

13. 14. Efficit quippe illa vitrorum Crystallinorum instar nitida ac probè diluta, in quibus ipsa insigni quadam viuacitate effulget & nitet; non aliter quàm candela in lucerna ab omni piguedine purgata.

III. 1. Gedeon (vt sic ad vtilitatem gradum faciamus) cùm

cùm lagenas fictiles à militibus cõfringi iussisset, e- *Iud. 7.*
micante inde lumine vniuersas Madianitarum copias consternauit: vbi corpora ieiunio emacerata & confracta fuerint, illustris inde fulgor emicat, & vtilissima inde aduersus cacodæmonem, sæculum & carnem resultat victoria.

2. Corpora (quod de ingenijs aiebat Heraclitus) ea sunt optima, quæ sunt siccissima; nimiarum enim & humiditates & cruditates repletionum nonnisi corruptiones & morbos procreare natæ sunt.

3. Caro nostra inimicus quidam est, quem non nisi suffossione, occultis cuniculis, & commea tuum ab ea iter honesto quodam obsidio intercludendo, superare possumus.

4. Corda sæpenumero, non minùs quàm corpora, diætâ & abstinentiâ persanantur.

5. Catharri, vti è vi verbi intelligere est, intemperatæ quædam & noxiæ sunt defluxiones, quæ nõ tolluntur, nisi siccẽtur, necverò vlla re siccantur meliùs quàm abstinentiâ. vnde dicere videtur cerebrum, *Desine infundere, desinam effundere.*

6. Tolle lignum ab igne, confestim exstinguetur: corpus debilitatum animam corroborat, quæ aduersarij huius sui infirmitate inualescit. *Mortificatio* 1. *Pet.* 3.
enim *corporis viuificatio* est *spiritus.*

8. Vasa vacua facilè in altum tolluntur; & mentes, quarum *corpora aggrauata* cibis, & *somno vinoq́; sepulta* nõ sunt, facili negotio ad sublimia eleuantur.
In vacuis illis vasis abundanter diuinarum gratia- 3. *Reg.* 17.
rum oleum multiplicatur, ac nunquam in ijs deficit imminutum.

9. *Manna est absconditum*, cuiusq́ue percipere *Apoc.* 2.
proprietates non nisi experientiâ possumus, nec antè nobis cælitus id inspiratur, quàm sancto quodam repudio omnem falsarum mundi voluptatum farinam absumpserimus.

10. Nauis exonerata leuius multò per æquor fertur, & faciliùs naufragij discrimina euitat: qui

Isa. 58. *animas suas in ieiunio humiliant*, Dei irarum procellas fa ciliùs euadunt.

11. Non magis magni huius mundi dissipat nebulas sol, quàm illustris hæc virtus fumos & vapores microcosmi.

12. Terra humida & palustris nonnisi bufones, serpentes & putrefactiones producit: ita & gula omnium vitiorum & immunditiarum sentina; quas vnicum tollet & enecabit ieiunium.

13. Ieiuni hominis saliuam serpenti letalem esse produnt naturalium rerum scriptores: sic ieiunium verum est aduersus omnia carnis peccata alexipharmacum.

Dan. 2. 14. Ipsum lapis ille est de monte recisus, qui euertit & in pulueres comminuit omnem colossi illius phantastici, quem in somnis videre se putauit Nabucadnezar, materiarum diuersitatem in vnum conflatam. Superbia quippe ipso humiliatur, caro mutatur & debilitatur, insatiabilis auaritia extinguitur, tentationes denique omnes consopiuntur.

15. Ipsum verum est moly, quod vniuersas voluptatis, Circes illius incantatricis, à qua homines in bestias rationis expertes commutantur, prçstigias facit euanescere.

16. Ipsum saluberrimum ad AEthnæos concupiscentiæ nostræ ardores inflammationesque temperãdas cataplasma.

17. Quid? velut siccatorium quoddam est, quo siccemur, vt ad flammas, sed diuini amoris flammas suscipiendas apti reddamur: vt enim ignis materias aridas facile corripit, sic ieiunantium animos ignis diuinus libenter accendit.

Iudic. 6. 18. Atque ita ignis cœlestis non sine miraculo in mortuas Gedeonis victimas descendit.

19. Neque verò opus, rationem & scientiam in commodis à ieiunio prouenientibus recensendis diutiùs immorari, cùm rudium magistra experien-

tia

tia effectus quotidiana praxi ad oculum spectabiles reddat.

At, fierine potest, inquies, austeritatem deliciosam esse, carentiam gratam videri, & tolerátiam voluptatem afferre? fieri potest, carissimi: neque enim paradoxon id, sed essentialissima veritas est. IV.

1. Rogate Timotheum Atheniensem, an non moderatam Platonis mensam epulis suis regificis laudatisque præposuerit: cum enim sobriè & tenuiter apud hunc Philosophum cœnasset, & postridiè rectè valeret, stomachusque hesterna cœna grauatus non esset, *Platonis*, inquit, *cœnæ etiam postridie delectant.* *Cicero 5. Tuscul.*

2. Alexander Magnus bis prandere poterat, si modò voluisset; nec non admittere delicias ac lautitias, quas Regina Cariæ ad eum destinabat, etiam coquos à Ptolomæo missos, qui cōdiméta condiebant palato quàm maximè gratissima. At his reiectis respondit, optimū condimentū esse famem, condimenta verò ascititia & salgama homine indigna videri, ac duos lectissimos habere se coquos, laborem & ieiunium, quorum arte panis etiam durissimus saporē induere poterat suauissimum.

3. Coquus ille Spartanus numquam nigrum offarum Spartanarum iusculum Persis sapidum reddere potuit, quòd violenta illa exercitia ad Eurotam peragi solita in Perside nullum locum haberent.

4. Epimenides in oliua vnica delicias inueniebat, quòd sola ea per diem vesceretur, & hac parsimonia delectaretur.

5. Socrates compedibus suis iam solutus, haustâ iā cicuta, cum voluptate tibiam fricat à pedicis liberā: vt enim voluptas summa cum est, aliquam doloris partē includit, sic & dolor extremus aliqua semper voluptate permixtus est. hoc reipsa experimur in ijs, qui animi patiuntur deliquium.

6. Quid erit ergo, si anima per corporalem abstinentiam reddatur ad spiritualia gustanda aptior quàm illi desipient allia AEgypti mundi huius, si

vel semel hocce manna gustauerit?

7. 8. Eiulabat Iob, si quando illi cibus sumendus erat; lacrymabatur S. Bernardus, si quando corpus refecturus triclinium adibat, nec minori dolore, quā dissoluti monachi Capituli correptionem exhorrescunt.

9. Vapores, quo à sole celeriùs, leuiusque attollūtur, eò & sunt puriores.

10. Corpus & anima velut duæ sunt lances, quæ, quantum vnum aut alterum attollitur aut deprimitur, tantum deuergunt, aut sustolluntur.

11. Ieiunium est veluti frenum, gubernaculum & sceptrum, quo suam in corpus anima gubernationē imperiumque conseruat.

12. Non sine voluptate legere est, quomodo in homilia, quam de ieiunio scripsit, D. Chrysostomus sāctas prosequatur delicias, quæ in pio hoc exercitio occurrunt, ipsum *animæ ver* indigetans, & aureæ eloquentiæ suæ coloribus illud exactissimè depingens.

13. Et sanè, vti serenos illos appellare dies solemus, quibus sol prædominans aëreas nebulas dispellit, terram illuminat, & virore, floribus, fructibusque eamdem condecorat ac vestit: sic sereni animæ dies sunt illi, quibus ieiunat; hi nimirum nitidis contemplationibus, bonorum desideriorum floribus, lætitiæ virore, & bonorum operum fructibus eā serenant & exornant.

1. Pet. 5. 14. Eia igitur, *fratres, sobrij estote & vigilate* (abstinentia enim & piæ vigiliæ sibi mutuò connexæ sunt) *quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret* (ille autem vobis parcet, si modò ieiunaueritis, vti Danieli ieiunanti in
Dan. 14. lacu pepercerunt leones) *cui resistite fortes in fide*, idque ad imitationem Saluatoris nostri Iesu Christi, cuius tam luculentum & illustre in Euangelio hodierno exemplum habetis.

Audistis 1. quid sit ieiunium, 2. eius honores, 3. eius-

3. eiusdem vtilitates, 4. denique illius voluptates. Theoriæ verò huius praxin nobis Deus optimus maximus concedat.

FERIA II. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMAE:

De Iudicio Vniuersali.

HOMILIA V.

Congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25.

BALDESSAR rex pre formidine exanimis cōcidit, exterminationis suæ iudicio, quod in pariete prodigiosa illa manus exarauit, perlecto. *Dan. 5.* An non verò præ stupore emortui estis, carissimi, audita terribili iudicij vniuersalis tuba, quæ in Euangelio, quod in sacrosancto Missæ sacrificio lectum est, personuit? Argumentum est de igne, qui sæculum hoc ferreum mollire, rubiginem & scoriam vltimæ huius ætatis purgare queat. Hic eloquentiæ suæ vela explicant rhetores, hic & vocis fragore & argumētorum vi auditoribus suis terrorem incutiunt; nos verò nimiùm fragiles ad tam validam materiam pertractandam, litui satis esse putabimus, si humili & fracto quodammodo sono ipsum pertractemus, dicturi 1. quando horrenda illa dies futura sit, *cùm venerit*, 2. quis in ea iudex futurus, *filius hominis*, 3. quæ in ea congregatio, *congregabuntur ante eum omnes gentes*, 4. de conscientiarum reseratione: & angustis hisce limitibus materiam hanc limitis omnis expertem includemus.

1. *Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,* I.
Quo mare, quo tellus, correptaq́; regia cœli *Ouid.*
Ardeat, & mundi moles operosa laboret. *Metam.*

Poëta hic Ariſtotelem confundit & confutat, qui ſibi mundum hunc principij fuiſſe, & finis expertem futurum perſuaſit.

2.3. Multò etiam riſu dignior illorum opinio, qui ingentem hanc machinam initium quidem habuiſſe, ſed nunquam interituram aſſeruerunt: hoc namque lumini naturali aduerſatur.

4. Nimis etiam curioſa eorum inueſtigatio eſt, qui Dei in gremio latentia arcana rimantes, ſumma animi contentione allaborant inquirere, diuinantes tamen potius, quàm vt certò quid cognoſcant, quã-do vltima illa dies, omnium dierum elapſarum hactenus iudex adfutura ſit.

5. Plerique ſex annorum millia megalocoſmo huic aſcribunt, & totidem vitæ eiuſdem attribuunt dies, quot creatio eius habuit & perfectio. hos porrò dies mille faciunt annorum, *mille anni ante oculos*
Pſal. 89. Dei *tamquam dies.*

Apoc. 5. 6. Videtur porrò ſexti ſigilli libri illius myſtici, quem Apocalypſis deſcribit, reſeratio diſſolutionẽ hanc aliquo modo repræſentare.

7. Aliqui ad naturæ ipſius imminutionem & annihilationem reſpiciunt, aiuntque eam propè iam decrepitam eſſe, hinc omnes eius dies criticos, & annos climactericos eſſe.

8. Illam velut detritam, vetulam & interitui proximam eſſe, nimis quàm manifeſtũ eſt; tametſi enim mors, ob horæ incertitudinem, tam iuueni quàm ſeni vicina ſit, ſeni tamen, cùm ex natura, tum per accidens certiſſimò quàm proxima eſt.

9. Verè dicimus, omnibus hiſce coniecturis, nonniſi veluti circum finem & punctum homines volui, & plura ſcire velle, quàm ipſemet Saluator, qui, in
Marc. 13. quantum filius hominis, id ſe ingenuè neſcire declarat, neue *expedire* homini *diei* huius *tempora* & *mo-*
Gen. 6. *menta noſſe.*

Gen. 19. 10. Qui proculdubio, improuisò & inexſpectatus, velut dies diluuij, & incendium Sodomiticum, & fur nocturnus aderit.

11. Conſtat

11. Constat adhæc, *dies propter electos abbreuiandos* *Matt. 24*
potius, quàm prolōgandos, quia *veniens veniet &* *Habac 2.*
non tardabit; ecce venit citò. *Apoc. 2.*

12. S. Paulus & Ioannes Apostoli iā tum sua ætate diem hunc instare, & velut in proximo esse annuntiabant. Ergo à diei huius incertitudine & ignorantia perpetuò esse ad bene omnibus vitæ nostræ diebus agendum solliciti discamus.

13. Et à Deo petamus, quod à Philippo olim Philippides, eius potius gratia, quàm arcanorum participes reddi vt mereamur.

II.

1. Et sanè ea imprimis nobis erit necessaria, quando in magno illo iudicij vniuersalis die coram terribili illa iudicis inexorabilis facie nobis comparēdum erit, eius inquam iudicis, qui ob effusum in passione sua sanguinem neglectui habitum, seuerè ac rigidè in mortales animaduertet.

Hei mihi qualis erit, quantum mutatus ab illo *Virgil. 2.*
Hectore, &c. *AEneid.*

2. Neque enim tunc habiturus est brachia fascijs infantilibus inuoluta, non crucis clauis confixa, sed manus fulmine armatas, & omnigena indignatione ac furore plenas.

3. Tunc scilicet Iupiter ille cælicus in terram de- *Ouid.*
scendet, non iam vt imber aureus, vt olim incarna- *Metam.*
tionis tempore; sed vt tonitrui ac Brontes filius, Semelen oppressurus.

4. Tunc pauperculus Mardochæus ad regiam di- *Esth. 8.*
gnitatem euehetur.

5. Tunc Daniel è lacu eductus Satrapis impera- *Dan. 14.*
bit.

6. Tunc Ioseph cisterna extractus vniuersam *Gen. 45.*
terram AEgypti nutu suo & imperio frænabit.

7. Tunc etiam magnus ille Tamerlanes terror orbis, tunc Attila ille Dei flagellum, Xerxes ille terræ formido, Scanderbegus ille belli fulmen, vniuersum orbem ita perterrefaciet, vt etiam cælorum *columnæ eius à facie* tremore concutiendæ sint.

8. Tem-

Sueton. Cæſare c.37. 8. Temporis propè momento omnia negotia ſua expediet, & ceu nouus quidam Cæſar triumpho ſuo inſcribere poterit, *Veni, vidi, vici.*

3.Reg. 10 9. Thronus illius, vti olim ille Salomonicus, leunculis innitetur & circumcingetur ſeueræ illius & parcere neſciæ iuſtitiæ executoribus: quorum etiam

Dan. 7. numerus numerari non poteſt, vtpote *millia millium & decies centena millia* ſuperantium.

3. Reg. 2. 3. Reg. 10 Eſth. 2. Iſa. 37. 10. Atque hic Berſabee, regina Auſtri, Eſther, id eſt, Deipara virgo ſe inclinabit & illũ potenter iuſtũ Salomonẽ, & terribilem illum Aſſuerũ prona adorabit.

11. *Sedebit ſuper Cherubim*, & *ſuper pennas ventorum* feretur: arcus cœleſtis, illud pacis ſignum bonis, & belli intolerabilis impijs erit ſcabellum lectiſternij iuſtitiæ eius.

12. Sedes, quæ circumſecus Deiparæ matri, Apoſtolis, & omnibus, qui *reliquerunt* terrena *omnia*, quò *Agni* illius *ſequerentur veſtigia*, diſtributæ erũt, inter ſe tantum diſcrepabunt & diſparatæ erunt, quantum inter ſe differunt Creator & creaturæ: hi cuncta eius decreta, velut aſſeſſores, approbabunt, & collaudabunt, quemadmodum in terris illi in pœnis tolerandis coadiutores fuere.

Zach. 12. 13. *Videbitis*, Iudæi, *illum, quem* olim *crucifixiſtis*. Si modò oculorum eius iratorum fulgura ferre poteſtis, qui ne rutilantem quidem & blandum Moſis vultum intueri valuiſtis.

Gen. 45. 14. Ipſe eſt *frater veſter Ioſeph, quem vendidiſtis*; an non præ pauore exanimamini?

15. O micans & radians ſol, quàm aquilis eris gratus, quàm noctuis intolerabilis!

16. Vos autem Angeli ſtellarum inſtar fulgidi ipſum comitaturi eſtis. *Et omnes Angeli eius cum eo.* Ecquis verò tales milites non formidet?

4. Reg 18 17. Nonniſi vnico eſt ad integros exercitus debellandos opus exemplo. ſit ille, qui Sennacherib copias ſolus internecione deleuit.

Exod. 13. 18. Quot primogenitorũ millia vnius gladio in AEgypto

gypto ocidunt?

19. Quid dico? nonnisi vnico opus est ad capacissimũ cœlorum orbem voluendum, quem ille vt intelligentiam motricem sequatur.

20. Quid Holoferni huic apponemus, qui potentiæ suæ pondere vtrumque elementum opprimet, & in potestatem afferet? *Iudith 2.*

21. Beatus porro ille, ô crux, qui te hac in vita sequetur, vt tum audacter & confidenter ad signa tua confugiat.

22. Beatus item ille, qui illo *Tau, signo* inquam *filij hominis notatus* fuerit. *Ezech. 9.*

23. O salutare oriflammeũ protegens eos, qui ad te confugiunt; sim illorum obsecro de numero, qui tuis sub vexillis merent, tuque in perpetuum cordis mei penetralibus insculptum esto.

24. Sis, ô Aaronis virga, mihi florida, & *virga directionis*, non verò virga *furoris*. *Num. 17.* *Psal. 44.* *Isa. 10.*

25. Erit illa gladius Goliadæ, mortis inquam, à victore Dauide ablatus, & in prouidẽtiæ ipsius Ephod inuolutus. *1. Reg. 21.*

26. Tunc sacrum hoc lignum, Agni sanguine imbutum, non sine miraculo Angelorum ministerio colligetur, congregabitur, & ab incendio vniuersali integrum conseruabitur, ac velut resuscitabitur.

1. Quibus etiam Angelis incumbet (tertium hoc punctum nostrum est) resurrectionem mortuis omnibus tuba indicere. S. Hieronymus ad solam tubæ huius angelicæ cogitationem contremiscens, nec somnum quietè capere, nec cibum potest. III.

2. Quin verò ad sonum hunc peccatorum meorum muri, qui me à Deo meo separatis, corruitis, cùm mundi, mysticæ illius Hierichuntis, fundamenta ad citantis & sonantis tubæ huius clangorem collabascunt? *Iosu. 6.*

3. An non hæc totius vniuersi euersio, hocce incẽdium, hæc lagena confracta, hæc lampas ardens, tuba hæc horribilis, ad exemplum Gedeonis, Madianita- *Iud 6.*

dianitarum agmen, id eſt, maledictarum imperfectionum mearum multitudinem euertent?

4. Quid dico euerti, cùm potiùs ſonus hic ædificet; nam ad tubæ clangorem & Angeli iuſſionem mortui omnes reſurgent; nouus ſcilicet Amphion es, qui ſonando conſtruis & reparas.

5. Ecce enim, vt oſſa, quæ vidit Ezechiel, carnem vitamque recuperent. *Ezech.* 37

6. Ecce, vt puluis, crucis virga tactus, producat nõ iam muſcas, ſed homines; quin imò muſcas, quæ ad lumen volabunt: nam *rapiemur obuiam Chriſto in aera*; quin & alias, quæ pyrauſtarum adinſtar in flãmas æternas ferentur. *Exod.* 8. *1. Theſſa.* 4.

7. Ecce, vt corporum noſtrorum grana in tumulis ſepulta de nouo germinabunt.

8. Quid? Pompeius pede terram percutiens homines ſe eadem exciturum iactat, quò hac ratione fidẽ dictis ſuis faceret.

9. De Neptuno canunt Poëtæ, Illius
Fudit equum tellus magno percuſſa tridente.

10. Dentes, à Cadmo ſparſi, armatos produxere, & lapides à Deucalione iacti, homines facti ſunt: & veritatis & omnipotentiæ Deus *ſuſcitare Abrahæ filios de lapidibus*; ac reparare quod iam antè exſtitit, nequeat? Hoc verò myſterium in fide nimis quàm certum eſt, in ipſo vt probando tãtopere laboremus. *Ouid.* 3. *Metam.* *1. Meta.* *Matt.* 3.

11. 12. Sed ecquo, eheu! diſcrimine corpora hæc reſurgent? *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Taceo hic corporum gloria donandorũ dotes, de quibus alibi pluribus ago. Circa damnatorum verò corpora, varia eaque ſubtilia moueri dubia queant, quæ Scholaſticis relinquo. Ceterum adeò ea tetra atque horrida futura ſunt, vt hinc nõnulli hæc Pſalmiſtæ verba, *non reſurgent impij in iudicio*, crudè & ad litteram nimis intellexerint. Non enim reſuſcitabuntur hæc, id eſt, non reſurgent, niſi *vt lapſu grauiore ruant*: non quod verè non reſurgẽt; ſed vt immortali deinde morte moriantur. *1. Cor.* 15. *Lib.* 6. *diuerſit. c.* 6 *Pſal.* 1.

13. Ter-

13.Terra,noua illa Rebecca producet & Iacobos electos,& Esau reprobatos. *Gen. 25.*

14.Hic pincerna Pharaonis in libertatē asseretur, ibi pistor morti adiudicabitur, eodē egressi carcere. *Gen. 40.*

15.Sunt velut duo hirci, duo passeres immolandi, quorum hic immolabatur,alter abire liber permittebatur. *Vasa honoris* hinc,& *vasa ignominiæ* illinc,& vtraque ex eadem terra prodeuntia. *Leuit. 16* *Leuit. 14*

1.Hanc verò differentiam vos, ô conscientiarum rationes tunc aperiendæ,causabimini.Tunc scilicet splendida illa mundi facula actionum, etiam maximè in huius vitæ nocte absconditarum, tenebras discutiet. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit consilia cordium;*&,*nil occultum quod non sciatur.* IV. *Luc. 12.*

2.Litteræ aluminoso succo scriptæ nōnisi igni expositæ apparēt:ignis cōsūmationis mūdi plurimos characteres incognitos & ante inuisibiles patefaciet. *Luc. 8.*

3.Tunc peccata nostra occultissima sole meridiano nobis euidētiùs apparebūt. *Illumina oculos meos, & considerabo mirabilia.* Tum quoque motus simplicissimi ac minimi,intentiones etiam informes, & affectus propè imperceptibiles manifestabuntur. *Psal.118.*

4.5.Ille erit ingēs Agni *liber* tā mortis quā vitæ *scriptus intus & foris*:& pellis illa Iouis,*diphtera* à Poetis appellata,cui oēs hominū actiones illū exactè inscribere fabulabantur, quæ omnia hæc quàm fidelissimè repræsentabit. *Apoc. 5.*

6.Apparebunt eo loco oēs tā bonæ quā malæ bonorū iuxtà ac malorū actiones;sed successu planè dissimili: illi.n.diuinā misericordiā ob delictorū cōdonationē benedicēt,hi verò velut *gigantes gemēt sub aquis* iustitiæ;illi diuinā bonitatē in pijs quas fecerūt actionib⁹,magnificabūt & extollēt,hi verò intolerabili dolore cōficientur,quòd in bono minimè perseuerarint. *Iob 26.*

7.Disputare hîc enim,vti Scholasticorū nonnullorū est consuetudo,num peccata semel per confessionem ablata tunc tēporis manifestanda sint,quandoquidē

Ezech.18 in profundo maris demersa sunt, vt Deus etiã ipse
eorũ se *amplius non recordaturum* afferat, quæ vtpote
confessione deleta & condonatã in memoriam re-
uocare impar videtur; superfluum censeo; cùm hæc
res & incerta & anceps nullam determinatione
sua prorsus vtilitatem afferat.

Rom 8. 8. Quidquid de hoc sit, *omnia cooperantur in bonũ*
Isa. 66. *bonis*; è contrà *vermis* interni cruciatus malis *numquã*
morietur.

9. Confessio peccatum conuertit in gloriam, effi-
citque, vt & Deum *in infirmitatibus* nostris laude-
mus. Vt enim peccando turpiter Deum ignominia
Psal. 31. afficimus; ita maximus, quem Deo dare honorem
possumus, est *iniustitiam* nostram *aduersum* nos corã
Luc. 15. ipso *confiteri*, & cum filio prodigo illi dicere, *pecca-*
ui in cœlum & coram te.

Luc. 7. 10. 11. Quis non laudet potius Magdalenæ pœni-
tentiam, quàm commissa illi delicta exprobret? S. Pe-
Matt. 26 tri non potiùs lachrymas, quàm eiusdem negationẽ
celebret?

12. S. Pauli conuersi gesta summis deprædicantur
præconijs, & persecutiones, quibus Ecclesiam exa-
gitauit, obliuionis sunt tumulo sepultæ.

Luc. 7. 13. 14. Coarguit Redemptor Pharisæum, dum pœ-
nitentem *mulierem peccatricem* esse ait. Ecquod san-
ctis olim peccatoribus, vti Dauidi, Latroni pœni-
Luc. 1. tenti, S. Augustino est gaudium dicere, *fecit nobis ma-*
Psal. 65. *gna qui potens est. Videte quanta fecit animæ* nostræ,
Psal. 116. *quia confirmata est super nos misericordia eius*.

15. Sed quàm intolerabilis impijs erit confusio &
infamia, vbi coram vniuerso mundo propalatas cõ-
spicient tot immundas imaginationes, quæ vel sola
cogitatione horrorem illis incutiebant?

2. Reg. 17 16. An non, ô perfidi Architopheles, præ despe-
rationis rabie & confusione, mortem potiùs vobis
inferetis, quàm coram rege illo glorioso comparea-
tis, cuius ira formidabilior, quàm mille *leonum ru-*
gitus? sanè, solatio vobis erit in tartaream voraginẽ
præ-

præcipitari, & eadem inuolui.

17. Sed nullum hîc venenum, nullæ aspides, nulli sunt ad manum enses, quibus sibi vitam hi Mithridates, hæ Cleopatræ, hi Bruti eripiant, quò minùs in supremi *viuorum ac mortuorum Iudicis* triumpho deuicti ducantur cum infamia. *Plutarc. Pompeio, Antonio, Cæsare.*

Præoccupemus igitur, fratres, *faciem eius in confessione*; cùm sacramentum hoc saluti nostræ comparãdæ adeò futurum sit expediens, quin imò vnica nostra in die illa gloria. *Psal. 94.*

Et hac ex Homilia discite 1. diei illius vltimi incertitudinem, 2. maiestatem Iudicis, 3. vniuersalem omnium resurrectionem, 4. conscientiarum apertionem. Si eius porrò timorem habetis, moneo ac suadeo, vt ad pœnitentiam confugiatis, quò *arcus* illius *sagittas* euitetis ac *fugiatis*. *Psal. 59.*

FERIA III. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMAE:

De Zelo.

HOMILIA VI.

Eijciebat vendentes & ementes.

Matth. 21. Marc. 11. Ioan. 2.

VENTI subterranei aliquãdiu in cauernis illis conclusi horrendis tandem terræ motibus foras proruunt. Redemptoris nostri zelus, hactenus semper intra mansuetudinis terminos coarctatus, hodie, dum extraordinariam quãdam animi generositatem induens negotiatores templo expellit, foras prorumpit. Quo conspecto, discipuli il-

Psal.68. lud Prophetæ in mentem reuocarunt, *zelus domus tuæ comedit me.* Circa quæ quatuor nobis pertractãdã sunt, 1. de natura zeli, 2. de eiusdem qualitatibus, 3. de illius fructibus, 4. quo acquiratur modo. Materia sanè hæc vtilis est, dilecti, præsertim sæculo hoc ferreo & frigido: quare benignas aures præbete.

I. 1. Zelus, propriè vt loquamur, ex mente Augustini, est *affectus quidam, cuius causa est amor.*

Serm 18. in Ps. 118

2.3.4.5. Ipse est veluti flamma ignis huius, velut lactis huius cremor. Si amor quidam calyx est, eiusdem flos est; si exhalatio, est vapor; si substantia, ipse subtilissima eiusdem essentia.

6.7.8.9.10.11.12. Si amor sagitta, zelus eiusdem est cuspis; si gladius, zelus est mucro & acies; si sol, zelus est radius; si adamas, zelus est fulgor, si rosa, zelus est odor; si vinum (*meliores sunt amores tui vino*) zelus prima ac mera eiusdem gutta est; si mustum (*mustum malorum granatorum*) zelus ipsa est ebullitio: denique si amor euolet, zeli id alis fieri certum est.

Cant. 1. Cant 8.

13.14. Ceterum vt amor duplex est, sic & zelus; est namque bonus, est & malus. Interdum etenim pro inuidia & malignitate sumitur, vt è locis ad marginem notatis fit manifestum.

Act. 5. 7. 13. 17. Rom. 13. 1 Cor. 3. 2. Cor. 12 Gal. 5 Iacob. 3. 1. Cor. 12. Hieron. in c. 1. Nahum. Gal. 4. v. 18. 2. Cor 9. 2. Tit. 2. 2. Cor. 7. 7.

15. Alias in bonam partem accipitur, vti dum Apostolus ait, *Æmulamini charismata meliora.* Et hoc sensu egregia quædam virtus est, qua ad perfectiones, quas in proximo laudamus, imitandas quin imò & superandas incitamur. Quod Paulus ait, *æmulari bonum in bonum.*

16. Ad hæc quamdam dictio hæc indignationem denotat conceptam aduersus id, quod rei quam amamus, siue ea creator sit, siue creaturæ, aduersatur. Talis est Redemptoris nostri zelus, quẽ hodierno in Euangelio exhibet, & Corinthiorum erga Paulum.

17. Porrò zeli nomen metaphoricum est, ab iracũdia illa amorosa, aut potiùs amore illo morbido, qui

qui maritos zelotypos de vxoribus suis sinistri quid metuentes occupat, deriuatum: quæ zelotypia propriè morbidus, nimius, violentus, furiosus, cæcus, phreneticus quidam est amor; qui verè spiritus sunt, dolores ac tormina.

18. Nec verò dedignatur Deus, extremum suum erga nos amorem testaturus, *Zelotem* se *Deum* appellare, animarum nostrarum integritatem nimium quantum *zelātem*; *Zelans zelabo Ierusalē zelo magno.*

19. Leo catuliens æstuanti semper ardet febri: nec vllum vix amorem excessiuum inuenire est, quem nō hæc phrenesis semper comitetur, amor inquam hic morbidus & malè ordinatus: sunt hæ quippè *ficus* simul *bonæ valdè* & *malæ* & amaræ *valdè*, quas eodem simul tempore Propheta comedit.

20. Plena sunt sacra volumina exemplis illorū, qui singulari hac virtute excelluerūt: vti Mosis, Phinees, Iosue, Eliæ, Iehu, Ezechiæ, Iosiæ, Zachariæ filij, Ioiadæ, Esdræ, Nehemiæ, Dauidis, Mathatiæ, in veteri quidem testamento: In nouo verò S. Ioannis Baptistę, S. Petri, S. Stephani, S. Pauli, & omnium zelantium principis Saluatoris nostri Iesu Christi.

II.

1. Inseparabilium à zelo qualitatum vna ipse feruor est: illo enim si caruerit, appellari zelus nequit: corpus enim foret animâ simul & calore destitutū: feruor quippe eius est motus & pulsus.

2. Quam etiam ob actiuitatem in varijs scripturæ locis ignis nominari solet: vti illo, *Vsquequo accendetur velut ignis zelus tuus?* Ipse item ignis est, quē *mittere venit in terras* ipse Redemptor, *vt arderet*, & orbem vniuersum accenderet.

5. Sunt videlicet linguæ illæ igneæ, eximia Ecclesię dos: vnde & ipsa, teste D. Ambrosio, per zelum collecta, acquisita, dilatata & fundata est.

4. Is item fuit ardor, quē discipulis in Emaus abeuntibus Saluator inter ambulandum indidit.

5. Horologij rotæ, dum momentorū pulsus intercidit, lentè tractimque voluitur; dū aūt horę signū

Exod. 20. Zach. 8. Aug. l. 2. quæst. in Exod. c. 18. & l. 83. quæst. q. 52. D. Dionyss. de diuin. nomin. c. 4. Ierem. 24. Exod. 32. Num. 25. Psal. 105. Iosue 7. 1. Reg. 18. & 19. 2. Reg. 10. & 18. & 23. 2. Paral. 24. 1. Esd. 9. Nehē 13.

Psal. 69. Macha. 2. Matt. 3. Actor. 3. 7. 13. & 17. Rom. 9. Gal. 3. Psal. 78. Ezech. 36. Sophon. 1. Luc. 12. Act. 2. Serm. 18. in Ps. 118. Luc. 24.

datur, ingentem fragorem edunt; quo indicatur, discretionem zeli ardori debere anteambulare.

6. Sunt vtique fulgetra illa tonitru praecedere solita: Deus quidem diu antè peccatoribus comminatur; sed si zelus eius semel inardescat, iustae indignationis eiusdem saxum etiam capita comminuet. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.*

Psal. 7.

7. Secunda zelo annexa qualitas est dolor. Vnde Paulus, *Tristitia mihi magna est & cõtinuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Dolor inquam non absimilis doloribꝰ mulieris parturientis, *Mulier cùm parit, tristitiam habet, filioli, quos parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Rom 9. 2. Cor. 11. 29. Ioan. 16. Gal. 4.

8. 9. Hinc Iob *flebat super eo, qui afflictus erat* & Dauidem *tabescere faciebat zelus.* Ieremias continuo fletu sese propè exoculabat, & Samuel ob reprobatũ Saulem assiduè lugebat. Et ipse Saluator mundi an non *super Ierosolymam fleuit?*

Iob 30. Psal. 118. Ierem. 9. 1. Reg. 15. Luc. 19.

10. Tertia veri zeli proprietas est generositas. Videte enim, vt gallina (feruidi ea est amoris symbolum) supra naturae se vires efferat ad pullos rapacis volucris vnguibus eripiendos.

11. 12. 13. 14. Sic *bonus* & zelosus *pastor animam ponere pro ouibus suis* debet. *Nullum* quippe *Deo* tale est *sacrificium quale zelus est animarũ* teste magno Pontifice Gregorio.

Ioan. 10. Hom. 12. in Ezech

15. Si quae difficultates occurrerint, zeli illę robur adaugent, nec minùs illis ardor huius infringitur, aut extinguitur, quàm iniecto oleo flamma.

16. Ipse *frons* aenea & facies *adamantina*, quae prophetae tantam confidentiam subministrauit.

17. Ipse est *sartago ferrea* & *murus ferreus*, iuxta D. Gregorium, quem Ezechieli Deus imperat vt faciat, vt hoc modo ad Ierosolymae repraesentationem & reformationem procederet.

Ezech. 4. Homil. 12 in Ezech.

18. 19. 20. Quarta zeli qualitas est, nulla personarũ acceptio. S. Paulus mox à conuersione *non acquieuit carni*

Galat. 1.

carni & sanguini. S. Bernardus parentes à vita eum monastica auocare conantes, minimè *parentes*, sed *peremptores* censuit appellandos. S. Thomas Cantuariensis ne parentum quidem precibus à zelo honoris diuini & Ecclesiasticorum iurium defensione extrema auocari potuit. Nam cùm Dei res agitur, patri, matri, fratribus, sororibus, filijs, omnibus denique renuntiandum est.

21.22.23.24.25. Erat hoc scilicet Leuitarum votum, omnes scilicet relinquere consanguineos, quò maiori zelo tabernaculo Domini deseruirent. Hinc & Melchisedech dictus est *sine patre & matre*, nō quòd reipsa ijs caruerit, sed quòd oēm erga eosdé exuisset affectū. Et Redemptoris nostri in templo docentis zelus annon propè eum cogit parentum & cognationis omnis obliuisci? Hinc etiam parentes suos esse ait illos, *qui faciunt voluntatem patris sui, qui in cœlis est*. S. Petrus quoque retia, patrem, vxorem, & omnia quæ possidebat deserit, eum vt sequeretur. Talis denique Leuitarum fuit zelus, Mosi in parentibus post idololatriam vituli commissam iugulandis opem ferentium. Heb. 7. Luc. 2. Matt. 12. Matth. 4 Exod 32.

26. Hic tamen consanguineorum contemptus discretionem, quintam zelo quàm maximè propriam qualitatem, non excludit. Si enim is *non secundùm scientiam* sit, id est, prudentiâ non temperetur, est velut gladius in manu furentis. Rom. 10.

27. Amandus ergo Deus est, iuxta mellifluum Bernardum & *suauiter* & *sapienter*, & *rationabile* illi, ex mente Apostoli, *obsequium* reddendum. Zelus alioquin diabolicis pateret illusionibus: Satanæ quippe artificium est, quo veram dilectionem tollat, rationem ac discretionem ab ea auferre. Serm. 19. in Cant. Rom. 12.

28. Si teli mucronem obtusum reddas, reliqua eius pars inutilis est: sic vanus & nullius prorsus effectus zelus est, nisi eum regat discretio. *Vis consili expers mole ruit sua*. Horat. l. 3 od. 4.

29. Huiusmodi sunt zelosa quidem, sed discretio-

 nis

Num. 11. nis sale minimè condita opera Iosue, Ionæ, Abisai,
Ion. 4. discipulorum S. Ioannis; quibus opponas licet opera
2. Sam. 16. Redemptoris, SS. Petri & Pauli, qui ad marginem locis indicatis citantur.

Ioan. 3. Marc. 10 Matt. 16 Actor. 22 & 26. Gal. 1. 1. Tim. 1. 30. Et licèt hæc virtus omnibus adeò hominibus conueniat, fateamur tamen necesse est (sexta hæc est proprietas) eam, in prælatis, principibus, aut superioribus si reperiatur, potissimùm effulgere. Vt enim fulgidus quidam adamas, accedente auri fulgore & ornatu, splendescit magis & rutilat, sic

Omne bonum mentis tantò conspectius in se
Lumen habet, quanto maior qui portat, habetur.

Hoc scilicet est, quo ad tot heroicas actiones, tum ad bonorum solamen, tum ad peruersorum castigationem suscipiendas animantur.

Ierem. 2. v. 8. & 50 v. 6. Zach. 1. 3 Ezech. 37 31. Legere in Ieremia, Zacharia, & Ezechiele est, quo superiores zeli expertes coarguantur & perterreantur modo.

Apoc. 3. Actor. 20 1. Pet. 5. 32. In Apocalypsi Laodicenus Episcopus zeli cõmonetur, si modò salutem adipisci velit, *Attendite vobis & vniuerso gregi*, inquit Apostolus, *in quo vos spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Similibus etiã verbis Pastores alloquitur Apostolorum & pastorum princeps Petrus.

Io. 21. 34. 33. Cui cum diceret Dominus, *Pasce oues meas*, an nõ simul animarum illi zelum inspirauit?

34. An non etiam (sicut extrema sua bonitate è malo Deus bonum elicere potest) videmus eos, quos ad maxima ipse munia selegit, antè zelo quodam tametsi indiscreto arsisse? Talis haud dubiè fuit zelus Mosis AEgyptium obtruncantis, S. Petri Malchũ percutientis, S. Pauli ante conuersionem fideles vehe-
Exod. 2. menti quodam zelo & æstu exagitantis. Prauus sa-
Marc. 14. nè is fuit zelus, è quo suum postea bonum emicuit;
Act. 9. non secùs ac ficulneæ domesticæ esse tunc feraciores dicuntur, cùm iuxta caprificos consitæ sunt.

35. Sic vrticæ in inculto quodam solo magna copia prouenientes signa sunt agri futuri vtilis, si modò

dò excaudicaretur. Indiscretus zelus, malus est bonę causæ effectus, secùs quàm sternutatio.

III. 1. Ecquod verò maius sperare cõmodum liceat, quàm esse nos Dei in animarum salute procuranda cooperatores, & velut in eo officio, quod vt exerceret Redemptor, in terras descendit, collegas? Venit namque ille, vt *euangelizaret pauperibus*, errantes corrigeret, & peccatores in viam salutis reuocaret. An non verò incomparabilis quidam est honos, per sanctum quemdam zelum in re tam sublimi coadiutores filij Dei fieri? *S. Diony. cælest. hierarch. c. 3.* *Matt. 11.*

2. Et scalam quodammodo fieri, per quam in cælos animæ conscendant? *1. Tim. 2. Chryso. hom. 3. in Gen.*

3. Tum etiã (in quo secũda consistit vtilitas) Angelos hoc in opere collegas habere, qui *sunt administratorij quidam spiritus ijs, qui hæreditatem capiunt salutis*? *Heb. 1. & ibi Chrysost. ho. 3.*

4. An non Ioanni, zeloso Dei famulo, Angelus fatetur illius se *conseruum esse*? *Apoc. 19.*

5. Ecquæ optari maior (quæ tertia est) vtilitas posset, quàm in ardenti illa amoris fornace peccatorum nostrorum rubiginem abstergere, quin imò & alienorum? *Peccata* autem *populi comedere*, an non eadem sancto quodam zelo exstirpare est? *Osee 4.*

6. Ipse flammeus Cherubini gladius est paradiso terrestri peccatores excludens, eque delicijs ad pœnitentiæ labores eos expellens. *Gen. 3.*

7. Stomachi calore ferrum mollire dicitur & digerere struthio, quidni ergo sancti zeli ignis animos etiam obduratissimos molliat & flectat?

8. Ipse *eloquium* illud *Domini ignitum*, quod tam ardẽter Psalmographus diligebat & cõcupiscebat. *Ps. 118. & ibi Ambros.*

9. Ipse *ignis* ille æstuans *in corde* Ieremiæ Prophetæ. *Ierem. 20. 9.*

10. Ipse ignis, quo rubus *vrebatur & non exurebatur*. Nam salutaris hic ignis ad corrigendum quidẽ, sed non ad destruendum accensus est. *Exod. 3.*

11. Quartum eius emolumentum est, ipsa Spiritus sancti attractio. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* *Psal. 118*

tum. Os nãque aperire, eſt ardoris & zeli ſignum, *Os*
2.Cor.6. *meum patet ad vos, ô Corinthij.*
Deut. 4. 12. Ignis eſt (*fons viuus, ignis*. &, *Deus ignis conſu-*
Serm.70. *mens eſt*,) qui libenter in facem fumantem delabitur. & S.Bernardus in Cantica pluribus oſtendit, hos animæ feruores & ebullitiones nonniſi ab intima Spiritus ſancti præſentia proficiſci.

Verùm eximiæ huius & angelicæ perfectionis pulchritudine vos captos animaduertens, patiens veſtra impatientia, cariſſimi, me quodammodo cõmonet & inuitat, vt viam & rationes oſtendam, quibus tam ſingularem comparare theſaurum valeatis.

IV. 1. Prima eius obtinendi ratio eſt, ardens communi omnium noſtrûm ſponſo placendi excitare deſiderium: Si enim feminæ mundanæ omni conentur arte aut maritorum, aut amantium oculis placere, omni quo poſſunt ornatu elegantiaque naturalem adaugere venuſtatem ſollicitæ; quid non agere nos par eſt ad animas ornamentis illis interioribꝰ, & aureis
Pſal. 44. zeli, & conſtringentis & attrahentis fibulis, omniq́; aliarum virtutum præſtantiſſimarum varietate condecorandas? Deus enim amat filiam Sion hiſce monilibus circumdatam.

2. Secunda erit, liberè, audacter, ſine adulatione aut lenocinio verborum peccantes corrigere: & ſalutaria & maximè purgantia catapotia afficere ſolent acriùs, ægrumq́ue magis torquere.

3. Sincerus amicus, vt defæcatum ſpeculum, oſtendit & exhibet ſincerè quid ſimus, & liberè commonet, quid faciendum, quidq́ue nobis fugiendum incumbat.

4. Atque, vt peritus Architectus, malum deſtruit, quò bonum ibidem conſtruat, idq́ue egregia quadã ſymmetria: ſic etiam *deſtruere templum* Redemptor, & illud ipſum denuo *reædificare* volebat.

Ioan. 2. 5. Quid? ob lites pueriles & inanes concertationes alter alteri vitam eripit, & pro diuinæ gloriæ
cauſa

causa ne verbum hiscere quis audeat?

6. Si homines (quæ tertia est ratio) velut *aspides surdæ suas obturent aures*, ad diuinas confugiamus; quæ vt olim Iouis Olympij ad iustas & æquas postulationes *semper patent*, & *exaudiunt clamores* zelantium. Psal. 57.

7. Hac olim ratione Moses indignationis illius torrentem stitit, zelosæ huius protestationis aggerē ei obijciens, *dimitte*, inquiens, *populo* noxā hanc, *aut dele me de libro* viuentium, *quem scripsisti*. Exod. 32.

8. Quarta eaque efficacissima ratio erit, bonū omnibus dare exemplum. *Fac mecum signum in bonū*. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*. Neque verò est, vt aut superbiam hic, aut hypocrisin reformidem⁹; qua duplici decipula & laqueo bona nostra opera satanas intercipere studet; ad illam impellens eos, qui benè operantur in abscondito, hac verò territās illos, qui publicè bona multa agunt. Verus autem zelus vtrumque malum temperare nouit, & Deo tū priuatim, tum palàm seruire. Psal. 85. Matt. 5.

9. Si fortè bono prælucere alijs exemplo non possimus, (neque enim id omnium est) saltem (qui quintus est gradus) omnium est illud ab alijs accipere, ruminando illa ipsa, quæ iam antè paulò attulimus.

10. Quibus & veterum Anachoretarum exempla addemus, vt S. Antonij Imp. Constantij tempore, Aphraatis imperante Valente Arriano, & aliorum regnante Theodosio, qui solitarias suas cellulas & eremum deseruêre, quò laboranti & hæreticorum persecutionibus exagitatæ Ecclesiæ auxiliatū venirent. *Theodoret l. 4. hist. Eccles. c. 24. & 25. Chrysost. hom 17. ad popul. Antioch.*

11. Qui veluti reclusæ quædam virgines, ad paternæ domus incendium restinguendum, præter decorem quidem assumpti instituti, sed ex vera puri zeli essentia properarunt.

12. 13. Sed miremur imprimis zeli à Redemptore Iesu hoc in Euangelio repræsentati exemplum, vbi agnus ille mitissimus truculentum in leonem subi-

tò mutatur. Nihil quippe zelo inflammato, patientiaque exasperata violentius: est namque torrens,

Sternens sata læta boumq́, labores,
Præcipitesq́, trahens messes.

14. Ouis, animal illud placidissimum, ad iracundiam concitatum, *cornu ferit, inde caueto.*

15. Taurus vtcumque mitis, nisi lacessitus, si ad irã concitetur, velut tonitru furit,

Mugitus quales, fugit dum saucius aram
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.

16. Adamas ictibus quàm maximè resistit; verum vbi cõfringi & comminui cœpit, in pulueres redigitur minutissimos.

17. Ferrum frigescens postquam incanduit, igne ipso, à quo penetratum est, fit multò calentius.

18. Talis est haud dubiò Redemptor noster, quem læsa patientia extra solitos mansuetudinis terminos rapit, vt in hac negotiantium expulsione quẽdam iustitiæ actum exerceret, *Diuina vindicta*, inquit Valerius, *lento quidem gradu procedit, sed supplicij grauitate* castigationis *tarditatem compensat. Apprehendite ergo disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Atque hæc zeli est disciplina, de qua sic loquitur D. Ambrosius: *Aduertimini quod mensura quædam & disciplina sit zeli, sicut disciplina virtutis, & ideo beatus qui zeli nouerit disciplinam.*

Lib. 1. c. 1 *Psal. 2.* *Ambros. serm. 18. in Ps. 118*

Ex hac homilia discatis oportet, 1. quid sit zelus, 2. quæ eiusdem qualitates, 3. quales eiusdem fructus; 4. rationes, quas ad pretiosæ huius margaritæ comparationem esse dixi necessarias: cuius si excellentiã & potentiam videre vultis, plenam in tractatu de passionibus, in Diuersitatibus meis, homiliam reperietis.

Lib. 31. diuersit. c. 64.

FERIA

FERIA IV. POST I. DOMINICAM QVADRAGESIMAE;

De Curiositate.

HOMILIA VII.

Volumus à te signum videre. Matth. 12.

SCITE sanè Lacedæmonius ille respondit percontanti, ecquid veste opertum gestaret, *Ideo*, inquiens, *id opertum gest., vt ipse nescias.* Quo optimè curiosi petitio clauo retunditur. Hoc etiam responso Iudæis aliquod ab eo signum hoc in Euangelio petentibus os occludit Saluator: cuius occasione hodie de curiositate, communi adeò & incommodo per orbem vitio apud vos acturus sum. Videbimus 1. quid sit, deinde vipeream eius propaginē, & 3. denique aliqua eius eradicandæ media suggeremus. Cursum ingredior.

1. Est ipsa, referente D. Augustino, *immoderata videndi sciendiq́; ea, quæ nec expediunt, nec necessaria sūt, cupiditas.* I. *Lib. de vtilit. cred. c. 9.*

2. Ventus Cæcias, longè secùs atque alij venti, aëra purgantes, nubes ad se attrahit: sic curiositas adeò non rebus cognitis magis illustratur, vt etiam mille se obscuritatibus ac turbationibus adobruat.

3. Importunum est vlcus, quod scabendo deterioratur; vitiosus & tetricus humor, quem multa sunt quæ exasperent, & pauca quæ remedio sint.

4. Cucurbitula est, nonnisi infectum ad se attrahēs è cute scarificata sanguinem; & hirudo se ita inflans, vt corruptis humoribus oppleta crepet.

5. Ricinus vermis genus admodum mordax, nonnisi canum aures infestat, vt tabanus tauros: sic curiosus à phrenetica imaginatione sua ita pingitur, vt ne mouere quidem aures tam multa noua inaudiendo queat, adeò vt hæ cerebrum illi vario veluti tinnitu oppleant.

6. Vt

6. Vt vultures eminùs posita, imò etiam, iuxta Plinium, *transmarina cadauera* olfaciunt; sic curiosus sẽper prẹsagit, & exoticas & longè remotas, quæ contigerunt, nouitates indagat.

Plin. l. 10 c. 6.

7. Et sæpenumero, adinstar harum auium, nonnisi ventos haurit, ijsque pascitur.

8. Rumor illi pro pastu est, fumus pro substantia, vanitas pro recreatione, opinio pro sustentatione, & vigilando somniat:

———*Velut ægri somnia, vanæ*
Finguntur species.

Horat in arte.

9. Vbique locorum, modò foris sit, bene habet, adinstar aulædorum & fidicinum, præterquam domi & apud se; &, quoniam propria illi non satisfacit conscientia, de aliena sollicitus est, aut si ad eam penetrare nequeat, in actiones proximi inquirit.

10. Illis persimilis, qui, quòd deformes vxores duxerint, sæpenumero aut reipsa adulteria committunt, aut ad committenda eadem tentantur.

11. Qui ophiusæ herbẹ succum hauserunt, portentosis agitantur insomnijs: nescio tamen an hæc plus torqueant illis, quæ ab extrema quadam curiositate nascuntur.

12. Est enim hæc, vt caro testudinea, quæ etiam vel modicè gustata stomachum grauat.

13. Electuarium item dulce, nonnisi vermes in anima procreans.

14 Curiosi porrò similes sunt pueris in maris littore adeò non vastum hoc ẹquor, aut fluctuum eiusdem agitationem admirantibus, vt solam spumam, cochleas, squamulas ad littus eijci ab æstu solitas colligant: sic illi cùm in vastos mundi motus, & volutiones orbium cælestium inquirere sapientiæ cõparandæ studio deberent, nouitatibus friuolis & inutilibus nugaciter inuestigandis incumbunt.

15. Pictores scilicet inepti, quorum omne studiũ & ars nonnisi in fallacibus & impostricibus vmbris ducendis consistit.

16. Sam-

16. Samson ænigmatis proponendis & amatorijs gryphis dum tempus inutiliter terit, cùm interim heroica singularis suæ fortitudinis facinora edere posset, captus tandem est, & excæcatus. *Iud. 14.*

17. *Dic quibus in terris inscripti nomina regum* *Virgil. Eclog. 3.*
Nascantur flores, & eris mihi magnus Apollo.
In nugis hisce ac fabulis Apollinem age, *Næ magno conatu magnas nugas dixeris.*

18. Vtinam verò, quemadmodum mundus, omnia sidera intra se, sic omnes nostras considerationes, cognitiones, & lumina circa propriam nostri ipsorũ cognitionem haberemus occupata! hæc vtilis curiositas, hæcque occupatio multò futura vtilior est, quàm alienas circum actiones oberrare.

19. Quin ergo interiora nostra rimamur, ab in aliena opera factaque inquirẽdo, & è verbis aliorum de intentione coniecturam formando, & lyncei instar, trans pectoris parietem & clathros intima cordium alienorum perspiciendo alieni?

20. Est reuera languor animi curiositas, & phantasticus incognitusque quidam morbus, cui quod medicamentum adhibeas nescis; fons nihilominus est & seminarium omnium malorum. *Vide l. 15. diuersit. c. 1. longũ tractatũ de curiositate.*

21. Ipsa viperæ instar, è suorum corrosione laterũ, sceleratam sex viperarum, quas modò afferemus, progeniem edit.

1. Prima est inuidia, monstrum illud corda intus depascens: vermis hic è putrido curiositatis ligno enascitur. *II.*

2. Psyches sorores, quarum Platonicus Apuleius in suis meminit transformationibus, curiosius in sororis suæ statum inquirentes, illius cognita prosperitate, mox eamdem illi inuidere cœperunt.

3. Solent homines, vt quidam olim annotauit, limis alienam felicitatem oculis intueri, nec in vllorũ seueriùs acutiusque sublimationem inquirere, quàm illorum, quos se aut inferiores aut pares habuerũt. felicitatis quippe aliena lux & splendor oculis displicet

ſplicet vitij huius lippitudine laborantibus. *Dum ſpectant oculi ſolem læduntur.*

Gen. 37. 4. Ioſephi fratres Iacobi parentum erga illum amorem & propenſionem æmulati, magna æſtuarunt inuidia; & eminus illum in Dothaim abeuntem cōſpicati dicebant ad inuicem; *Ecce ſomniator venit*; experiamur num *ſua illi ſomnia ſint profutura.*

1. Secunda vipera, prioris ſoror germana; eſt malignitas: vnde bene vetus quidam mimoiambicus:

Plaut. in ſticho. *Eſt curioſus nemo, quin ſimul maleuolus.*

2. Si quis regiæ ſtatuæ iniuriam aliquam aut ignominiam irrogaret, an non is in regem in animo rancorem aliquem fouere diceretur? &, ſi ea res propalaretur, aut in vulgus ſpargeretur; an non is vt læſæ maieſtatis regiæ reus comprehenderetur? ſi quis aūt aduerſus proximum, viuam Dei imaginem; odium cōcipiat, ſi quis clàm vel palàm aliqua ei ratione malè velit, ſi eius actiones inſpiciat eaſdē, dein malè interpretaturus, an non is malitiæ ſe reū conſtituit?

III. 1. Si quis (quæ tertia vipera eſt) maledica proximū lingua proſcindat, famam eius lædat, ſingulas eius actiones carpat & quidquid aget ſugillet; an non is Zoilum, Momum, aut iniquum cenſorem aget?

2. Sunt perſpicilia, quæ rem viſam minorem, alia quæ maiorem oculis intuentis exhibent: tales ſunt curioſi, inuidi, maledici, obtrectatores, qui quod allibuerit, de proximo loquuntur, tam bonum quàm malum, prout viſum fuerit.

3. Sed quæ illorū inſcia imprudentia eſt, non aduertunt, ſe, dum candelam emūgunt efficere, ea quidem vt ardeat clariùs, ſibi verò digitos & adurere & fuligine commaculare. Sic dum hi virtutem calumniando exſtinguere allaborant, ea, magno ipſorum probro & confuſione, ſplendidiùs effulget.

4. Fluctus ſunt, qui ad viri conſtantis, & ad molles ipſorum inſultus immobilis ſcopulum alliſi, nonniſi inanem abeuntes relinquunt ſpumam.

Gen. 3. 5. 6. *Calcaneo* quidē *inſidiātur*: ſed virtus tādem victrix

trix illorũ *conterit capita*. Nũquã Deus causam Mosis magis tuendã suscepit, quã dum Aarõ & Maria, frater & soror, aduersus eũ calumniãdo insurrexerunt. *Num. 12*

7. Cos ferrum acutum quæ reddit, se ipsam corrodit & destruit: sic & maledicus & virulentus lingua sibi maius, quàm proximo dispendium affert.

1. Hæresis, quartus serpens, etiam à curiositate progignitur. quot, Deus bone, homines hac pedica & decipula capti sunt? inescati scilicet falsã speciosarum rationis naturalis, qua potissimùm nituntur hæretici, verisimilitudinum esca. IV.

2. Nam scriptura vtũtur vt reti, ad aues illas volatiles & inquietas, sed *omni doctrinæ vento* abripi solitas irretiẽdas, & eas iã irretitas, excæcãdas, fascinandas, & falsarum conclusionum & expositionum suarum funiculis conuinciendas. *Ephes. 4.*

3. Quotnam incautæ animæ, auicularum instar, mendaci impiorum & detestabilium ipsorum librorum speculo deceptæ sunt? Panem scilicet videntur offerre, & merum est virus: bonum obijcere triticũ, sed prauæ ei expositionis viscus adhæret.

4. Sargus piscis capris mirificè delectatur, hinc eũ attracturi & facilius capturi piscatores caprinis se pellibus cõuestiũt. Christianus nihil habet cari⁹, nihil amãtius amplectitur quã Dei verbũ; cuius hæretici nõnisi corticẽ & coriũ nudum, non aũt corpus ipsum & gemini illius sensus spiritum deflorantes, insensatos, si quando aurẽ prębent, decipiũt, quò curiosos hos parum prouidos nec aduertentes *Angelos esse tenebrarum in Angelos lucis transfiguratos*, cassibus suis inuoluant.

5. Vnde spiritus illi incõstãtes, papilionibus haud dissimiles, circa fallacem erroris flãmulam assiduè volitantes, rationis tandem alas, & religionis zelũ ambusti amittunt. *2. Cor. 11*

1. Magia, quinta vipera, etiã curiositatis vtero procedit. testis curiosus ille Apuleius (si quæ metamorphosi illius fides adhibẽda) Lydię sortilegia indagãs & imitans. V.

2. Saulem

1.Reg.28 2.Saulem curiositas ad pythonissam aut ventriloquam consulendam perduxit; atque inde omnes illæ calamitates, quibus ad mortem ceu gradibus descẽdit, ortum habuêre.

Act.8. 3.Simon Magus cùm Apostolorum imitari virtutes miraculaque non posset, famam dumtaxat & nomen captans, Simoniæ simul & magiæ crimen incurrit.

Exod. 8. 4. An non quoque Magi Pharaonis incãtationibus suis vera, quæ in digito Dei operabatur Moses miracula, exprimere & imitari conati sunt? quid verò Pharaonem ad tot signa exprimenda compulit? quid & Iudæos hodierno in Euangelio, nisi vnica curiositas?

5.Vnde tam multi superstitiosi existunt vanis inhærentes verbis & præstigiosis, ad occultos quosdam effectus & maleficia patranda, nisi ex sola curiositate? & magia, quæ occultum & implicitum pactum cum dæmone habet, dicitur superstitiosa; vti expressa & explicita, curiosa; quod alio ostendi loco vberiùs. Lib. diuersitat.

6.Vnde tot prodire censeas chymicos, cerebrum simul & crumenam exsufflantes & euaporantes, tot astrologos iudiciarios, tot diuinatores chiromanticos, metoposcopos prædictores, & alios eiusdem farinæ nugiuendulos, nisi vnica curiositate instigante?

VI. 1.Odium & rancor sextam viperam constituent, quæ amphisibenę futura persimilis, serpẽti bicipiti; vnum namque vitium rarò sine altero est. Curiosus malignus non magis ab hac macula est immunis quàm ab siti & ardore febricitans.

2. Fermentum est, quod nimis quàm acidum & corruptum, optimam cordis, cui inspersum fuerit, massam corrumpit & inficit.

3.Vlcus est internũ medullas ipsas depascens, & partes nobiliores deuorans, exteriora verò mirè deformans. *Educitq; cutem in acies, spiritus tristis &* Prou.17. malignus *exsiccat ossa.*

4.Rubi-

4. Rubigo est omnem animæ splendorem offuscās & absynthium omnem mansuetudinem ceu felle amaricans. Tristes ac ferales Caini curiositatis effect⁹ sensit Abel: cognito namque hunc apud Deum acceptiorem esse, odium ille & rancorē tantum aduersus fratrem concepit, vt nonnisi illius morte sit exstinctus, atque adeò *Gen. 4.*

Fraterno primùm est pollutus sanguine mundus.

Hanc ergo serpentium progenitricem ac matrem fugiamus, fratres, nec tam, vt quidam è veteribus consulit, in aliena simus vita cognoscenda curiosi, quàm de nostra corrigenda solliciti.

1. Primum ergo huius vitij remedium erit, vilitatem eiusdem perspectam habere, quod noctuæ exemplo semper tenebras consectatur (*in tenebris strauit lectulum suum*) & velut serpens angulos, vmbras, opaca, senticeta, & obscuras cauernas conquirit. III. *Iob 17.*

2. Secundum, animo voluere, quo id semper modo punitū sit. Phaethon, Icarus, Prometheus exempla futuri sunt ficta quidem & fabulosa, moraliter tamen vtilia: Eua verò, vxor Loth, Dauid suum recensens populum, ad terrorem verissima.

3. Tertium, viuere sibi apud se, sui solius rationē habendo, alieno id solo serendo, quod nostro longè conuenientius & magis necessariò inseri deberet. Hæc ad seipsum conuersio adeò quidem est salutaris, vt vnum è præcipuis Christianæ Philosophiæ sit præceptis.

4. Quartò credamus, nobisq; persuadeamus, quod fecisse S. Franciscum constat, quemlibet nobis esse iustiorem, ac neminem censura & castigatione digniorem. Recordemur, *oculos* sponsæ esse *columbinos*, simplices, & malitiæ omnis expertes: & *charitas patiens est, benigna est*, omnia in bonum accipiens. *Cant. 1.* *1. Cor. 13.*

5. Quintum est, vt in diuinæ prouidentiæ brachia totos nos proijciamus, & deliciosis *dilecti* nostri misera- *Cant. 8.*

ſerationibus *innitamur*. qui in eadem acutùm cernere ſe credunt, cœcutiunt penitus; at qui nihil omnino eiuſdem intuentur, perſpicaciſſimi ſunt. Romam ad id nominis & gloriæ non aliam ob cauſam perueniſſe auctores veteres teſtantur, quàm quòd genij ſui tutelaris nomen ignoraret: ſic curiosè in myſteria non inquirere, fidem maximopere confirmat. *Non videbis, ſi videris.*

6. Sextum & vltimum antidotum erit, Sanctorum imitandorum exempla conſiderare, quorum ſingularis ſimplicitas monſtrum iſthoc proſtrauit.

Rom. 4. & ibi Chryſ. ſerm. 8. Gen. 22. 7. *Abraham contra ſpem in ſpem credens*, Deo cœcè pariturus vnigenitum ſuum Iſaacum immolatum abibat, curiosè non indagans, quomodo in hoc ipſo filio immolato Dei de ſeminis multiplicatione facta promiſſio vera eſſe poſſet.

8. Beatiſſima Virgo Maria ilicò credidit Angelo Verbi incarnationem nuncianti, nec vlteriùs inqui-

Luc. 1. rens, humillimè & morigera reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

9. S. Ludouicus iam morti proximus, priuſquam vltimum morientium viaticum Vener. Euchariſtiam ſumeret, rogatus, num firmiter indubitanterque crederet, filium Dei in ſacra hoſtia præſentem adeſſe, Credo, inquit, & indubitantiùs etiam, quàm ſi hiſce cum oculis intuerer.

10. S. Elzearius Comes Ariani in Prouincia dicere ſolebat interdum, vt ſuam aduerſus omnes variarum curioſitatum impetus fidem corroboraret, ſe, etſi fortè cùm Angeli de cœlo, tum Eccleſia vniuerſa militans aliquid in fidei articulis immutarent, id tamẽ minimè crediturum. Erat hoc potens ad omnem indagationem curioſam refrenandam frenum.

¶ Oſtendimus ad oculum hactenus, 1. quid ipſa ſit curioſitas, 2. ſextuplicem eius partum, qui eſt inuidia, malignitas, calumnia, hæreſis, magia, denique odium, & 3. ſex aduerſus hocce malum amuleta ſuggeſſimus.

FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMAE:

De Oratione.

HOMILIA VIII.

Domine miserere mei. Matth. 15.

NON tam scitè citoque vulnerati corpore telum educit dictamnũ, quàm è corde afflictionem oratio. Ad oculum id ostendit Chananæa in Euangelio, quod in sacris mysterijs legi inaudistis, quæ orationis adminiculo filiæ, quæ corpore ægro maiori matris animum ægritudine conficiebat, sanitatem tandem obtinuit. Hęc de oratione exhortatione hac exponam, 1. quid sit, 2. quæ eiusdem sint excellentiæ, 3. quas contineat voluptates, & 4. denique ecquæ commoda inuoluat. Ad rem venio.

1. Etymologici ipsum nomen *oratio* ab *oris ratio* deriuant, quasi ipsa oris foret ratio, aut ratio per os declarata: quæ deriuatio solam orationem vocalem, non autem mentalem respicit, ac proinde non satis ampla est; satis est huc eam alludere. I.

2. S. Chrysostomus eam definit, *Colloquium cum Deo*. Videte ergo, ad quam nos hæc virtus magnitudinem sustollat, audaciam nobis & animos tam adorabilis maiestatis coràm compellandæ suggerens. *Hom. 1. in Gen. & li. de orãdo Deũm.*

3. Veteres eam Sophi per alatum Mercurium repræsentabant, quẽ vulgò vt Deorum nuntium & interpretem, & humanarum apud eosdem precum declaratorem habebant: caduceo verò suo animas eum orco educere fingebant.

Hac animas ille euocat orco. *Virgil. 4. Æneid.*

Quo commento docemur, oratione animas, peccato mortuas, ad gratiæ vitam resurgere.

 4. Si

4. Si quando Luna Soli coniungitur, tum supernè quidem magis illuminatur, at infernè apparet caliginosior: etsi contemplatiui & adorationi addicti melancholici ac tetrici esse videantur, quòd communi aliorum conuersationi se subducant, ab eaque se auocent, tunc è cœlo illos illustrari eò magis credendum est, quò scilicet mundi oculis obscuriores ac viliores apparent.

5. Orationem alij esse dicunt vnionem cum Deo, & quidem summam ac perfectissimam. In ea siquidem anima principio suo iungitur, & centro suo se
August. lib. 1. confess. vnit. Hinc dixit Augustinus, *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

6. Beata porrò illa attractio, ac suauissima violentia, quæ ad tantas nos abripit suauitates. O ca-
Cantic. 1. rissime sponse, *trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, & ad aromatum tuorum fragrantiam.

Cantic. 2. 7. O felices amplexus! *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* O iucundum & opta-
Psal. 38. bile incendium! (*in meditatione mea exardescet ignis*) ecquis non accendatur te conspicatus? ô flammans pruna, in crucis tuæ ara nonnisi flammas eiaculans!
Psal. 17. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.*

8. Quando ô blanda & suauis Echo per aures meas resonabis? quando exteriori voci mea interior
Psal. 5. repercussio reciproco sonitu respondebit? *Verba*
Psal. 3. *mea auribus percipe, &c. Voce mea ad Dominum clamaui.* Ecquando verò, animæ meæ sponse, *vox tua*
Cantic. 2. *sonabit in auribus meis, vox* illa adeò *dulcis*, vnicum meorum desideriorum complementum; & *loquêris ad cor* meum *verba pacis*?

9. Si è magnatum commercio, vt dixit olim purpuratus ille Timotheus; cui subscribit Ioannes Chrysostomus, omnia hominibus accidunt & adfluunt bona; ecquorum non fient participes bonorum illi, qui continuis orationibus suis semper in officina *pigmentarij*, in aula & interdum in conclaui Regis

regum

regum verſantur, nectare ſe & fragranti ſacrarum inſpirationum & influxuum diuinorum ambroſia ſaginantes?

Quot reperire palatinos eſt vana ſpe anhelos, quibus poſt moroſam exſpectationem ſufficiat, ſi vel oculum in ipſos Rex conijciat; quique etiam feliciſſimos ſe crederent, ſi ad eum poſſent accedere, tum ad eum alloquendum, tum ad benignum aliquod ab illo verbum accipiendum? quanta ergo orationis eſt excellentia, per quam creatori noſtro adeò familiares reddimur, & tam facilem ad eum aditum nanciſcimur?

1. Quidquid in Ganymedis fabula odioſum eſt, & quidquid in Prometheia commentitium ſeponentes, & capillos illis & vngues, vt Iſraelita puellæ de hoſtibus captæ, præſecantes, inueniemus ſub illarum cortice egregias quoad orationem affabulationes contineri, vtpote quæ nos Dei conuiuas conſtituat, & ſancto quodam de eiuſdem perfectionibus cogitandi deſiderio aſsiduò diuexatos & velut corroſos relinquat. II. *Deuter.* 21.

2. Solos illos piſces lex vetus cenſebat mundos, quib⁹ ſquamas ſimul & pinnulas natura dediſſet, & illi inter omnes homines, qui velut piſces in mundi huius mari natant, excellentiſsimi habentur, qui in ſublimiori orationis gradu verſãtur, & ad diſtractiones repellẽdas munitiores & inſtructiores ſunt. *Deuter.* 14.

3. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ*, dicebat Pſaltes, in orandi materia egregiè verſatus, *& volabo, & requieſcam?* *Pſal.* 54.

4. *Qui ſperant in Domino* (qui verò ſunt hi, niſi qui in oratione aſsidui ſunt?) *aſſument pennas ſicut aquilæ, ambulabũt, & nõ deficiẽt.* Hi ſunt, qui *aſcenſiones ponunt in corde ſuo*: atque, vt aquila illa, quam Iouis in gremio fœtus ſuos excluſiſſe poëtarum fabulis proditum eſt, ſic illi ſpem & confidentiam ſuam omnem intra diuinæ miſericordiæ brachia reponunt. *Iſaiæ* 4. *Pſal.* 83.

5. 6. 7. 8. 9. Ipſa catena illa aurea eſt, quam Homerus com-

rus commentus est ; aut accentu sanctiori scalam
Iacob considera ; ipsa namque vera perfectæ oratio-
Gen. 28. nis est imago. è terra in cœlos scala pertingebat, sic
Psal. 63. orationis adminiculo eleuat *se homo ad cor altum*,
Thren.3. *& leuat se super se*. scalæ huic innitebatur Deus, sic
Psal. 33. *aures* inclinat *ad preces iustorum* Iacob scalam cùm
videret, dormiebat: atque hic exstaticus est sanctæ il-
Cant. 5. lius sponsæ raptus, cuius quidem palpebræ dormita-
Cant. 3. re videbantur, sed *cor* eiusdem *vigilabat*, qui sopor
adeò blandus & lenis erat, vt inhiberet sponsus, ne quis dilectam euigilaret, *donec ipsa vellet*. Angeli porrò per mysticam hanc scalam ascendebant & descendebant: qui enim orationem frequentant, Angeli sunt humani vel potiùs homines Angelici : quo manifestè docemur, per hanc & nos mentem in cœlos sustollere, & ad nos vicissim cælestia descendere: atque hæc vnica est ratio diuina simul & humana coniungendi.

10. Ignis omnium elementorum primum ac princeps semper ad sphæram suam tendit; & anima nostra, quam igneam esse nonnulli finxêre, per orationē suum versus principium suum motum declarat : hinc & ignis Vestæ, quæ orationis & pietatis dicebatur præses, erat insigne.

11. 12. Ignis ceras varias liquat, & inter se cōfundit vnam alteri immiscens : hic quoque ferro se applicans ipsum molle, flexibile, ductile, & alij materiæ vnibile reddit : similes in animarū transformatione, earumque cum Deo vnione effectus habet oratio.

III. 1. In hac porrò vnione quantæ consistunt deliciæ ? tantæ sanè, carissimi, vt sentiri & percipi meliùs quàm exponi verbis queant : dicant , quibus gratiosos hosce fauores, & fauorabiles hasce gratias Deus communicat.

Sap. 16. 2. Nullum est manna etiam mille saporum & delectamentorum discrimina includens, quod cum ijsdem mereat comparari.

3. Est quippe quædam aqua benedictionis, quæ animam

animam noſtram irrigans, eam paradiſum quemdam
conſtituit.

4. Quamdiu per gratiam in cordis noſtri Deus
lectulo *eſt* & *accubitu*, tamdiu *nardus* illa oratio- Cant. 1.
nis exhalat *odorem ſuauitatis* & fragrantiſsimum.

5. Ipſæ, *vinum cum lacte miſtum*, quo cariſsimos Cant. 5.
ſuos in Canticis ſponſus inebriat.

6. 7. 8. 9. Deliciæ hæ ſunt mandragoræ odoriferæ, Cant. 7.
quas cum dilecti ſui donis acceptis amans ſponſa
commutat. Vt enim 1. Mandragora, etiam eminùs o-
dorata, cerebrũ recreat & reficit, ſic oratio vitæ al-
terius felicitates præſentire nos facit, earumq́; velu-
ti promulſidem propinat. 2. Cominùs olfacta olfa-
cientem conſopit & ad dormiendum inducit; quod
mentalium orationis extenſæ & ſupereminẽtis rap-
tuum ſymbolum eſt. 3. Venenum ipſa pellit, ita ora-
tio purgandæ animæ eſt peroportuna. 4. Matrices
ſteriles fœcundat: teſtes erunt mandragoræ illæ,
quas Lia Racheli dedit, quarum illa guſtu concepit: Gen. 30.
hinc & anima in pijs ſanctiſque operibus arida, tepi-
da, quin imò frigida, per orationis exercitiũ fructi- 1. Reg. 2.
fera & fœcũda redditur. *Sterilis peperit plurimos.* Pſal. 65.

10. Sunt etiam *holocauſta medullata*, quæ regius Va-
tes Deo offerebat, id eſt, preces pio ſenſu & attentio-
ne pingues, & *incenſum* arietum, id eſt, candore, pu-
ritate, & innocentia comitatas.

11. Neque enim nouum eſt, thure incenſoque in ſa-
cris libris orationem denotari, euidenter enim apud
Pſalmographũ legas, *Dirigatur oratio mea, Domine,* Pſal. 140.
ſicut incenſum in conſpectu tuo. Et quemadmodum
nullum thus odorem exhalat, niſi flammis iniectũ,
ita nec oratio in ſublime fertur, niſi amoris ardor, &
zeli feruor acceſſerit.

12. Vnde & plerique interpretum, qui trium Ma- Matth.
gorum dona Redemptori oblata allegoricè exponũt, 2.
per thus orationem deſignari volunt; quam ieiu-
nium, cuius myrrha ſymbolum eſt; & eleemoſyna
per aurum expreſſa comitantur. *Bona eſt oratio*
cum

Iob 12. *cum ieiunio & eleemosyna.*

Apo.7. 13. Ioannes cùm in Apocalypsi vidisset seniores illos acceptis thuribulis throni agnum thurificantes, addit, suffitus illos & thymiamata esse *orationes sanctorum.*

Gen. 27. 14. Isaaci patris benedictionem in se Iacob vestimentorum allicuit fragrantia, quam etiam *agro pleno* & florenti pius ille senex assimilauit: sic anima sexcentas in se cœlitus benedictiones orationis adminiculo deuocat.

Cant. 8. 15. *Quæ est ista*, petunt Angeli in epithalamio sancto, *quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* & quænam illa, vestro iudicio, est, carissimi? non alia, quàm anima voluptuosis orationis torrentibus innatans: *torrente* namque *voluptatis* potat eam *Deus, quoniam apud* Deum *est fons* Psal. 35. *vitæ, & in lumine eius videt lumen.*

16. An non ipsa est, quæ *introducitur in cellam vinariam, in* qua *charitas est ordinata?*

17. An non ipsa in paradisum vocatur voluptatis omnigenis abundantem fructibus?

18. An non anima orationi insistens adinstar heliotropis nonnisi ad illustris huius astri radios desideriorum suorum folia expandit, & ad sæculi huius maligni tenebras eadem occludit?

19. An non ipsa paleæ aut ferri dispositi instar omnem succini & magnetis dij amoris sui ductum & situm sequitur?

Psal. 44. 20. Oratio denique *myrrha* est, aloë, & *gutta* cinnamomi, quam sponsæ *vestimenta*, & *domus* eiusdem *eburneæ* exhalant, qua *filiæ regum* ac principum, animę inquam oratione excellentes, *in honore &* voluptate delectantur. Myrrha inquam non modò redolens, sed etiam vtilissima (atque hoc quartum homiliæ punctum est) eò quòd à peccati corruptione præseruet.

IV. 1. Non tam saliua ieiuni serpentem necat, quàm ieiunātis oratio omnigena opprimit peccata.

2. Ani-

2. Animalia ruminantia, quæ sola in veteri lege vt munda habebantur, nonnisi bonis & salubri- *Leuit.* 11.
bus pascuntur herbis: sic qui orationi incumbunt, quique *in corde suo recogitant*, & *vias suas custodiunt*, vt plurimum nonnisi sanctis se addicunt actionibus.

3. Ipsa aqua est benedictionis, cuius grata mollisque irrigatio omnes animæ nostræ partes fertiles reddit; hac intellectus illustratur, memoria corroboratur, voluntas inflammatur, & omnes perfectiones formantur.

4. *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam* *Psal.* 65.
& misericordiam suam à me, canit Psaltes. Oratio namque nostra, & diuina bonitas se inuicem libenter complectuntur.

5. Aspirantes halitum calentem emittimus, respirantes verò frigentem attrahimus ad interiorem ardorem temperandum: sic si inter orandum spiritum feruentem eiaculamur, diuinæ ad nos gratiæ refrigerium attrahimus. Vno hoc verbo insinuat Psaltes,
Os meum aperui, & attraxi spiritum. *Psal.*
6. Quid non *valet deprecatio iusti assidua*? potest 118.
siquidem omnia, quapropter illius emblema con- *Iacob* 5.
stituamus sagittam nullum non scopum ferientem.

Consequitur quodcumque petit.

Petite, ait Redemptor, *& dabitur vobis; pulsate & a-* *Matt.* 7.
perietur vobis. Gutta cauat lapidem, sed continuo delapsu & temporis successione: quomodo ergo perseuerans oratio amabile sponsi nostri, ad nobis benefaciendum adeò cupidi cor non excauaret & penetraret?

7. Importunè & incessanter quid a rege, etiam opulentissimo, postula, petitorum tandem compos redderis: at Deus noster, *qui potens est*, *& diues in misericordia*, nonnisi petere nos ob nimiam suam prodigalitatem vult: stolidi ergo sumus, si non petamus.

8. Parabola de iudice iniquo, quã latiùs deducere- *Luc.* 11.

iam omitto, satis indicat, carissimas illi importunitatem nostram esse delicias.

Iosue 10. *4. Reg.* 20 — 9. 10. Petitè à Iosue, num ad solem sistendum alia adhibuerit media, quàm preces; & ab Ezechia, ad eumdem retrotrahendum?

11. Quid non per orationem in Deum potuit Moses? adeò vt & manus illi vinciret. dixit quippe illi *Exod.* 32. Deus: *Dimitte me, vt irascar.* Sed cùm ille in oratione perseueraret, ecce hic placatur: manus simul & deprecationem sustollit, vincit Israel; dimittit, succũbit & vincitur.

Matt. 15. *Gen.* 32. — 12. Chananæa in Euangelio, quod præ manibus habemus, cum Christo, velut alter Iacob cum Angelo luctatur, nec desistit antè, quidquid ipse obijciat, quã eius benedictionem, & petita obtinuerit, illũ, qui inuincibilis est, flectens, & ad suam voluntaté trahẽs.

Esth. 5. & 7. — 13. 14. *Quæ est petitio tua? Esther*, dixit olim Assuerus, *etiamsi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi. Pete mater mea*, dicebat Salomon matri Bethsabee, *3. Reg.* 2. *neque enim fas est, vt auertã faciem tuam.* quid aũt animæ iustæ neget is, qui *plusquam Salomon*, & Assuerus?

15. Verùm iusta sit anima oportet, vt efficaciter simul & vtiliter oret: qua enim fronte quis Principem oret, cuius antè maiestatem violauit, & cuius potiùs metuendæ secures & exilia, quàm præmia & coronæ sperandæ?

Aug. lib. de perfect. Iust. ad Iuliã. — 16. Serpens vt murenæ se iungat, omne suum antè virus ad fontis cuiusdam labrum eijcit, in quo sese abluit & purgat. id ipsi imitemur, oportet, antequam Deo per orationem iungamur.

17. Arbor, optimi & præstantissimi thuris ferax, rectissimè in altum exsurgit; sic animam rectam imprimis esse oportet, quæ sua vtilitatem ex oratione trahere velit.

18. Vt enim gemma diascorides ori viuentis imposita splendidior exit, mortui autem ori ingesta splendorem omnem amittit: sic oratio talis est, qualis est eamdem fundentis status.

Vidi-

Vidistis hactenus, 1. quid sit oratio, 2. eiusdem excellentias, 3. voluptates quas includit, 4. commoda quæ adfert.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMAE:

De vitiosa Paralysi.

HOMILIA IX.

Domine hominem non habeo.

Ioan. 5.

QVI olim in Nympharum Ionidum fonte abluebantur, ab omni morbi genere curabantur: idem, sed maiori cũ veritate, de probatica piscina, quæ Hierosolymis erat, & cuius Euangelium hodiernum meminit, dicamus oportet. Cuius occasione de spirituali nostra paralysi, quæ nonnisi pœnitentiæ beneficio curatur, vtpote quæ salutaris diuinæ misericordiæ fons est, agemus: quinque ergo sensus nostros excutiemus, eorumque morbos simul & ijs remedia inuestigabimus. Principio ergo

I. 1. Nemini non exploratissimum est, habere nos in corporibus nostris quinque primaria organa, quæ sensus appellamus, eò quòd per eosdem sensibilia cuncta apprehendamus: quos eleganter quinque illæ porticus piscinam hanc ciuitatis sanctæ circumambientes adumbrant: aqua eius est mollis & fluxæ carnis nostræ caducitas: nomen porrò probaticæ pœnitentiam designat veri Christiani signum & probamentum. Verùm in quinque his porticibus quot morbidorum genera cernere est?

2. Quin-

*Matt.*25. 2. Quinque virgines fatuæ & totidem ſapientes denotant alios debitè, alios etiam indebitè facultatibus hiſce naturalibus abuti.

*Nehem.*1. 3. Sunt hi quinque myſticæ Ieroſolymæ, corporis inquam noſtri, portæ.

3.*Reg.*7. 1.*Cor.*3. 4. Quinq; item baſes fundamentales templi eiuſdem: *corpora* ſiquidem noſtra viua *ſpiritus ſancti* ſunt *templa.*

5. Quinque etiam zonæ ſunt microcoſmi, ſicut & totidem ſunt megalocoſmi.

*Ouid.*1. *Metam.* *Quinque tenent prælum zonæ.*

Matt 25. 6. Quinque talenta Euangelica, ad negotiandum cuique noſtrûm donata.

Gen. 47. 7. Quinque ſtolæ, quas Beniamino dedit Ioſeph.

1 *Reg.* 17. 8. Quinque lapides peræ Dauidicæ.

*Ioſu.*10. 9. Quinque reges, quos in crucem agi iuſſit Ioſue: quo documento docemur ſenſus noſtros crucifigere.

*Coloſ.*3. *Gal.*2. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram,* & *Chriſto confixi* eſtote cruci.

10. Quinque partes pœnitentiæ, tres nempe integrantes & eſſentiales, vt puta cordis contritio, oris confeſſio, & per opera ſatisfactio: duæ item ſi non de eſſentia ſaltem de congruo & decentia, ſcilicet præambula præparatio, & ſubſequens in cœpto perſeuerantia.

11. In harum porrò facultatum directione ac diſpoſitione omnis animarum noſtrarum conſiſtit aut perfectio, aut imperfectio. Hinc videas quomodo ſanctus in Canticis ſponſus ex externa dilectæ compoſitione interiores eiuſdem perfectiones colligat.

*Cant.*4. 5. & 7. *Oculi* eius ſicut *columbarum*, aures ad audiendum promptæ, *naſus ſicut turris* elata, *os ſicut vitta coccinea* cinctum, manus gemmis refertæ ſimul & pretioſo vnguento.

Sed iam ſingillatim minutimque ſingulas perſpiciamus. Ecquanta, Deus bone, in oculis noſtris ſita paralyſis & ſideratio? Huc videlicet validiſſima ſua aduerſarij tela dirigunt.

1. Dia-

1. Diabolus, caro, mundus, adinstar Philisthæorum de Samsone ab oculorum effossione vindictam sumere incipientium, summopere & assiduò nostros oppugnant. *Iud.16.*

2. Ad imitationem quoque coruorum, qui cadauerum putiscentium primùm oculos eruunt.

3. Mirum est, quot exiguum hoc membrum morbis obnoxium esse afferant medici: sed nos septem dumtaxat spirituales eiusdem morbos afferamus.

Superbiæ tumor in causa est, cur arrogantes velut noui quidam Antipherontes, nonnisi propriam antrorsum videant excellentiam, vnde fit, vt duplo se maiores credant, quàm reuera sint, sibique persuadeant:

Et geminum solem & geminas se ostendere
Thebas.

4.5.6. Inuidia inuersio quædam oculorum est, quæ ceu lusci, limi, & obliqui redduntur. testes Iosephi fratres, Aman, & vinitores illi Euangelici. *Oculus inuidi nequam est*, inquit Sapiens, quin imo veneficus. *Gen.37. Esth.3. Matt.20 Eccl.14.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos? *Virgil. eclog.3.*

7.8. Ira est quædam sanguinis suffusio, qua fit, vt omnia vilescere videantur, & oculos instar basiliscorũ ardentes efficit, nonnisi cædem & sanguinem respirantes, centrum fallax, & cholera, quæ omnia in passionem suam transformat, non secùs ac vitrum coloratum omnibus circumsecus positis rebus suum colorem aspergit.

9. Auaritia quædam est oculorum perstrictio, quæ auri fulgore visum perstringit, vti vrsi ad radios solares in pelui repercussos excæcari solent.

10. Sic Achan ad transgrediendum Domini mandatum lingulæ aureæ, & chlamydis coccineæ splendore pellectus fuit. *Ios.7.*

11. Concupiscentia oculorum ita insatiabilis est, vt & animam cõsumat. *Tabescere fecisti sicut araneam animam* eius. vt enim aranea se euiscerat ad vanam fragilemque telam texendam, sic auarus ad diuitias *Psal.38.*

manes

inanes coaceruandas ſe exinanit.

Plin. lib. 37. c. 10. 12. Acedia cataracta eſt è nimio marcore ac veterno enaſcens; qualem ſerpentes Sauri dicti in humidis terræ cauernis ac ſcrobibus ſibi contrahunt.

13. Gula, lippitudo quædam offuſcans eſt, paralyticos Tauro ſigno cæleſti ſimiles reddens oculos ſub ventrẽ reflectenti:

Thren. 3. 14. Vel piſci grano, oculos nonniſi in aluo habenti.

15. Luxuriæ potiſsima feneſtra, per quam *animam* ipſa *prædatur*, eſt oculus. Hic ex aqua ſimul & igne conſtat: aqua elementum eſt, è quo nata Venus; ignis verò filij eiuſdem tela ſunt & inſignia. Si à Dina oculos ſuos auertiſſet Sichimorum princeps, à Bala patris concubina Ruben, à Berſabee Dauid, deploranda illorum raptus, inceſtus, & adulterij exempla non haberemus. Hoc enim aditu & orificio letale carnis virus obbibitur.

Gen. 34. Gen. 35. 2. Reg. 12.

III. 1. Quin etiam per aurem; hinc & Adonis, quod à canẽdo nomen deducitur, Veneris eſſe amaſius fingitur.

2. Hinc quidam è veteribus cantum fomitem vocãt Luxuriæ, hinc etiam pauus, vt & ceteræ auium, femellas ſuas clamore excitant, quæ etiam à cantante aucupe capiuntur.

3. Cantus oleum eſt incendiarium, quod per aures inſtillatum cor tandem inflammat.

Virgil. eclog. 8. 4. Cantus incantat. ---- *Cantando rumpitur anguis*, atque huc ſpectat fabula de Sirenibus.

5. Horatius honeſtam matronam monet, aurem vt diligenter à cantante illice auertat:

Horat. lib. 3. odar.

Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu tremulæ reſpice tibiæ,
Et te ſæpe vocanti duram, difficilis mane.

6. Anima noſtra per aures reſpirat, vti capræ Cilices iuxta Alcmæonem: per illas item velut per oculos, cor inficitur, non ſecùs atque corpus per os.

Gen. 2. 7. Si Eua ſerpenti aurem non præbuiſſet, nunquam funeſto dẽtem pomo infixiſſet; qui eheu! morſus tanti nobis conſtat, & quem quotidiè adhuc

luimus,

luimus, nondum satis solutum.

8. Sensus hic vehementem in animam impressionem habet; testis ille tibicen, qui adolescentes corã Alexandro & ad iram, & ad risum, & ad lacrymas mutato semper accentu, & modò Doricum, Ionicũ, & Spondaicum modò modulando emouit. commune exemplum est ille Gracchi perorantis tibicẽ.

9. Fides per aurem instillatur, *fides ex auditu*: sic etiam error & hæresis. Verum simul & falsum per eamdem ingrediuntur ianuam. *Erit tempus, cùm sanã doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* quibus verbis exulcerata nostra ætas describitur. Rom. 10. 2. Tim. 4.

10. Quin & adulatio hac ianua subingreditur. *Oleum peccatoris. In auditu auris obediuit mihi, transierunt in affectum cordis.* Delationes reciprocæ, curiositates, & calumniæ ecqui catharri! Psal. 140. Psal. 17. Psal. 72.

11. Carmina & harmonica tripudiorum & chororum mundanorum symphonia quid sunt, obsecro, aliud, quàm sæculi incantationes, & voluptatis, vanitatis, & lasciuiæ idololatria? Moyses & Iosue, è monte descendentes, eminus Israëlitarum canentium, & circum aureum vitulum chorizando vitulantium & vociferantium clamores perceperunt. Putabat ille festa esse lætantium & iubilantium carmina, hic verò clamores & eiulatus depugnantium. Sic quod mundani honestas recreationes nominant, pij infernalia tripudia & choreas vocare solent. Exod. 32.

IV.

1. Ad odoratum transeamus. Quanta hoc in sensu consistit corruptio! simplicissimus tamen ille ex se est, & si naturam spectes, decens & honestus, sed ipsi, quasi contactum contagiosum haberemus, quidquid tangimus, inquinamus. Lacon quidam nardum puram olfaciens, Malum illis, inquit, qui tantas suauitates adulterant, & arte eas sua deprauant.

2. Verùm

2. Verùm quid sunt, obsecro, omnes illi pulueres cypressini, iridis, aquæ illæ Angelicæ, & resinaceæ, quid superfluæ illæ pyxidiculæ, quid vnguenta illa aromatica & spicata, quid fuci illi cerussati ad fœtidas putiscentesque illas & cadauerinas cuticulas adulterandas sunt aliud, quàm effeminatæ quædam ruptiones & deprauationes?

Sueton. Vesp. c. 8. 3. Vespasianus Imp. quemdam è ducibus molles & peregrinos olentem nidores conspicatus, eum acriter corripuit, pediculos eum potiùs militares, vel allium, vel valli squalorem redolere debere dictitans.

Specul. Exempl. 4. Matrona quædam Hetrusca à vermibus putiscentibus corrosa cùm exspirasset, tam intolerabilem exhalauit fœtorem, vt non esset, qui terræ eam mandare vellet. fœtoris alia non erat causa, quàm quòd iuuenili in lasciuia adulterinis faciem & caput conspersisset pigmentis & pulueribus. Eadem fucatas nostras puellas manet labes & interitus.

5. Euidens interaneæ luis introrsumque latentis infectionis argumentum est, semper vsquequaque bene deforis redolere; nam

Martial. *Non bene semper olet, qui bene semper olet.*

In omnes homo se vertat formas, omnia pigmenta assumat, semper hominem redolebit, id est, esse sui naturalis sordes, fœditatem, & vilitatem.

Idem. *Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.*

Nullum animal homine se enutrit ac pascit delicatiùs, hinc nullius egestio fœtet tetriùs ac deteriùs.

6. Audite, quomodo delicatulos & cincinnatulos hosce per Isaiam Dominus compellet, illos inquam, qui nõnisi rosas, electrum, & suffitus aromaticos redolent, *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Isaia 3.

7. Hæc effeminata mollities impietatis & crudelitatis mater est. Videte enim, vt molliculi & delicatuli hi à pauperum vlceribus, vermibus, pannosis laci-

lacinijs, & inopia oculos auertant, vt in illis propriam *carnem suam despiciant*, omnemque humanitatem exuant. *Isaia 58*

8. Aiebat Dauid, *Longè fecisti notos meos, posuerunt me abominationem sibi*, ad eundem planè modum derelictus inops dicere potest: *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* *Psal. 87.*

9. Martha, etiamsi vitâ integerrimâ, adeò tamen immitis erat, vt Dominum à fratre suo Lazaro ad vitam reuocando dehortaretur, quia *quatriduanus erat, & iam fœtebat.* *Ioan. 11.*

10. Epulonis & Lazari mendici exemplum huc adferri & pluribus poterit extendi. *Luc. 16.*

1. Interim dum ad gustum delabimur, qui non minùs, ac fortasse etiam magis, quàm cæteri sensuum deprauatus est; dic mihi, vbinam sit Philoxenus ille pecuinus, qui gruis idcirco sibi optabat collum, quò vini ac ciborum diutiùs sapore ac gustu frueretur. V.

2. Qui tamen in hoc suo brutali stupore etiã notarat (si modò agnoscere voluisset) vilitatem & insaniam eorum, qui plus nimio sensus huius voluptati indulgent, quæ ad summum nonnisi duos in longitudinem patet digitos, & duorum momentorum spatio terminatur.

3. Sunt autem gulones & comedones persimiles laternis inunctis: vt enim harum præ vnguinosa pinguedine fulgor non apparet, sic illi animæ splendorem crapula & ingluuie sua offuscant, ventris in medio illis superfluitatibus mersæ & adobrutæ.

4. Non absimiles scilicet pisci illi, cui ὄνος inditum nomen, qui totus est venter, & nonnisi venter. sic & horũ *Deus venter est. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & illas destruet.* *Philip. 3.* *1. Cor. 6.*

5. Adam, Esau, Nabal & Epulo Euangelicus, quem antè paulò produximus, euidentia harum comminationum sunt exempla, nec non immanium castigationum, quibus in voracem hanc paralysin animaduersum est. *Gen 3.* *Gen. 27.* *1. Reg. 25.* *Luc. 16.*

Franc. Patricius de rep. l. 5. c. 8. 6. Notiſſimum eſt axioma, *Plures occidit gula quàm gladius.* Et, *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos: vnus ex eis non remanſit.* *Num. 11.* De gutturibus illis abyſſalibus dici poteſt: *Sepulcrũ patens eſt guttur eorum.* *Pſal. 77.*

7. Non itaque tot aues, piſces, & feræ eſca ineſcãtur, quot cacodæmon animas guſtus illicio, & oris ingluuie illaqueat.

8. Qui ſpiritus guſtarunt delicias, brutale & pecuinum hoc vitium deteſtantur, ſenſumq; hunc fræno moderaminis compeſcunt. *Lib. 30. Moral.* Vbi enim, teſte Gregorio, *ſapit ſpiritus, deſipit caro. omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* *Pſal. 106.* Sicut etiam nimium ventris ſtudium & indulgentia omnem rerum ſpiritualium guſtum exſtinguit & necat. Vnde & Iſraelitæ ollis carnium & cibis Aegyptijs inhiantes, clamare ſtomachabundi non ſunt veriti, *animam* ſuam *nauſeare ſuper* manna *cibo leuiſſimo.* *Num. 11.*

VI. 1. Porrò quid aliud eſt tactus, quàm duorum corporum ad tangendum gratorum vel ingratorum, pro læuitate vel inæqualitate ſenſu perceptibili, colliſio?

Quàm multos hac in porticu miſerandum in modum afflictos & morbidos cernere eſt! quot ſordes, quot impuritates? Corpora illicitè contacta, adinſtar liliorum pedibus conculcatorum, fœtent & flacceſcunt.

2. Aqua limpida putiſcit & inficitur, ſi bufonem inieceris: vitia ſi fortiter confricueris, confringes. quin etiam quærunt Iuris conſulti, an *oſculo pudicitia delibetur.*

3. Vnico duntaxat opus eſt halitu ad pellucidi ſpeculi læuorem nitoremque inobſcurandum.

4. Carnes humanæ, adinſtar oſſium leoninorum, colliſæ inuicem & commiſtæ flammas euibrant, & flammas quidem, ſi illegitimæ ſint & non coniugales, fœtidas.

5. Sunt

5. Sunt illæ naphtheæ, & bitumen plusquàm sulphureum, quod ad minimam scintillam inexstinguibilem concipit flammam.

6. Reuocate, obsecro, in mentem violenta illa adolescentis illius apud D. Hieronymum certamina, qui ab illicitis, ineuitabilibus tamen, meretriculæ pellacis molliter impetitus illecebris & contactibus, linguam præmorsam in lasciuæ faciem sui ipsius victor exspuens, carnis incendia restinxit, exemplum reuera commemoratione dignissimum.

7. Ita in hoc mundo iter vitæ nostræ ineamus, vt duæ illæ ollæ fictiles in aqua natantes, quarum meminit apologus; separatim inquam. *Bonum* quippe 1.Cor.7.
est homini, mulierem non tangere, nisi in sancto matrimonij nexu, cuius benedictio delectationis licitæ defectum supplere potest.

8. Quicunque in Mosaica lege immundum quid Leuit.5.
tangebat, legalem immunditiam contrahebat seque inquinabat: itaque in lege gratiæ omnis illicitus vetitus est contactus.

9. Igitur, adinstar apum virginearum, quidquid Virgil. 4. Georg.
cadauerinum est & maleolens, fugiamus, & corpus nostrum ab omni illicito amplexu incendioque illibatum custodiamus.

10. Vnde benè eum anachoretam fecisse censeo, qui matrem per profluentem quamdam traducturus manus manicis obuoluit. Cuius rei rogatus causam, *Ne*, inquit, *te tāgendo, de alia cogitem.* Quantum quidem licet, ab igne palea submouenda est.

11. Notissimum est, quo Lucifer, dæmonum Princeps, spiritus eos plausu exceperit, qui ad peccandū sollicitarant homines; at quæ peculiariter præconia Gregor. in dialog.
in illum effuderit, qui Andream Episcopum Fundanum, virum alioquin vitæ inculpatæ, induxerat, vt matronæ cuiusdam honestæ humerum, per modum applaudentis, manu contingeret; ex actione hac leui magis quam sinistræ intentionis, in ruinam illum breui prolapsurum auguratus.

VII. At quænam omnium sensuum nostrorum, adeò malignè habentium, tamque immani paralysi languentium persanandorum ratio? Vnicum & commune malorum omnium medicamen etiam huic sensuum medebitur pœnitentia.

1. Ad oculorum tollendam paralysin hoc adhibeamus collyrium, quod longè sanè salutarius, quàm chelidonia, qua hirundines pullos suos inoculant.

2. Salutare hoc aurium surditati applicemus origanum, quibus deinde sanctum Dei verbum admittentes, animum exhilaremus. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*. hac nimirum planta suas expurgat testudo. Psal. 50.

3. Ad nares nostras obturatas relaxandas petum & tabacum hoc obbibamus: hæc mox cerebrum à noxijs moribus & humoribus purgabit.

Isaiæ 4. 4. Gustum, serpentis in morem, fœniculo hoc spirituali purgemus, *omnis caro fœnum*.

5. Tactum nostrum per salutiferum hoc dictamnū persanemus, & hoc tela immissasque tentationes eijciet: illiusque vlcera *balsami huius aromatizantis* iniectu emundemus. Eccli. 24.

6. Atque, vt elephantes, amara nos salsaque maris huius aqua expiemus.

7. Vt serpentes, veteres hîc deponamus exuuias, & in viua hac lympha nos abluamus.

8. Lympha inquam viua, quæ magno quodam impetu & profluuio è sacris illis quinque pretiosorum Saluatoris nostri Iesu Christi vulnerum canalibus promanat. Hæc quippe sunt *foramina petræ*, lateris verò plaga, *cauerna maceriæ* est, ad quam dilectam suam inuitat sponsus. Cant. 2.

9. Ipsa vera nicotiana est flos ille medicatus in quinque foliola rubicunda & tres lingulas auratas distinctus, quibus tres theologales virtutes, fides, spes, & dilectio designantur.

Psal. 129. 10. Hi quinque sunt fićli *copiosæ* & superabundantis *Redemptionis* nostræ.

Diximus

Diximus igitur hac homilia, 1. de quinque sensibus in genere, 2. de visu singillatim, 3. de auditu, 4. de odoratu, 5. de gustu, 6. de tactu, 7. ostendimus pœnitentiam salutare esse ad corporibus sanitatem, & animabus sanctitatem reddendam alexipharmacum.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE,

De profectu in via perfectionis.

HOMILIA X.

Faciamus hic tria tabernacula.

Matth. 17. Marc. 2. Luc. 9.

REMORA pisciculus vastam remoratur nauem: tenue gloriæ specimen, quod in Dominica transfiguratione, quam in Euangelio audistis, apparuit, desideriorum S. Petri vela adeò inflauit, vt iam tum nihil aliud desiderare inciperet, itaque sibi de sorte sua plauderet, vt nonnisi de perpetuis ibi tabernaculis figendis cogitaret, adeò scilicet splendor hic & raptus eum inebriarat. Quid verò si integram totamque coràm spectasset gloriam? Sed non est in tam speciosa, Petre, hærendum via, *plus vltrà* pergendum trans ipsas Herculis columnas, & per horrendarum scilicet *igne m & aquam* aduersitatum *ad refrigerium* tendendum. *Psal. 65.*

O fortes peioraq; passi
Mecum sæpè viri, nunc vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus æquor. *Horat.*

Hic igitur tractabimus de ijs, qui in perfectione vlteriùs progredi detrectant, 1. in eadem se esse r...i, declarabimusque semper porrò nobis tend ndum

 esse, 2.

esse, 2. non esse vnquam retrocedendum, 3. illum descendere, qui sese non promouet, nec ascendit vlteriùs; proinde 4. hac in re insigni quadam constantia & generositate opus esse: singula singillatim iam enucleemus.

I. *Matth. 25.* 1.2. Qui parabolam de talentis penitiùs examinabit, hanc inde doctrinam colliget; nefas esse & malum, in seduli nauique patrisfamilias, qualis hauddubie Deus est, domo pigrum atque otiosum desidere: si enim hic in *verba ociosa* & inutilia tam *Matth. 12.* strictè inquirat, quam operum inanium ignauiæque rationem exposcet? An non enim operarijs à nemine *Matth. 20.* conductis in Euangelio inclamat, *Quid statis hic tota die otiosi*? An non seruum, qui acceptum ab hero ta- *Matth. 25.* lentum terræ infoderat, in tenebras ablegat exteriores? quis non igitur festinet huiusmodi impulsus & adactus calcaribus?

3. Quod Vespasianus Imp. de Regibus ac Princi- *Sueton. Vespas. c. 24.* pibus, id nos de Christianis omnibus non immeritò dicere possumus, eos *stantes emori debere*: neque enim aliud eorum est *vita*, quàm perpetua quædam *Iob 7.* *super terram militia.*

Laertius. 4. Socrates etiam tum, cùm virus iam præcordijs cõtineret, lectione animum oblectauit: Anaxagoras in sepulcri sui ora & podio quidpiam commentans, discendo se mori, & moriendo discere velle aiebat. Fertur etiam Protogenes, celebris & peritus ille pictor, manum de tabula tollere non potuisse. Quis igitur Christiani esse debet in benefaciendo ardor? quæ illius in profectu spirituali progressuque contentio?

Tractat. de dilig. Deo. 5. Cùm *modus diligendi Deum*, è mente D. Bernardi, *sit sine modo*, & hæcce dilectio disciplinæ Christianæ sit sine fine, ac modo finis, an nõ optabilis hæc infinitas assiduè & sine fine desideranda?

Bonauent. in vita. 6. S. Franciscus in perfectionis via tantum licèt progressus, *charitate* tamen *Christi vrgente* semper se nequissimum credebat mortalium & indignissimũ.

7. Quan-

7. Quantum ab pio hoc sensu absunt *vituli illi novelli cornua producentes & vngulas*; qui in pietate nonnisi tirones ac nuperi, iam se in contemplatione perfectos & Professos arbitrantur? Psal. 68.

8. Hos similes dixero apiculis illis ac nymphis (hoc namque nomine tenera apum vocatur soboles) quibus rostrum quidem est ad mella matrum cōdita deuoranda, sed haud dum alæ, quibus se foras adinstar matrum librent, perque agros & hortos volitent de floribus mella collecturæ.

9. *Qui sperant in Domino* (quales sunt animæ illæ generosæ, & profectus sui studiosæ) *mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*, & ad nubes vsque sese extendent. Isaia 40.

10. Imò, adinstar aquilæ, de qua in fabulis, pia desideriorum suorum oua in diuinitatis ponent gremio. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?* Psal. 10.

11. Sunt hi velut *greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Cant. 4.

12. Flumina quę sui in exortu vt plurimùm nonnisi tenuia stillicidia sunt, quo loco in mare se exonerant, vasta & capacia habent ora, vt quę varios in cursu hinc inde suo secum torrentes & amnes trahunt. His assimilarim eos, qui bene agere occipiunt, quorum est semper increscere & proficere, quoad vitam ponant. Hanc etiam ob rem ascetici & spiritualium rerum magistri tres virtutis studiosorum constituunt classes, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.

13. *Iustorum semita*, ait Salomon, *quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diei.* Insignis sanè similitudo, quamque vobis expendendam relinquo. Prou. 4.

14. Ipsa etiam sponsa, anima inquam pia, an non *aurora consurgenti*, vel crepusculo meo- Cant. 6.

lo matutino, solem ad meridiem vsque paulatim prouehenti roseis digitis suis opacum noctis velamen amouenti, & humentibus roris guttulis gemmulas per florida prata diffundenti comparatur?

II. Eia igitur, progrediamur, *festinemus ingredi in requiem*, cùm tot tantisque rebus ad hunc progres-
Hebr. 4. sum inuitemur. Neque ea nostra sit segnities & imbecillitas, vt si semel iter hoc calcare incœperimus, retrò oculos conuertamus, qui enim *mittit*
Luc. 9. *manum ad aratrum, & respicit retrò, ineptus est regno Dei.*

Gen. 19. 2. Horribile rei huius exemplum vxor Loth est: cui, si fas sit, addere possumus fabulam Orphei ad inferos properantis, qui ob curiosam & incredulam retrospectionem Euridicen vxorem, quam plectri cantusque sui suauitate ab inferis reduxerat, rursus amittere dignus fuit.

Luc. 9. 4. *Sinendi* igitur *mortui sepelire mortuos suos*, omnia, *si perfectus* quis *esse velit*, *abneganda*; & omnibus, quò dignus Domino Iesu Christo fiat discipulus, sine dolore ac pœnitentia, nulla conditione præfixa, sine vlla denique cunctatione valedicendũ.

5. 6. Neque enim *filijs Ephraim* similes nos esse o-
Psal. 77. portet, qui *intendentes & mittentes arcum, conuersi*
Psal. 113. *sunt in die belli*, sed, vt *Iordanes*, *conuerti retrorsum*, vel, vt fluuius ille, de quo ingeniosus Poëta:

Ouid. *Xanthe retrò propera, versæque recurrite lymphæ.*

Heroid. 7. 8. Qui olim in prælio auerso occubuerant vul-
Oenone. nere, indigni, quorum corpora terræ mandarentur, habebantur. Numquam vera generositas ac fortitudo hosti tergum obuertit. Hinc Lacedæmonios ferunt semper in prælio petere solitos, vbinam essent, non verò quot numero essent inimici, occumbere in loco satius arbitrati quã locũ deserere fugiẽdo. Minorne nostra erit in cælesti gloria vera, quàm fuit Ethnicorum olim in terrena ac vana conquirenda constantia?

9. Neque

9. Neque enim respicere oportet exiguum, quod egimus, boni huius quippe memoriam nobis cacodæmon numquam non refricat, quò nobis illa blandiamur, nosque hoc pacto decipiat; videamus potius restare adhuc

Nobis pelagi permagnum littus arandum;

quod nondum mensus est is, qui primùm incipit.

10. *Quæ retrò sunt*, vt quidem egregiè suadet Apostolus, quod vtinam monitum omnes notent! *obliuiscentes, ad ea quæ sunt priora extendentes nos ipsos, ad destinatum persequamur, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.* *Philip. 3. & ibi Chrysost.*

11. An non id ipsum nobis antiquitas in duplici illa Iani facie expressit? quarum vna senilis retrorsum bonorum operum denotabat obliuionem, altera iuuenilis antrorsum, semper esse generosè in cœpto bene agendi itinere progrediendum significabat.

12. Ac nunquam ab inchoato perfectionis nostræ ædificio construendo cessandum: ne si fortè in medio deficiamus, ab improperantibus & exprobrantibus per ludibrium audiamus, *Hic homo cœpit ædificare & non potuit cõsummare*, quòd illi desit prudentia, perseuerantia, & longanimis constantia. *Luc. 14.*

III.

1. Si quis parietem imperfectum & recenter constructum, cæli iniurijs expositum & apertum relinqueret, primus hunc imber destrueret, & protinus deuastaret, ita (vt ad tertium nostrum punctum veniamus) qui vlteriùs non ascendit, descendit, qui non progreditur, retrogreditur.

2. 3. *Qui non est mecum* (ait Redemptor) *contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit*, qui præ segnitie mane primo manna non colligebant, die toto fame conficiebantur. *Luc. 11. Exod. 16.*

4. Animalia Ezechielis & Apocalypseos semper *gradiebantur, nec reuertebantur cùm incederent, & requiem non habebant.* *Ezech. 1. Apoc. 4.*

5. Horologium, cuius rotæ non voluuntur, inutile est, &

est, & defectum habet.

Gregor. in pastor. p.3. c. 35. 6. Nauis, quæ venti vel veli defectu in ancoris stat fixa, tantùm iter suum retardat ac remoratur.

7. Nauis, quæ flumine aduerso fertur, nisi vel remorum impulsu, vel equorũ attractu progrediatur, aquarum impetu abacta, haud dubiè secundo flumine retroferetur.

8. Qui per varias domos hinc inde oberrat peregrinus, & ad singulos agros quiescit, nonnisi serò admodũ ad fixum peregrinationis terminũ perueniet.

Epist. 9. ad Abbates. Bernard. epist. 253. 10. Singula hæc Christiano inerti accõmoda: nam *in via Dei non progredi, est regredi*, ait Bernardus; atque *ibi quis desinit esse bonus, vbi incipit fieri nolle melior.*

Horat. Epist. 11. Quin bonorum spiritualium cupidi simus? ô sancta ac laudanda cupiditas! *Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. Semper auarus eget. Quis metus aut pudor est nimiùm properantis amici?* Quin pari ad cælestia conquirenda bona stimulo atque ardore ferimur? Terræ nunquam satis habemus, & quæ ad pietatem spectant, semper nimia & plus æquo longa sunt.

Psal. 16. Psal. 131. Psal. 72. 12. Dauid rex, hac rerum cælestium fame laborans, exclamat, *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Non dabo requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. A te quid volui super terram?*

Prouerb. 31. 13. Auaritia hac & cupiditate cælesti acta sponsa dicitur in *congregandis diuitijs vniuersas filias Ierusalem supergressa.*

Gen. 28. Bernard. Epist. 241. 1. Cor. 10. 14. Respicite scalam Iacob, quæ vera viæ ad perfectionem imago est: omnes in ea aut ascendunt, aut descendunt; nullus quiescit, aut fixus hæret. *Qui stat, videat ne cadat.* In via cælum versus, qui non procedit, recedit.

IV. 1. Vt quis verò procedat & porrò progrediatur (quartum id nostrum punctum est) insigni opus est constantia.

Nil

------Nil sine magno Horat. li. 1. Sat.
Vita labore dedit mortalibus. 9.

Hæc porrò constantia ex ipsomet oritur progressu & profectu, præsertim cùm in eo perseueratur ad finem vsque.

Omnia fert ætas, animum quoque.

2. Qui arma abijcit miles, omnibus tum veterum, tum modernorum militaribus legibus exauctoratur, ac velut iners & ignauus castigatur; & Christianus, velut degener aquilæ pullus, ad solis obtutum conniuens, ceu indignus, qui sub illustribus crucis signis militet, repudiatur.

3. Qui in stadio currens moras nectit, nunquam coronam aut brauium consequetur; *sic currendum* est, 1. Cor. 9. suadente Apostolo, *vt comprehendamus.*

4. Sponsa illa amans non defatigatur, cursitans per *montium* aspera, & *vallium* decliuia, *quærens* Cant. 3. *quem diligebat anima* sua; quoad eo post sedulam conquisitionem & perseuerantem patientiam inuento protestatur ita se eum arctè complexuram, nunquam *eum* vt posthac amplius *dimissura* sit.

5. Iacob post longã cum Angelo luctam tandem benedictionem ab eodem extorsit; quam profectò non Gen. 32. obtinuisset, si illi defuisset constantia.

6. Dicebat Isaaco Rebecca, *Da mihi liberos, aliequin moriar*, importunisque suis Deum querimo- Gen. 25. nijs adeo fatigauit, vt tandem mater facta fœtum ediderit: si non orando perstitisset, sterilis & infœcunda mansisset.

7. Non datur initio certaminis, nec in medio corona, sed ipso iam peracto. *Qui citò nimis*, aiebat quidam Themistocli, præcipitem eiusdem animum refrenaturus, *repagulis prorumpunt, retinentur*; *at*, referebat ille, *qui nimis serò, lauream etiam non consequuntur.*

8. Vsu ferrum splendescit, politur, & acuitur, sic constans animus assiduitate.

9. Hæc

Eccl. 24. 9. Hæc magnanimitatis virtus sponsæ non defuit, quæ dicta propterea est *exaltata quasi palma in Cades, sicut plantatio rosæ in Iericho, quasi platanus exaltata iuxta aquas, & quasi Cypressus in monte Sion.*

10. Nec verò rei impossibilitate inertia ignauiaq; nostra pallianda est; quasi verò ad Parnassum perfectionis ascensus fragilitati imbecillitatique nostræ nimis quàm arduus sit ac difficilis: temeraria enim ac stolida quædam foret præsumptio, si nostris eò nos tibijs, non exspectato, nec habito de cœlis subsidio,
Phil. 4. pertingere posse speremus. Sed, Deum immortalem!
Psal. 17. quid non *possumus in eo, qui nos confortat*? an non *murũ in* adminiculante *Deo transgrediemur*? an non à gratia Dei prouenit tàm quod sumus, quàm omne quod operamur bonum?

11. Quis ignorat, magis vnico triremem in mari prouehi venti flabro, quàm centum remorum impulsibus, & gratiæ effectus infinitis partibus infirmitati nostræ antecedere? sine ipsa quippe multò brutis animalibus sumus inferiores, cum ipsa verò Angelis superiores ac potentiores.

Lib. de spirit. & littera c.36. 12. Verùm dices, Tanta nostra imperfectio est. at huic difficultati sic respondet Augustinus. *Is*, inquit, *multum in hac vita profecit, qui proficiendo, quantum à vera iustitiæ perfectione distet, intellexit.* Nostra siquidem perfectio non tam in eo sita est, vt omni prorsus vacemus imperfectione (fieri enim planè id ne-
Psal. 18. quit) quàm vt imperfectiones nostras probè perspectas habeamus. nam quò magis *occulta* delicta agnoscimus, eò lumen nostrum spirituale magis increscit; & illi alijs sunt imperfectiores, qui minùs esse se credunt imperfectos; illi alijs cœciores, qui cernere se putant acutiùs.

13. Ne igitur in animæ purgandæ studio segnescentes defatigemur: neque enim id antè nos ponere, quàm vitam, oportet. semper nauigij, tametsi vnctissimi, piceatissimi, fortissimi sentina exhaurienda est. Siquidem Dæmonis ea versutia est, nostrum, si quidem

quidem impedire nequeat, retardare ac remorari cursum omni contentione allaborantis, vt *suaue* Domini *iugum, & onus leue* quasi durum & humeris intolerabile nobis depingat. Matt. 11

14. Eisdem igitur animas nostras considerationibus, siquando inani hoc pauore perculsæ sunt, excitemus, quibus ab sua Augustinus, dum primùm ad Deum conuersus meliora cœpit respicere, eum fugauit. Eas qui nosse voluerit, in Confessionum eius libris ad longum deductas leget. Lib. 8. confess. cap. 11.

Interea hac ex homilia infixum menti vestræ hæreat, 1. semper esse in perfectionis semita progrediendum, 2. numquam verò retrocedendum, 3. qui in anteriora non connititur, eum retrò relabi, 4. animositate hac in re opus esse; vti & nobis animus minimè deest, ad crastina apud vos die eadem de re disserendi; si modò videam, ita eam vobis, carissimi, vtilem esse, vti quidem auribus eam vestris gratam accidisse ex oculis ipse vestris videor colligere.

FERIA II. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE:

De progressu in virtutibus.

HOMILIA XI.

Ego vado, & quæretis me. Ioan. 8.

EQVI refractarij & restitatoris est virgæ lupatisque pertinaciter obluctari: sed *durum est contra stimulum calcitrare.* Iudæi adeò non è Act. 9.
sanctis salutaribusque Redemptoris Christi exhortationibus commodum reportant, vt iisdem magis obdurescant, & fiant deteriores. Quare ipsis in

Ioan. 8. Euangelio, quod hodie legendum proponitur, Saluator comminatur, ab illis ſe quærendum, non tamẽ inueniendum; ſed in peccatis ipſis ſuos demorituros. Deteſtabilis ille progreſſus eſt, quando *abyſſum inuocat abyſſus*. Se verò in Euangelij fine *ſemper*, ait, *voluntatem patris* ſui *facturum*, *creſcendo ætate & gratia apud Deum & homines*. Illius ergo imitatione ad progrediendum in virtute excitabimur; cuius materiæ occaſione dicemus, 1. quis hic ſit progreſſus, 2. ecquæ eius neceſſitas, 3. quænam vtilitas, 4. aliquot, quibus quotidie magis ac magis in benè agendo proficiamus, rationes ſuggeremus. Stadium ingrediamur.

Pſal. 41. *Luc.* 2.

I. 1. Profectus ſpiritualis, vt quidem propriè loquamur, aliud non eſt, quàm vlterior in virtutum comparatione progreſſus, ab incedentibus gradientibuſque ductâ metaphorâ. Nam, vt bene contemplatiuus ille Doctor, *proficere quoddam eſt proficiſci*; vt ex ipſo etymo definitio trahi queat.

Bernard. ſerm 2. *de natiu. Domini.*

2. De ſic progredientibus loquitur hoc modo Pſalmiſta, *Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem*. & antè paulò, *Beatus* vir, qui Dei ope *diſpoſuit aſcenſiones in corde ſuo*. Vnde Litteralis Doctor Hieronymus infert, hunc in cordis penetralibus *aſcenſiones diſponere*, qui priora benefacta obliuiſcitur, in noua facienda ſemper intendens, quique quotidie in melius proficit. Vt enim profundiùs in dies iniquus ac peccator in perditionis abyſſum deſcendit, ſic & iuſtus in dies altiùs in ſcala pietatis aſcendit.

Pſal. 83. *& ibi Hieron.*

Eccl. 24. 3. *Qui edunt me*, inquit Sapientia, *adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*: quò enim plùs quis in virtute proficit, eò vehementiùs proficiendi increſcit deſiderium. In quo, teſte Magno Gregorio, ciborum & corporalium & ſpiritualium relucet diſcrimen: illorum enim carentia famem generat, fruitio faſtidium; horum verò carentia parit deſipientiam, deguſtatio deſiderium, & quò ſæpiùs ſumuntur, eò magis

Hom. 50. *in Euãg.*

magis desiderantur. In illis delectat fames, displicet sumptio; in his esuries & velle tędio est, gustus & experientia voluptati. In illis appetitus saturitatem, & saturitas nauseam causatur, in his post desiderium sequitur saturitas, & hæc quidem nouo plena appetitu; quin & fruitione increscit fames, & eò quæruntur magis ac diliguntur, quò gustantur sępiùs, & nónisi ab ijs repudiatur, qui eos nunquam degustarunt.

4. 5. Rei huius causa infinita animæ nostræ capacitas est, & limitata circumscriptaque corporis extensio: cùm igitur anima pro modulo tantùm dilatatur, quantum repletur, hinc nullus in virtutis progressu terminus datur, & finem hæc scala non habet.

6. *Iustus* ergo *iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* quid enim aliud sunt *iustitiæ nostræ* ad diuinitatis radios excussæ, nisi sordiduli *menstruatarum panni?* Et omnis nostra perfectio, vt quidem D. Gregorius loquitur, imperfecta est, si rigidè exacteque eam disquirat Deus. *Apoc.* 12. *Isaia* 64.

7. Ad Salomonis thronum, qui virtutis est symbolum, nonnisi per varios gradus leunculis, tentationibus, & grauissimis difficultatibus obseptos aditus patet. Nec in templi ipsius fastigium aliter quàm per angustissimos quosdam gradus, & sinuosam & perdifficilem cochleam ascenditur. 3. *Reg.* 10. 3. *Reg.* 6.

9. Semper ascendere, atque in altum nos librare oportet, adinstar ignis, aut velut *virgula* illa *fumi ex aromatib.* cõflata, de qua in Canticis; seu adinstar *fumi incensorum*, quẽ Apocalypsis describit: quæ animarũ sanctarum ad perfectioné adspirantiũ symbola sunt. *Cant.* 3. *Apoc.* 8.

10. Cur nucibus hisce terreis cum pueris adhærescimus, cum *manentem hic ciuitatem non habeamus, sed futuram inquiramus?* *Hebr.* 13.

11. Næ ille fatuus, qui in itinere suo festinans, singula curiosiùs inspicit castella, omniaque, quæ se spectanda offerunt, loca.

12. Sæpè equum præcipiti in cursu contendentem emicans subitò quidam fulgor retinuit, eumque à

coepto

cœpto incitu retardauit, ſæpè etiam equitem ſella excuſsit. Sic, quàm multi à cœpta virtutis via deflexerunt quiſquiliarum fulgore illecti, in qua feliciter ſatis aliquouſque proceſſerant?

Ouid. Metam. 13. Exẽplo ſit & argumento Stadiodroma illa nympha, quæ ſparſis hinc inde pomis colligendis moram trahens curſu antegoniſtæ victa eſt.

14. Mus elephantinæ proboſcidi adhæreſcens hieroglyphicum priſcis erat eorum, qui, cùm magno ſunt ingenio, rebus nugacibus & inanijs agglutinantur.

1. Reg. 6. 15. 16. Vaccæ illæ, quæ vitulorum relictorum deſiderio mugientes, arcam quam trahebant plauſtro impoſitam, propè in terram excuſſerunt, ſatis de-*Exod. 16.* clarant, neminem poſſe de manna comedere, qui ad allia & cepas ſpirat; neu cœleſtibus inhiare, qui terrenis afficitur.

17. Vitæ huius mortalis tempus, tempus eſt ope-*Ioan. 9.* randi & proficiendi. *Veniet nox, qua nemo poterit operari*, quæque opera concludet. quapropter *dum lucem habemus*, ſedulò operi incumbamus; ſi modò id habere nos verè dicere poſsimus, quod adinſtar ſomni fugacis euaneſcit.

18. Occaſio (vt exploratiſsimum cuiuis eſt) fronte eſt capillata, & retrorſum calua. quod ipſum in E-*Ioan. 8.* uangelio hodierno Saluator Iudæis apertè declarat; & celebris quidam Doctor ait, *Pœnitentia ſæpè non vera vbi ſera, aliquando etiam nulla.* Videas quippe plures ſenes præteritam ſortem ſuam dolere, quàm ea contentos & quietos eſſe.

Vidi ego iam iuuenem, premeret cum ſerior ætas,
Mœrentem ſtultos præteriiſſe dies.

Matth. 25. Cùm tempus ad nuptias ingrediendi præteriſſet elapſum, virgines fatuæ ab ijſdem excluſæ ſunt.

Igitur progredi oportet; ſed oportet. en neceſsitas: idque varias ob cauſas.

¶ II. 1. Prima eſt, quòd vnumquemque ad perfectio-*Matth. 5.* nem tendere neceſſe ſit. Vnde cœleſtis iuſsio, *Eſtote perfecti*

perfecti, si ut Pater vester cælestis perfectus est. Ceterùm festinato opus est, vt eò quis pertingat.

2. Secunda ipsa imitatio Redemptoris, qui *exemplum* nobis *dedit, vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus,* eiusque vestigia insistamus, excitare nos debet. *Charitas Christi vrget nos,* ait Apostolus, *nisi* vt bene infert S. Bernardus, *illius scholæ videri malumus inepti.* *Ioan. 13.* *2. Cor. 5.* *Epist. 141.*

3. Tertia est, commune illud decretum, hac in re *non proficere, esse deficere.* De quo amplè iuxtà atque eleganter S. Augustinus & Bernardus locis ad marginem indicatis scribunt. Is à Deo recedit, qui ei non fit vicinior; *qui* autem *se ab eo elongant, peribunt.* *August. in psal. 69. Bernard. epist. 341. 253. Psal. 72.*

4. Qui se à turma sua sequestrat miles, haud multò pòst interficitur, etiamsi omnium validissimus, etiamsi Goliadas foret.

5. Quæ se à grege segregat ouicula, in discrimine in lupinas fauces incidendi versatur.

6. Is à recta deuiat semita erroribus inuoluẽdus, qui separatam quamdam & vmbrosam consectatur viam. testis ipse Ionas Propheta, qui sub hedera requiescens à cœpto Niniuen versus cursu deflexit. *Ionæ 4.*

7. Qui manum mutat iaculator, nec fixè scopum signumque intuetur, nunquam eum feriet. Ad perfectionem sine vlla prorsus defatigatione aut intermissione, sed solida fixaque æquitate tendendum est: alioquin nihil vmquam boni fiet: *qui* enim *mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* *Prouerb. 18.*

8. Quarta, quæ nos ad progrediendum impellit ratio, est, quòd nihil hac in vniuersitate rerum sit, quin assiduò laboret; supernè quidem cœli suo in motu, ignis sua in actiuitate, planetæ suo in cursu, infernè suo in fluxu flumina, sua in agitatione ac volutione aër, singula suis in operationibus animalia, in suo volatu aues, natatu pisces. imò verò, vt præclarè ostendit Bernardus, ipsi mundi sectatores & cosmophili assiduè in actione præ rerum terrenarum studio versantur: quomodo enim sudant, con- *Epist. 341.*

tendunt & vigilant superbi, auari, ipsi etiam fures?

Prou. 6. 9. Ipsæ apes & formicæ segnibus etiam pudorem incutiunt, & ad diligentiam cohortantur. Illarum opera sedulitatemque magnus Poëta integro complexus est libro, harum verò obiter hac indicat similitudine: *Virgil. 4. Georg.*

Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Cùm populant hiemis memores, tectoq; reponunt.
It nigrum campis agmen, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, prædamq; per herbas
Conuectant calle angusto, pars agmina cogunt,
Castigantq; moras, opere omnis semita feruet.

Denique omnia tàm sensu prædita, quàm sensus expertia semper profectui insistunt & progredi connituntur: solus porrò *homo*, qui *natus ad laborem*, in virtutũ progressu profectuq; vlteriori negligẽs erit? *Iob 5.*

10. An non ouis, quæ in pascuis non pinguescit, ab reliquo velut infecta & contagiosa abigitur grege?

11. Ager sterilis an non incultus relinquitur, vepribus & sentibus passim excrescentibus velut in prædam, & negligitur?

Matth. 21. 12. Ficulneæ non feraci maledixit in Euangelio Redemptor: & *omni arbori, quæ non facit fructum bonum*, excidium & incendium ipse comminatur. *Matt. 7.*

Apoc. 3. 13. *Tepidus* omnis *ex ore* Dei *euometur. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Is etiam *maledictus est homo, qui facit opus Dei negligenter* & segniter. *Ambros. Ierem. 48.*

Ouid. 10. Metamorph.

Audentes Deus ipse iuuat, timidosq; repellit.
Non est è terris mollis ad astra via.

Si verò necessarius hic sit profectus, quantò maior eiusdem vtilitas, cùm ipse ad Deum nos, & ad nos Deum pertrahat?

III. *Cant. 2.* 1. Dicitur Sponsus *pasci inter lilia*; quorum proprium est semper patente calyce folia expandere, & repando reflexu, quoad quidem licet, incuruare. Lilia, inquam, quorum succus bufonibus letalis, odor serpentibus grauis, quæque semper nigras *inter spinas &*

nas & vepres integra floridaque, donec tandem emarcescant, perseuerant. *Ibid.*

2. Feruidus scilicet hic progressus est, qui tantum itineris exiguo temporis spatio conficit, ac tot defectus reparat & corrigit; *caritas* hæc æstuans tantam *operit multitudinem peccatorum*. Ardor hic è maximis peccatoribus feruentissimos constituit Pœnitentes. *1. Pet. 4.*

3. Viator, qui æquo diutiùs in diuersorio diuersatus est, gressum agglomerat festinans, vt antè diurnum suum conficiat iter, quàm à nocte opprimatur.

4. S. Paulus, Magdalena, filius Prodigus euidentia rei huius sunt exempla, qui *consummati in breui expleuerunt tempora multa*. Primus vnico momento de vase contumeliæ & furoris factus est *vas electionis* ac fauoris: secundæ *multa dimissa sunt peccata, quia dilexit multum*. Postremus verò in pristinum est post bonam & integram resipiscentiam restitutus statum, imò eò factus patri carior, quò fuerat miserabilior. *Act. 9.* *Luc. 7.* *Luc. 16.*

5. Acerrimum pœnitentiæ acetum è fortissimo dissolutionis præcedentis vino acescit.

6. Is equus fertur velociùs, qui calcaria sentit in lateribus: ita is ad bene agendum se accingit, qui *recogitat annos* & mala priora *in amaritudine animæ suæ*. *Isaia 38.*

7. Miles viso sanguine suo longè fit animosior; equi lupi faucibus erepti ceteris esse feruntur generosiores. Illud alijs citiùs pomum maturescit, cuius nucleum vermis intus adedit & depascitur: sic illi vt plurimùm peccatores maiores in virtute faciunt progressus, qui pluribus onerati fuêre vitijs, quosque grauiùs modò cruciat & remordet scelerata olim conscientia.

1. 2. Disquiramus & alios, qui ad hunc nos progressum exstimulent, aculeos. Primus erit, quòd nũquam vera virtus dicat: *Satis est*; quod ipsum pluribus demonstrat eo quem supra indicauimus loco Bernardus. Vna ceteras omnes continua quadam IV. *Epi. 243.*

quadam serie, & connexu necessario ad se vocat, non secùs atque ansæ catenæ cuiusdam inuicem connectuntur. Virtutum namque contextus telæ texturæ est persimilis, difformi futuræ, si vel vna macula filumque desit aut distortum sit.

3. Secundus erit, magni illius & perfecti Gentium Apostoli Pauli exemplum, qui quamuis mille mortis discrimina subijsset, mille ærumnas, mille pericula, sexcenta molestiarum & laborum genera propter Christi nomẽ exantlasset, vt ait Chrysostomus, nondum tamen ad perfectionis se scopum peruenisse liberè confitetur; vt quem ardens sanctusque adureret zelus maioris semper profectus faciendi, & Christum lucrifaciendi.

Phil. 3. & ibi Chrysost. hom. 12. & hom. 2. in Gen.

Psal. 142.

4. Tertia progrediendi ratio est cælestis imploratio auxilij, sumus enim *sicut terra sine aqua*, ac steriles, si cæleste nobis non affulserit auxilium, inde enim omne bonum descendit.

3 Epist. Ioan.

Gen. 28.

5. Quarta est propriæ industriæ adminiculum & opem adiungere; nos enim *cooperatores sumus*, remigibus quasi velo expanso succurrentes. Angeli, qui in Iacob scala ascendunt & descendunt, alas habent & pedes; quibus reciprocum mutuumque denotatur auxilium, vt nimirum diuinæ gratiæ alæ, & operationum humanarum simul concurrant pedes.

6. Quinta est, assiduè conscientiæ nostræ speculum, adinstar mulierum de venustate sua laborantium, consulere, ne quam in anima deformitatem aut maculam feramus, ob quam cælesti suo sponso aut reddatur ingrata, aut ignotior.

7. Continenter itaque prauorum habituum nostrorum puluerem excutiamus, non secùs ac vestibus sordes extergimus.

8. Sexta ratio progrediendi est, non singulis diebus modò, sed & momentis, bona quæ statuimus tum vitæ emendationis, tum in meliora progressus proposita renouare: quod pium exercitium sacra scriptura

scriptura sub *aquilæ renuenescentis* symbolo figurat. *Psal.* 102.

9. Numquam non credamus & dicamus, nunc primùm nos conuersionis viam ingredi, & meliora respicere cœpisse. *Ego dixi, Nunc cœpi. Hæc mutatio dextræ excelsi: tunc dixi, Ecce venio.* Et assiduè bona nostra desideria redintegremus. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* *Psal.* 76. *Gregor. l.* 22 *Moral c.* 20. *Ephes.* 4.

10. Sanctorum affectuum alas indesinenter redintegratisque viribus concutiamus, vt in progressus huius cœlestis volatu atque aëre defatigati minimè prolabamur.

11. Ac cordis nostri horologium frequenter intendamus, quod alioqui terrenarum rerum pondus nũquam non plus nimio cogit descendere, degrauat, & relaxat. Denique *de virtute in virtutē* semper *eamus*, quoadusque *videamus Deum Deorum in Sion.* Quod vobis, carissimi, benignissimus Dominus Iesus concedere dignetur. *Psal.* 83.

Simul etiam, illo dante, ex hac adhortatione memoriæ insculpite, 1. quid sit progressus in virtute, 2. quàm is sit necessarius, 3. quantam simul vtilitatem adferat, 4. quibus Angelica hæc virtus in animabus nostris vigere queat & conseruari medijs.

FERIA III. POST DOMINICAM II. IN QVADRAGESIMA:

De vana gloria.

HOMILIA XII.

Super Cathedram Mosi sederunt scribæ, &c. Matth. 23.

ASINVS ille Emblematicus, qui oblatos Isidis simulacro, quod tergo gestabat, honores sibi audacter ambiebat, ab agasone fustibus *Alciat. embl.* 7.

contusus fuit, & irrisus, quòd quæ ad se minimè spectarent, sibi temerè arrogaret. Si quem hominum statum aut ordinem deceat humilitas, eos sanè, qui rerum sacrarum procuratione occupantur, tam ea decet, quàm quos maximè. Qui enim illis deferuntur honores, etiam amplissimi, ad Deum potiùs quàm ad ipsos spectant: ita tamen vanitatis ambitionisque suggestionibus creduli abripiuntur, vt illa persuadente sibi adscribant, quod soli ipsorum defertur vesti. Hodie id Redemptor in euanido Scribarum ac Pharisæorum fastu euidenter & ad oculum ostendit: cuius occasione apud vos nonnulla de vana gloria prosequar, ostendens 1. quid sit vana gloria, 2. quanta eius inanitas & vanitas, 3. ecquæ eius confusio, 4. demum, quæ tumoris & inflationis huius mentis curandæ sint amuleta.

I. 1. *Gloria* secundùm Ambrosium, *clara quædam est cum laude existimatio.* Est velut flamma, quæ simul fulget & ardet, lucet & calefacit.

2. Non est autem ex seipsa vel contemnenda, vel reijcienda, si modò cum virtute consistat, ac benè merenti attribuatur. At vanam eam dicimus gloriam, quam sibi vel ob rem malam, vel mendacem, vel ob præstantiam, quam non habet, vel denique ob vanum quid quis arrogat.

Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret,
Quem nisi mendosum aut mendacem?

Psal. 103. 3. Ixiones, qui pro Iunonibus inanes complectuntur nubes, *& ambulant super pennas ventorum.*

Psal. 130. 4. Thrasones, qui *ambulant in magnis & in mirabilibus super se.*

5. Non video tamen, cur Simmistæ aliqui vanam gloriam à superbia penitus distinguant, dum eam diuersum mortale peccatum constituunt, & peccatorum capitalium primum.

6. Dicere enim superbiam esse quoddam generale peccatum, & veluti cæterorum radicem, septem verò

verò vitia alia capitalia illius esse quodammodo ramos, equidem haud velim, nec si velim possim, vt pote minimè tutam aut solidam satis sententiam.

7. Multò verò eorum mihi sanior videtur opinio, qui vanam gloriam esse quoddam à superbia distinctum vitium, atque in ea velut speciem suo sub genere, sub matre filiam, sub arbore ramum contineri, ipsam denique primum superbiæ inter septem capitalia vitia fœtum volunt esse.

8. Fatuus quidam est humor, qui hominem *leuat supra se*, vt eum deinde præcipitet infra se, ipsumque in vanitate Chore in centrum terræ cum superbis dæmonibus deijciat. *Thren. 3.*

9. Perinde ac si quis pumilionis altitudinem dimetiri cupiens cothurnos eiusdem altiores, quibus nititur, comprehenderet simul in dimetienda statua basim & cippum, in corpore humano grallas & fulcra, in homine dignitates has, quibus ornatus cæteris eminere mortalibus videtur altiùs.

10. Quamcumque demum in eo tibi fingas magnitudinem, ait Philosophus quidam, numquam propterea eiusdem extollere humanitatem poteris: tametsi sublimi eminentique consideas in solio, non tamen aliter quàm cæteri homines sedes. *Senec. epist. 77.*

11. Ecquæ fatuitas, ab exteriori splendore & forma de Aegyptiorũ fanis ferre iudicium? quis diceret introrsum felibus, bubonibus, & suibus (hæc gẽtis numina) omnia plena esse? sic, si vani huius & gloriosi hominis pectus perspiceres transfossum, quot in eo ridiculas chimeras & ineptas reperires imagines?

12. Anima nostra simul & corpus, veluti bilancem constituunt, quarum lancium si alteram depresseris, altera ilicò sustollitur, qui se adeò mirantur ac circumspiciunt, plerumque obtusi & stupidi sunt.

13. Et nonnisi mera cenotaphia, honorariaque sepulcra, introrsum vacua, foris splendida & ornata, nihil intrinsecus includentia, magna in frontispicio, nulla in recessu.

14. Molendina ſunt ventis agitari ſolita, quæ nonniſi velis vento tumentibus molunt, & ad auram quamlibet feruntur.

15. Et organarij, qui ſine inanium laudationum inflatu ſufflatuque nihil omnino queunt agere.

16. Nautæ denique, non antè portu ad bonum aliquod opus aggrediẽdum exeuntes, quàm inani adulatorij applauſus vento ipſorum vela intumeſcant.

Abripit, vt video, nos vitij huius inanitas ac leuitas, quæ non aliunde patebit euidentiùs, quàm è cognomine Vanæ, quod fatuæ huic gloriæ inditum eſt, quam ſibi arroganter glorioſuli illi aſcribunt.

II. 1. Horum imago ſunt, Pauo, & Narciſſus, ſimilitudo, qui ſua ipſorum capti pulchritudine pereunt.

2. Bufones ſunt, qui tandem inflati diſrumpuntur, quòd adinſtar bouis turgere & diſtendi velint.

3. Quàm vana comptorũ noſtrorum ac cincinnatulorum fatuitas, quanta veſania, qui è ſago, ocreis & inceſſu quis qualiſque vir ſit dijudicant!

4. An non enim intolerabilis & inepta quædam eſt vanitas, idcircò inſoleſcere, quòd equo generoſo inequites, criſtam comantem geſtes, ſplendidè induaris, gemmis coruſces? ecquæ animi vecordia, ob collare, criſtam, beſtiam celebrari, & gloriam captare velle? annon hoc Bucephali tumorem eſt & inſolentiam imitari, quem bullatæ ac gemmatæ phaleræ & lupata aurea inflabant? Si qua verò demum in his ſita eſt gloria, an non ea aui potiùs, quæ pennas dedit; vermi, qui ſericum ſuggeſſit; rupi, adamantum pro creatrici adſcribenda?

5. Alij inſoleſcunt, ſeque mirantur ob natiui coloris vernantiam, capilli nitorem & colorem, manuum elegantiam, ſuam in tripudiando, corpore agitando, inſtrumentis muſicis pulſandis peritiam. O molles & effeminatos animos, qui inanijs hiſce puerilibus vſque adeò capiuntur!

6. An non enim mera rudimentaria ac beanica ineptia eſt, ob tenuem aliquam doctrinam mundum vniuer-

vniuersum moderari velle, & passim docti nomen ac scioli aucupari?

7. Aurei nummi fulgidi, rutilantes, & sonori vt plurimùm adulterini & imminuti ponderis sunt; qui probæ verò notæ sunt, sunt ponderosiores, & sonum fractum pinguemque edunt.

8. Gloriæ huius inanitas, adinstar venti cuiusdam, inconstantes quidem mentes, & maris in morem mobiles fluctuantesque concitat & mouet; at in humilitate solidatas, in esse sui vilitate & abiectione non secùs ac rupes immobiles fundatas nullo pacto quassat vel attingit.

9. Hanccine videre gloriam vultis? ipsa volatus *Prou. 30.*
est *auis in* medio *aere*, via colubri super *petram, vesti-* *Sap. 4.*
gium nauis in aqua, & sonus, nullum relinquens sui indicium aut notam.

10. Bulla est aquea, quæ cùm nonnisi tumor & typhus sit vento inflatus, ad primum flatum concidit
& dissoluitur. *Psal. 67.*

11. Fumus est, qui dum in altũ se librat, euaporat, *Apoc. 9.*
& cuius exaltatio ruina est. *sicut deficit fumus deficiet.*

12. Sed *fumus* ex abyssali Apocalypseos *puteo* prorumpens, qui vicinum circumsecùs aërem inficit, & locustis, iurgijs, ludibrijs, turbisque mundum replet. Vanis porrò hisce gloriolæ vanæ sectatoribus
hæc iuxta sensum accommodatitium possunt appli- *Psal. 143.*
cari, *Tange montes & fumigabunt.*

13. Arundines ventorum ludibrium, cortice quidem virides & nitidæ, sed inanes, & medulla cerebroque carentes.

1. Iam stolidi vitij huius confusionem, ignomi- III.
niam & infamiam dispiciamus, necnon magnam
Dei nostri prouidentiam, qui *deponit potentes de se-* *Luc. 1.*
de, & exaltat humiles. quod enim gloriosi arbitrantur honoris colligendi sementem fore, inde ludibrium metuunt & contumeliam.

2. Pilæ sunt à vẽto subinflatæ, quę hinc inde agitatę & adactæ ludentibus ludibrium sunt, nemo quippe

prudentium eſt, qui non de naſo eos ſuſpenſos exſi-
Pſal. 21. bilet; & *omnes videntes eos derident, loquuntur labijs, & mouent caput*.

3. Pauo, cui eos antè paulò aſsimilauimus, dum caudæ & pennarum ſuarum examen iactabundus expandit, quidquid toto corpore viſu inamabile & fœdum eſt, ſimul diſcooperit. Sic arrogans dum ſe iactando, bonam ſui aliorum mentibus ingenerare opinionem geſtit, *faciem* ſuam *confuſione* & ignominia *opplet*.

4. Simius caudæ expers quò aſcendit altiùs, eò quod
Serm. 13. *in Cant.* fœdum habet ac turpe, retegit patentiùs. S. Bernardo rei huius confirmationem cedamus: *Gloria*, inquit, *in confuſionem vertitur omnibus ſæculi vanitatem*
Pſal. 52. *conſectantibus. Teſtatur id Pſalmiſta dicens: Qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Qui noſtis hæc fratres mei, nolite hæc in vita hominum laudes aucupari; niſi enim omnem hãc laudem ad Deum referatis, fures eſtis & ſacrilegi. Vnde enim tibi, ô fœtens creatura & cinis, cõtingere laus poteſt? vnde tibi?*

2. Reg. 18. 5. Abſolon promiſſa fuluaque illa cæſarie, quam tantopere ſcriptura extollit, gloriabatur & ſuperbiebat, & ecce, hæc illi ruinæ & mortis fuit occaſio, cùm arbori implexa laquei illi fuit loco, è qua ſuſpenſum Ioab inſequens confudit, vitaque ſimul ſpoliauit & gloria.

6. Qui oceanum concutiunt ventorum turbines, vndam vndæ immiſcent, & altos aquarum montes in profundas depreſſaſque abyſſos conuertũt. Quot, eheu, vanitate acti *tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant!*

7. Vana gloria ceu Nilus quidam eſt, (gloria enim nil eſt) qui AEgyptum quidem latè ſtagnando fœcundare videtur, ſed cœno reuera, ſerpentibus, & crocodilis agros opplet. Sic honores ſpecioſi quidem illecebroſique videntur, ſed quot, eheu! mortales in extremas demergunt miſerias!

8. Aiebat Demoſthenes, ſe, ſi prænouiſſet, quib⁹ exagi-

agitentur procellis, quibusque expositi sint periculis, qui reip. gubernacula moderantur, mortem illius tractatione potiorem habiturum fuisse.

9. Ventus ille omnium est molestissimus & importunissimus, qui per vestium ludens sinus, easdem sustollit & retegit, omniumque spectandũ proponit oculis, quod latere volumus & tegimus. Talis sine controuersia vanæ gloriæ typhus est; qui enim eodem afflati sunt, illorum dotes, origo, genus, talenta cuiuscunque examen, indaginem, tribunal subeunt, ac mille obloquentium linguis excutiuntur, quibus sæpè fit, vt è Cerulo quis, idem qui fuit antè, Lachetes esse cogatur. *Sueton.*

10. Auludamus Lacedæmoniorum Rex, audito Philippum Macedonum regem ob relatam insignem quamdam de hoste victoriam nimium quantum insolescere, *si suam metiatur*, inquit, *vmbram, non eam propterea maiorem esse comperiet.* *Vesp. c.23*

11. Porrò debita congruentiáque exprimit gloriã hanc similitudine, qui vmbræ eam assimilat: vt enim hæc materialis luminis est priuatio, ita illa spiritualis.

12. Vt item vmbra, quo sol recedit longiùs, increscit & fit longior, ita, dum gloria sæculi huius adaugetur, futuram nostram imminuendam certissimum est prçsagium.

13. Acutè Cæsar à Legatis externis, quos Romę Melitensibus catellis videbat oblectari, petijt, num ipsorum in patria feminæ proles non eniterentur. nonne putidum & stolidum est, transitoriam sæculi huius gloriam, quæ *in imagine pertransit*, consectari, cùm æterna, quam captemus & sectemur, nobis ob oculos versetur. *Psal. 38.*

14. Qui gemmas in mari piscantur, conchylijs & spumosis quisquilijs colligendis non inhærent.

1. Vnde & contemptus primum & optimum morbi huius spiritualis pellendi remedium est. gloria namque vt anthemis & crocus, proculcata & neglecta crescit vberiùs & lætiùs. IV.

2.3. Abrasa

2.3. Abrasa & ablata adinstar barbæ fit densior & crebrior. Vmbra hæc, vt in hac similitudine persistamus, sequitur fugientes, & fugit insequentes.

4. Impudica & procax illa est meretrix, quę amore illius æstuantes indignè excipit & contumeliosè; & à quo ipsa contemnitur, huius ipsa amore & cupidine inardescit.

5. Ipsa, adinstar pilę, reiecta & terræ violenter adacta, resultat potentiùs ac validiùs.

6. Similisque molossis quibusdam, qui quò abiguntur duriùs, redeunt impudentiùs.

7. Contempta in centuplum fœneratur: illorum namque Deus quærit gloriam, qui propriam conculcantes, illius solius gloriam promouere satagunt.

Act. 3. 8. Apostolorum Princeps Petrus obiurgat & increpat eos, qui prodigiosa ipsius opera mirabantur: *Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra potestate fecerimus hunc ambulare?* nō in nostra id, sed Iesu Christi virtute fecimus.

Exempla potentiora sunt præceptis, quæ tum superborum, tum humilium producendo finem faciemus, ac duo veluti antidota erunt, quæ primo illi connectemus.

9. Ab hoc peccato suam Lucifer est orsus defectionem, quæ eius inde secuta sit ruina, dispicite.

Gen. 3. 10. Adamus quoque eum secutus. Cùm enim esse vellet adinstar Dei, terrestri pulsus fuit paradiso, vti præuaricator Angelus cœlesti.

Dan. 4. 11. Nabuchodonosor cùm diuinitatem sibi affectaret, in brutum transijt.

12. Reprobatio Pharisæi insolentis, pia sua commemorantis opera, & humili Publicano se præponentis, ex Euangelica historia manifesta est. Luc. 18.

13. Alterius agminis & generis primum exemplū dabit humilitas S. Ioannis Baptistæ, qui tantū sanctitatis nomē cōsecutus apud Iudęos, & rogatus verène ipse Messias esset, *vocem* sese esse dicit *clamantis in deserto*, simul etiam indignum, qui *soluat corrigiam calceamenti* Dominici. Matth. 3. Marc. 1.

14. Se-

14. Secundum exemplum dabit Centurio, dicens, *Domine non sum dignus.* *Matt.8.*

15. Tertium SS. Apostoli Paulus & Barnabas, qui honoribus diuinis, quibus à Lystrijs afficiebantur. non secùs offendebantur, quàm si grauissimis affecti essent iniurijs. *Act.14.*

16. Gregorius Turonensis, Sanctorum, quorum de collo gestabat reliquias, meritis patrocinioque adscribebat eas, quas Deus opera & adminiculo serui sui patrabat operationes miraculosas.

17. Tremiscebat Bernardus, siquando miracula aliqua patrabat, metuens ne fortè vanâ eum gloriâ hæc in damnationis abyssum pertraherent.

18. Hem! quàm viuè nostro in Euangelio Rabbinos illos, Magistros nostros, Doctor ille supremus Christus perstringit, qui *dilatabant phylacteria sua, primos* in mensis captabant *accubitus*, & honoratiora in cõsessibus loca, qui gaudebant in foris & compitis *salutari Rabbi*, & ab omnibus compellari.

Interim discite ex hactenus dictis, 1. quid sit vana gloria, 2. quæ illius vanitas & inaniæ, 3. quæ eiusdem confusio & ignominia, 4. quæ eius curandæ ratio.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE:

Spinæ anteferendæ rosis.

HOMILIA XIII.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Matth.20.

PARADOXA sanè hæc præpositio est, quam tamen hoc in Euangelio veram esse Redemptor, & quidem tertiò profitetur, 1. ostendens Passio-

nis spinas resurrectionis suæ rosis præcedere oportuisse, 2. duobus discipulis suis Zebediadis passionũ ac suppliciorum spinas, eminentijs in honoratiori consessu antecedere solere, declarans, 3. omnes in genere Apostolos zelotypia & æmulatione laborantes edocens, humilis parentiæ spinas pluris à sese, quàm molles imperij ac dominationis rosas æstimari. Vnde efficio, nonnisi per spinas ad rosas quempiã posse pertingere, nec ad fauos, qui non acres apum aculeos ferre paratus sit; imò nec *in refrigerium*, nisi *per ignem & aquam*, tribulationis aditum dari. Tritum porrò & commune est, ac nemini non notissimum, aduersitatem multo interuallo prosperitati antestare; vnde & hanc chordam hodie tangere non constitui; sed hanc dumtaxat similitudinem, quam in titulo affixi, latiùs prosequi, declaraturus, 1. tribulationis & aduersorum spinas maiorem patientibus honorem adferre, 2. vtilitatem, 3. voluptatem, ac proinde, 4. hac in vita maioribus optandas votis & ardentiùs, quàm terrenorum gaudiorum ac recreationum rosas. Cursum auspicamur.

Psal. 67.

I.

1. Tribulus, vt omnibus notissimum est, spinarum congeries est: inde nomen accepit tribulatio. *Lappa & tribulus ascendet.* hoc spinis accommodare, cùm res obuia & facilis sit, superfluum & inutile duco.

Osee 10.

2. Cæterùm tribulationem proprium esse Christiani elementum, vti pericula, discrimina, & certamina generosi militis sunt palæstra, manifestissimũ est, cùm & omnes, quotquot sunt beatitudines Euangelicæ, totidem sint afflictiones.

3. Si gloria militari is indignus sit, & strenui bellatoris nomine, qui numquam manum cum hoste conseruit, numquam in aciem prodijt: ille profectò honorabile & pulchrum Christiani nomen non promeretur, qui Dei sui nomine aduersa multa non subijt. *Turpe*, inquit Bernardus, & indecorum *est sub spinoso capite membrum* aliquod *esse delicatum.*

4. In

4. In arborum ad regem ſibi deligendum coëun- *Iud.9.*
tium comitijs(quem Apologum ſacra narrat hiſto-
ria) omnium ſuffragijs prælata ſpina eſt, eique re-
gnum delatum. Qui pro Dei nomine plura grauio-
raque hic in terra patiuntur, & *propter iuſtitiam* di- *Matt.5*
gniorem ſplendidioremque in cœleſti regno co-
ronam accipient, in quo nimirum pro meritorum
varietate ac diſcrimine variæ & *multæ ſunt man-* *Ioan. 14*
ſiones.

5. Quæ olim adeò infamis & probroſa crux erat, hodie adeò inclyta & glorioſa eſt, vt regum atque Imperatorum diademata condecoret & inſigniat. *In* ſola hac *gloriari* ſe velle aiebat Apoſtolus, ac *Gal.6.*
nihil docere aliud, *quàm Chriſtum crucifixum*, *1.Cor.1.*
Gentibus quidem ſtultitiam, Iudæis ſcandalum, electis autem & vocatis ſapientiam. Cùm verò illius in capite decus & ornamentum ſibi ſpinæ acquiſierint, vti per corpus eiuſdem crux, cur minùs hæ honorem, quàm illa venerationem, mereantur?

6. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomo-* *Cant.3.*
nem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Videte amoris incentiuum & proprietatem: vt, qui medios inter dolores vigoreſcit & refloreſcit; quique
mortis diem, *diem* vocare eum facit *deſponſationis*, *Ephes.2.*
quo ſibi Eccleſiam *in ſanguine ſuo deſponſauit*, ſeſe *Exod.4*
illi in *ſponſum ſanguinis* tradens, filioſque ſuos *in* *Ephes.5.*
ſanguine ſuo redimens, & mundans. *Gen.22.*

7. Ipſe verè ille eſt aries, cornibus vepribus implexus, quem Abraham, Pater inquam æternus, loco Iſaac, pro humano ſcilicet genere ſubſtitutum im-
molauit. Sed per ſpinas has *cornu eius exaltabitur in* *Pſal.111.*
gloria.

8. Maledicta terra à Domino *ſpinas & tribulos* *Gen.3.*
proferre iuſſa eſt. *Et ecce*, inquit Auguſtinus,
hanc terræ maledictionem auferens Redemptor, *Tract.*
quò in caput eam ſuum ſuſtolleret, percuſſus *in Ioan.*
eſt

Isaiæ 53. *est propter scelera nostra, languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit, & ex delictorum nostrorum abolitione sibi coronam contexuit.* Sit ille benedictus in
Tertull. de corona
sæcula. Amen.

9. Quin igitur nobis futurum honorificum & gloriosum, si, mollium deliciarum abiectis rosis, illius ad exemplum, dulcium dolorum, & amararum dulcedinum spinas, quæ ceu amaruléta quædam myrrha in amoris illius horto demetuntur, amplectamur?

10. Regum terrenorum coronæ, vt expertus affirmabat Seleucus, tametsi nonnisi è rosis confertæ videantur, spinis pungentibus adeò confertim intertextæ sunt, vt qui eas penitiùs perspectas haberet, ne tollere quidem humo dignaretur. Ipsum verò Redemptoris sertum, in speciem quidem spineum, tam odoratis repletum est floribus, vt qui viui veríque sensus odoratu eos olfaceret, ad nullum aliud vmquam aspiraret, & omnis vnicaque *nostra gloria* fo-
Gal. 6. 11.
ret hęc *corona*.

1. Nec non insignis vtilitas nostra. Anima siquidem nostra, quæ prosperitatis peruertitur rosis, per spinas conuertitur tribulationum. *Conuersus sum in*
Psal. 31.
ærumna mea, dum configitur spina; quis Dei, medios inter applausus & voluptates, recordatur? sed si morbus ingruat & opprimat, nemo non ilicò cla-
Psal. 21.
mat, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

2. Spinæ arbores tuentur & sata, sic virtutem tribulatio & aduersitas.

3. Vt viator rectum certumq́ue iter carpat, & de
Osee 2.
via non deflectat, vias regias sequatur oportet, spinosis vepribus vtrimque septas. *Sepiam viam tuam spinis.* Sic vt rectà quis ad cælum feratur, & in deuia non deflectat, vitæ austerioris seueriorisq́ue iter ac semitam pœnitentiæ sequi longè tutissimum.

4. 5. Aues solertissimæ spinis nidos suos circumsepiunt, quò fœtus ab insidijs rapacium volucrum immunes præstent: Luscinia verò vepri indormit, vt serpentis sibi insidiantis astum eludat. *In horto*, inquit Baruch,

Baruch, *spina alba est, supra quam omnis auis sedet.* Aues *Baruch* 6.
iustorũ esse symbolum varijs è sacræ Scripturæ locis
manifestè patet: hi sunt, qui in tribulationum spinis
conquiescunt, *facientes prodigia & operationes in aquis multis*, qui velut alcyones in nidis suis ex acutis *Psal.* 106.
piscium spinis concinnatis, medias inter tempestates malacia & quiete gaudent; quique sacris capitis sui spinis corda sua coronantes & cingentes, scelerum serpentes auertunt, & rapacium tentationum vultures & accipitres inde pellunt.

6. Sentes in horrido incultoque loco lætè prouenientes, feracis frugiferique soli indicium sunt. est item amicitiæ diuinæ amorisque argumentum, afflictionibus premi, & velut conseri & obsideri. Et sanè, vt Seneca docet, *miserius nihil est eo, qui nullam vmquam passus miseriam est.* *Ioel.* 3.

7. Apud Ioëlem sic loquitur Dominus, *Irrigabo torrentem spinarum.* quid sibi insolens hoc loquendi genus vult? non aliud, quàm qui afflictionibus frequentioribus ac sæpiùs exagitantur, eos tandem vberiùs consolationes diuinas experiri. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Semperque *propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* *Psal.* 93. *Psal.* 33. *Ibid.* *Psal.* 109.

8. Hi scilicet sunt, *qui colligunt de spinis vuas, & de tribulis ficos*, & qui *faciunt* de tribulatione *prouentum.* *Matt.* 7. 1.*Cor.* 10. *Psal.* 117.

9. Hi sunt etiam, *qui exardent sicut ignis in spinis*, & quorum *charitatem aqua multæ extinguere nõ possunt.* *Cant.* 8.

10. Scipiones nodosi & spinosi alijs sunt fortiores, & animæ illæ alijs potentiores, quas frequentiùs visitat & probat tribulatio. Vtilis igitur est, cùm animam ipsa conuertat, 2. conseruet, 3. dirigat, 4. peccatum diuertat, 5. diuinam attrahat gratiam, 6. cælestem consolationem, 7. diuinum amorem concilíet, 8. robur addat.

III. At, inquitis, quî fieri poteſt, vt ſpinæ delectent, & voluptatem adferant? An etiam nobis tandem perſuaſeris ſtimulos mulionum & agaſonum nonniſi quaſdam titillationes eſſe, mala eſſe pulchra, dolores eſſe flores, mortem denique vitam eſſe?

Aliquantiſper exſpectate, cariſsimi, nihil me temerè aſſeruiſſe comperietis.

1. An non verè ſpina nigra albos producit flores? Verius tamen multò eſt aduerſa æquo lætoque animo tolerata ampliſsimas tùm in hac vita mercedes (Iob exemplo eſt,) tùm verò magis in altera repēdere, in qua ob tolerata ſupplicia iam Martyres plaudunt & gaudent. *Iob vlt.*

2. 3. 4. Spinæ, ſi arctè eas preſſeris, fateor, pungunt & lædunt, at ſi manu eas apertâ cauteve tractaris, nequaquam. Hæc eò te premit & ſauciat afflictio, quòd eam ipſe premas: at prudenter eam verſa, & titionem non ea, qua ardet, parte in manus cape, paternæ eam correctionis ac diſciplinæ virgam eſſe comperies, quæ, cùm extra Dei manum fuerit, letifer tibi & noxius coluber apparet. *Exod. 4.*

5. Spinæ dulces ſunt, etiam omni ex parte tractabiles, præterquam in extrema, qua pungunt: has mihi tolle puncturas & aciculas, *neminem lædi* comperies, *niſi à ſe ipſo*.

6. Roſa arefacta inſtar ſpinæ lædit, ac tum fragrat iucundiùs; ad nihil vtilis eſt, niſi contuſa, aduerſitas meliùs probat & oſtendit virtutem quàm proſperitas; quam proinde de veteribus non nemo *virtutis* nominat *nouercam*.

Quid? annon etiam Ethnici ſpinas eſſe nobis oſtendere ſunt conati delectabiles ac iucundas? cùm Scolymon fruticem, cuius fructus pungentibus eſt folijs, ac præſertim ſylueſtrem, Veneri ſuæ omnium voluptatum cultrici ac deæ dedicarunt?

7. Sanctiùs

7. Sanctiùs verò vt loquamur, an non ſacer ipſe ſponſus *inter ſpinas* cariſſimarum deliciarum ſuarum *lilia* conſtituit? *Cant. 2.*

8. An non omnia animalia ſpelæa ſua, cubilia, cunabula, nidos, & receptacula in denſiſſimis dumetis, nemoribuſque vmbroſiſſimis conſtituunt, non modò vt in ijſdem agant tutiùs, ſed etiam lætiùs ac iucundiùs?

9. Mihi credite, fratres, ſpinæ vepreſque nonniſi veſtem extimam aut cutem lædunt, numquam mortalem plagam infligunt: non ſecùs etiam aduerſitates, quæ nonniſi nos circumuolant, nequaquam ad intima penetrant.

10. Anytus & Melitus, aiebat Socrates moriens, mortem mihi quidem poſſunt infligere; nullam tamen iniuriam. *Laertius*

11. *Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum*, aiebat ipſe ad Nicoreontem tyrannum, à quo in mortario contundebatur & comminuebatur, *Anaxarchum ipſum non lædes*; animam ipſe ſuam deſignabat.

12. 13. S. Laurentius craticulæ ſuperpoſitus Decio tyranno inſultat; & Ignatius iam iam à leonibus deuorandus, gaudet & ridet, quòd illorum molendus ſit dentibus, quò *frumentum* fieret *electum* in menſam diuinam ſecretum. Itaque dum ob æternitatem patimur, ſpinæ mutantur in roſas.

14. Vnde fit, vt Chriſtus Redemptor ſpinis coronatus, *non habeat vbi caput ſuum reclinet*, non *nidum*, non *foueam*? vnde fit, vt nullus ei cor aut pectus ceruicalis loco futurum præbere velit, atque, ſponſi inſtar, ipſum ceu *myrrhæ faſciculum inter vbera* ſua collocare? Cauſa eſt, quòd plerique metuant, ne à vitæ ſpiritualis ſpinis auſteritatibuſque lædantur.

IV.

1. Sed veni, deſideratiſsime ſponſe, *inclina cælos tuos*, illuſtre ſcilicet caput hoc, ſplendore coruſcum, & gemina effulgẽs face, *& deſcende* in cor meũ, quod ſpinas tuas amanter complectitur, & omnes ſenſu- *Pſal. 143.*

alium voluptatum rosas haud illibenter vltroque repudiat.

2. Sic fecit scilicet beata illa sponsa tua & ancilla Catharina Senensis, quæ quam illi offerebas coronam auream & gemmeam, reijciebat, vt tuam spineam eligeret.

Gregor. in dial. 3. Sic etiam fidus famulus tuus Benedictus, qui mollibus blandisque titillationum carnalium rosis illicientibus, nudum se in spinetum ac sentes abiecit.

Exod. 3. 4. Excalcea & dissolue, ô Amor meus, anticipatarum opinionum mearum calceos, meque Mosi assimila, vt te in spinis ardentibus, id est, in tribulationibus feruido affectu plenis, videre merear præsentem.

Isaiæ 55. 5. Ac tunc quidem *pro saliunca*, Domine, *ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus*, proque vepribus hac in vita ex amore toleratis splendidas immortalitatis corollas in altera capiti meo in mercedem impones.

6. Quò me cumque verto, in hac mortis valle aliud non occurrit, quàm spinæ & tribulationes; *Vepres & spinæ sunt in vniuersa terra. vniuersam terram operuerũt vrticæ.* Et Senec. *Ad hoc nati sumus ferre mortalia.* Induamur ergo manicis generosæ cuiusdam cõstantiæ, vt generosè & intrepidè vepres hos in manus accipiamus, & meritorum ex ijsdem succum exprimamus.

7. Non verò veteres illos imitemur Iudæos, qui in extremis vestium fimbrijs, ex Hieronymi ac Remi- *In Matt. 3.* gij opinione, spinas assutas habebant, eas quodammodo pedibus conculcantes: sed potiùs Redempto- *2. Cor. 12.* rem Iesum æmulemur, qui capiti eas suo superimposuit, *in infirmitatibus* nostris, passionibus & aduersis *gloriantes.*

8. Nec scelestos imitemur iam damnatos, qui inte- *Sap. 2.* rim dum viuerent, plenis faucibus sodalibus suis occlamabant, *venite, coronemus vos rosis, antequam marcescant:*

cescant :nullum pratum sit, *quod non pertranseat luxuria nostra*: id est, omnigenas consectemur voluptates; at modò apud inferos *præ angustia spiritus gementes* clamant, *quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra. hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij*: modò *inter sanctos sors illorum est*; nos verò in æternum hic excruciamur *habitaturi cum igne deuorante, & ardore* intolerabili *ac sempiterno*. Sap. 4. Isaia 33.

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos!

9. O rosæ fugaces & euanidæ! ô rosæ caducæ & elanguidæ! aurora vos aperit, meridies expandit, & vespera in marcorem & languorem conuertit: dies vnus, momentum vnum vestra est vita: peritis, dum proditis, morimini nascentes. Non poteritis vos, adinstar spinarum, aduersus Boreæ & brumæ rigores perstare, eosque pati. Vobis, ô molles, effeminati, ignaui mortales hasce deliciarum mundanarum rosas cedo, mihique immortales spinas, quæ in æternam me æternitatem protegent, seligo; in æternitatem inquam, in qua rosas inueniam, quæ nunquam elanguebunt aut marcescent, quarumque pulchritudo è spinis tribulationum hac in terra toleratarum adaugetur: nam *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem; spes autem non confundit*, sed per *patientiam reportantur promißiones*. Apage igitur ineptas & marcidas sæculi rosas, & viuant & efflorescant in corde meo sacræ, saccareæ & dulceamatæ dulcissimi Iesu mei spinæ. Rom. 5. Hebr. 10.

Ex veritate hac paradoxa, & paradoxo hoc verissimo discite, spinas 1. honorem, 2. vtilitatem, 3. voluptatem adferre, 4. proinde optabiles ac rosis anteponendas videri. Dominus noster sit cum omnibus vobis: Amen.

(∴)

FERIA V. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE:

De Iudicio particulari.

HOMILIA XIV.

Homo quidam erat diues, & induebatur, &c. Luc. 16.

MILVVS viuens tanti fit, mortuus ita sordet & abijcitur; perdix mortuus plurimi fit, viuens adeo exagitatur. Euangelij id hodierni figura est & imago, in quo in diuitis Epulonis, & Lazari famelici pariatione diuersos diuersarum viarum videre est exitus. Circa quod de particulari, quod de vnoquoq; nostrũ, dum primùm exspiramus, fert Deus, iudicio nonnulla afferemus; materiam suggerentibus verbis illis Euangelij, *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno; mortuus est & mendicus, & ab Angelis in Abrahæ portatus est sinum.* Hæc pluribus deducemus, locuturi 1. de duobus iudicijs, vniuersali & particulari, 2. huius afferam circumstantias, temporis, 3. loci, 4. personarum præsentium, 5. testium, 6. dicam de examine, 7. de sententia irreuocabili. Audite & perhorrescite.

1. Dominus Deus in sacris monumentis interdum Agni, aliàs Leonis nomine designatur: quo symbolo geminus illius declaratur aduentus, primus mitis in incarnatione, *Ecce venit mansuetus & mitis.* Alter in fine sæculorum futurus. In priori quidem venit, vt ab alijs iudicaretur, in secundo alios dijudicaturus veniet. In primo cum humilitate & mansuetudine, in supremo cum maiestate & magnificentia. Hoc in Euangelio, quod præ mânibus habetur ad litteram pertractatur.

Matth. 21.

2. Hoc duplex Iani facies est: tabula est, duplicem præferens imaginem & vultũ; vnũ quidẽ clementiæ, alterum

alterum seueritatis: vnde qui misericordiam agninã neglexerunt, leoninam eiusdem experientur iustitiã.

3. *Stellæ* sunt fauoris indicium; & *gladius* nota furoris: quæ duo eius ab ore prodeũtia cõspexit Ioãnes. *Apoc. 1.*

4. In primo Dauid est in pastoritio schemate, nõnisi in funda depugnans; in secundo rex armatus, Nabalẽ expugnans. *1. Reg. 15.* *1. Reg. 25*

5. Qui *virgam vigilantem* hîc agnoscere noluerit, tandem *ollam feruentem* sentiet. *Ierem. 1.*

6. Et qui legis tabulas in vita non obseruauerit, à virga Aaronis cædetur.

7. Ipse Cherubinus ille est, quem conspexit Ezechiel, hominis quidem præferentem vultus, (symbolum id est suauitatis in primo) & leonis; quod extremi & iusti illius rigoris postea futuri est nota. *Ezech. 1.*

Cæterùm gemino hoc ipsius aduentu, carissimi, duo eiusdem denotantur iudicia. At nonnisi de particulari hîc loquemur; quod, quanquam præambulum, ab vniuersali in substantia & reipsa nihil penitus discrepat: in hoc enim dumtaxat ratificabitur & confirmabitur absolutum illud decretum ac sententia, quæ in vitæ nostræ clausula, & rationum terentia, quæ in vitæ nostræ clausula, & rationum termino lata erit.

8. Sicut *ceciderit* arbor, ita *permanebit*; si tũc putris sit, vermes includat, & inepta sit, igni addicitur; si integra ac vegeta, in opera præclara reseruatur. Accõmodate materiæ.

9. Atque vt illa iuxta legum iura ad soli, in quo radices egit, & vnde succum elicuit, possessorem pertinet, non verò ad eius agri dominum, in quem fortè excisa prolapsa fuerit; sic homo arbor illa inuersa ad cœleste ius spectat, si, dum vixit, animo *in cœlestibus* est *conuersatus*; ad tartaream verò voraginem, si terrena perditè nimis fuerit consectatus, ijsque affectu adhæserit.

10. Mortis sententia primò reo in tribunali & cõsessu iudicium significatur, deindè rursus in theatro & spectaculi loco sub ipsam supplicij horam mani-

manifestatur; vtrobique eadem est condemnatio: duorum eorum, de quibus loquimur, iudiciorum id imago est.

11. Quæ, ceu duo instrumenta musica sunt, egregiè sciteque inuicem contemperata, gratam simul pulsata harmoniam edentia.

II. 1. Cæterùm in circumstantijs, ipsa temporis maximè singularis est. Omnes igitur Theologi communi sententia in ipso mortis nostræ articulo id iudicium futurum censent. O punctum momentaneum, è quo dependet æternitas!

2. Et tametsi, singulari quadam prærogatiua, Sanctis quibusdam ea sententia reuelata fuerit; vti S.

Act. 7. Luc. 23. Stephano protomartyri, qui *vidit cœlos apertos*, & bono latroni, saluationis quidem suæ; at damnationis B. Matri Teresæ, si in ea, quam cœperat, vita vlteriùs fuisset progressa, etiam ante ipsum mortis momentum; non tamen id ita accipi debet, quasi propterea de omnibus ante mortem sententia feratur.

Apoc. 12. 3. Hoc igitur in articulo *draco* ille *rufus* partui, quo animam corpus pariet, insidiatur & inhiat. sapiens autem ille, qui antequam enitendi tempus instet, in pœnitentię desertum confugit.

4. Quot sunt microcosmi cum megalocosmo similitudines, tot etiam in vtriusque fine similia & correspondentia occurrunt: vt enim vnicuique in morte mundus emoritur, cùm mundo moritur; sic in sæculorum consummatione singulis mundus morietur: atque vti tum generale peragetur iudicium, ita in vniuscuiusque nostrûm dissolutione particulare nostrum continget.

Eccl. 12. 5. Hoc scilicet illustribus similitudinibus expressit Ecclesiastes, dum consulit, vt ante *creatoris meminerimus*, quàm mors nos incautos opprimat. Hic lōgè diuagandi mihi aperitur ianua. In mundi consummatione sol, luna, stellæ, terrę motus, conuulsiones, aliaque horrenda signa præsagia instantis finis dabunt:

dabunt: præambula hominis morientis & finiendi notæ erunt cæcitates, ſurditates, ſymptomata, & euerſiones.

6. Exploratum eſt igitur & conſtitutum, in hac animę à corpore diuulſione de nobis ſententiam ferendam: idque in ictu oculi: Deus namque ſuis in operationibus temporis mora non eget; adinſtar oculi humani videlicet, qui vno inſtanti functione ſua fungitur, vniuerſumque cæli conuexum vno ictu & momento diſpicit.

7. Omnes delictorum noſtrorum atomi apparent, mox vt minimus diuinæ iuſtitiæ radius ſuper animã egreſſam fulſerit.

8. Oculi Adami vnico in momento aperti fuêre ad peccatum ſuum conſpiciendum. *Gen. 3.*

9. Quis enim, quod hæc inuiſibiliter peragantur, idcirco ea minùs vera credat, niſi fortè impius quiſpiam & atheus: quaſi verò & ipſi animam ideo non habeamus, quòd corporeis ea oculis non videatur, aut quaſi ideo nulla ignis foret in cælo ſphæra, quòd ſub ſenſum oculorum noſtrorum haud cadat.

10. 11. Non videbat Angelum Balaam, qui ſtricto mucrone pergentem remorabatur, ſed eius aſinus. Plura ſcilicet quo ad hæc arcana intelligit & capit ſimplicitas, quàm ſubtilitas, plura hic creduntur, quàm videntur. *Num. 22.*

12. Poſtquam corporis reducta cortina eſt & ſiparium, terribile ſeſe aperit theatrum, & rigidum diuinæ iuſtitiæ patet tribunal. *Sicut audiuimus, ſic videmus.* *Pſal. 47.*

13. Tunc ſcilicet, quemadmodum Apoſtolo Paulo, *ſquamæ* nobis *ab oculis cadunt*, tunc palpebræ noſtræ aperiuntur, tuncque mira, horrenda & terribilia videmus. *Actor. 9.*

14. 15. Hiſce in rebus velut cæci nati ſumus, etenim poſtquam ea ſemel iam nobis apparent, longè maior nos occupat ſtupor, quàm olim Eſtherem ac Berſabeam, illa quidem dum Aſſueri, hanc dum *Eſth. 5.* *3. Reg. 1.*

 Salomo-

Esth.5. Salomonis ſolium & ſellam conſpicatur.

3.Reg.2. 1. Verùm quonam in loco hæc cauſa diſceptabi-
III. tur? Variant quidem ſententiæ: ſunt enim qui in cœ-
lo, ſunt & qui in terra hanc ferendam ſententiam vo-
lunt. Vtrique firmis nituntur rationibus. Primi ſiqui-
Exod.19. dem aſtruunt; Moſem in Sina montem populo & ani-
2. malibus ad eius radicem relictis, conſcendentem, &
Gen.22. Abraham in monte ſacrificium immolaturum aſi-
no infernè conſtituto, figuratè quodammodo doce-
re, in cœlo hanc diſceptationem iudiciumque pera-
gendum. addunt ſuper hæc, ipſum etiam ſatanam in
cælo dijudicatum & condemnatum fuiſſe, & eòdem
ipſum penetraſſe Iobi exagitandi facultatem peti-
Iob.1. turum. Alij verò in ipſo, in quo quis demoritur, loco
iudicium hoc latum iri in terra opinantur, iuxta vul-
gatum id dictum, *vbi te reperio, ibi te iudico.* In exem-
3. plum afferunt vxorem Loth, quæ ipſo, in quo deli-
4. quit loco & iudicata & punita fuit. item Chore,
Gen.19. Ozæ: qui in flagranti etiam delicto ſubitò vindicem
5. Dei dextram ſenſêre; adhæc S. Stephani. Et ſanè ſi
Num.16 ſtellæ ſuas è cœlo in terram impreſſiones & influxus
6. emittant, quomodo hanc Deo negemus potentiam,
2.Reg.6. vt nō cùm omni in loco per potentiam pręſens adſit,
7. cùm *cœlum* eius *ſit thronus*, & *terra ſcabellum pedum*
Act.7. eius, ſua vbiuis locorū ferat iudicia? *Dominus in loco*
8. *ſancto eius. Dominus, in cœlo ſedes eius. Oculi eius ſuper*
9. *gentes reſpiciūt, &c. Dominus de cœlo proſpexit ſuper*
Iſa.66. *filios hominū. Proſpicit per cācellos, reſpicit per feneſtras.*
Pſal.67. *Pſal.10.* *Pſal 65.* 10.11.12. Saniùs ac ſatiùs ſentiunt nonnulli, qui ad
Pſal.13. cœli id ianuam peragi volunt; perinde ac ſi ſua cœlo
Cant.2. ſit porta: qui tamen ſacra ſcriptura ſuam opinionem
Pſal.126 tuentur: *Loquetur inimicis ſuis in porta.* Senſuque alle-
3.Reg.3. gorico docent, quemadmodum Salomon in regiæ ſuę
domus atrio atque veſtibulo cauſas populi dijudi-
cabat; & immundi in extimo templi atrio ſe conti-
nebant, interiori excluſi, ſic in cœli introitu cælorum
& atrio Deum Opt. Max. in cauſas animarum inqui-
rere, & eodem tenus impios admittere.

13. Vt

13. Vt verò curiosam nimis in vanas has particularitates disquisitionem omittamus, certissimum est, *omnes nos ante tribunal Christi* constituros, & *statutũ esse omnibus mori, post hoc autem* imminere *iudicium.* *Rom. 14. Hebr. 9.* at quo id futurum sit loco, certò scire nemo potest, cùm id suę intra prouidentię ac sapientiæ scriniũ delitescere voluerit Deus. Vnũ hoc dũtaxat credamus, tam viuos quàm mortuos ab eodem dijudicandos.

14. 15. Statim verò post mortem sententia Iudicis certum quemdam ad locum rapiemur, nõ verò in incerto aliquo finẽ sæculorũ carcere, qualẽ sibi Galliæ nostræ agyrta & illusor Caluinus vesanè comminiscitur & cõstruit, exspectabim⁹. Ipsa porrò, quæ in magni mũdi fine feretur, sententia nõnisi cõfirmatio futura est omniũ, quę in singulorũ microcosmorũ consummatione lata fuêre iudiciorum. *Qualem Deus inueniet hominẽ in suo nouissimo die, talem eum iudicabit in mundi nouissimo die*, vt loquitur Augustinus.

IV.

1. Quadruplex porrò ad minimum terribili huic tribunali adstantium futurum est genus. Primò, hic pręsens aderit anima iudicanda, iam corpore suo nudata, & omni ope destituta: huc quippe non Regũ stipatores, nõ locupletum opes, non doctiorũ scientiæ, nec potẽtium mundi huius affectatores admittũtur,

——turba cum paupere mixti
Descendunt reges.

Omnium hic sors eadem & conditio, *Horat. li. 2. odar.*

-----siue Reges,
Siue inopes erimus coloni.

2. Deinde aderit Angelus custos; in cuius præsentia de æterna animæ vel beatitudine, vel infelicitatę decretum feretur. Noli me, obsecro, ô care vitæ meæ protector, in periculoso illo ancipitique certamine deserere; & da, vt tam cautè prudenterque, te duce, vitæ meæ semitam calcem, vt non vacillem aut deficiam, vbi huc redactus fuero.

3. Tertius hic adstabit cacodæmon, rabida illa & nullo humano saturari sanguine tigris nescia, infor-

Deut.32. tunata illa & malè ominosa auis, quæ *carnes morsu deuorat amarißimo*. Libera me, Domine, ab vnguibus *leonis* huius rugientis *præparati ad escam*. Tu meum es in die extremæ illius tribulationis asylum. Tuere me, Saluator, ab accusationibus illis mendacibus, cruentis & vafris, & *nomini tuo* glorioso *cantabo cantica laudis in sæculum sæculi.*

4. At quomodo te, ô seuere & inexorabilis Iudex, in patronum & propugnatorem assumam, te, qui tunc misericordiam omnem sub pedibus premes ad *Psal.142.* *iustitias dijudicandas? Non iustificabitur in cõspectu tuo,* Domine, vllus *viuens*; quomodo ergo coram te audeam apparere? Tunc quoque, ô lucidi oculi, qui hac in vita velut propitij quidam & benigni planetæ effulgetis, ad quorum intuitum portum salutis inuehi possimus, instar cometarum, ad æternam peccatoribus mortem portendendam flammescetis. Hic mihi terror os obstruit & occludit, quod tamen iam aliàs *Lib 6. Diuersit. c.4. & li.31.c.72* in eadem materia laxaui.

5. Legimus in historijs reum quemdam nocte vna incanuisse ex assidua mortis, quam postridiè subiturur erat, consideratione. Quin igitur, Deus bone, throni & tribunalis huius terror conscientiam nostram cogit expiare, & candidam facere?

6. Iudicij incertitudo maximè nos debet percel- *Eccl. 9.* lere; *nescit* enim *homo amoréne an odio dignus sit*. & agon hic inexplicabilis est.

V. 1. Iudicij huius terribilis testes erunt omni exceptione maiores & irreijcibiles, vtque *in ore duorum* *Apoc.12.* *aut trium* omnia peragãtur ac decernantur: Primus est diabolus, funestus ille *fratrum* suorum *accusator*; cuius cæca & rabida inuidia

Aeneid.4 *Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia veri*

depromet tam quæ sunt, quàm quæ non sunt. Illi nãque sollenne est impudentia comminisci mendacia, *Psal.72.* & *ponere in cælo os suum*, etiam coram suprema veritate miserum hominum genus calumnijs nequiter proscindendo.

2. Alter

2. Alter futurus eſt ipſamet conſcientia : tunc e- *Luc. 2.*
nim *reuelabuntur ex cordibus cogitationes*, & *libri con-*
ſcientiarum aperientur. hæ reis ac maleficis adinſtar
mille teſtium futuræ ſunt.

3. Tertius Angelus Cuſtos; qui & meritò quidem
ob ſalutares inſpirationes ſuas ſæpiùs à nobis repul-
ſas indignatus, & præter hoc conſtans veritatis a-
micus & ſectator, rem ſincerè, prout contigit, pro-
ducet, eam nec imminuens, nec adaugens.

4. Omnes inſuper, ô anima mea, creaturæ aduer-
ſus te inſurgent, ac te tam ſenſu præditæ, quã ſenſus
expertes accuſabunt, tibiq́ue abuſum ſui exprobra-
bunt; adeò quidem vere, vt contrà ne hiſcere quidẽ
auſura ſis. Quis dabit, vt ſcelerum tuorum *montes ſi-* *Pſal. 96.*
cut cera fluant ante faciem iudicis huius?

1. Sed quàm me etiam ampliùs conſternas ſeue- VI.
ritas examinis & inquiſitionis! Quid, eheu, Domine,
de meis futurum eſt malis, ſi etiam me ob neglecta
omiſſaque benefacta condemnes, & in bona , quæ
fortè feci, opera tam exactè intimeq; inquiras, vt vix
vnum dari queat, quod purum ſolideque ſit aureum,
ac dignum, quod à iuſtitia tua admittatur? *Montes ca-* *Luc. 23.*
dite ſuper nos.

2. Quid? inquires in eleëmoſynam, an non è vani-
tate, cum dolore & pœnitentia poſt datam, ab im-
portunitate victo, an verò ex animo; ſincerè, an non
tam ex naturali compaſsione , quàm purè ex amore
Dei, denique an non ob humanum aliquem intui-
tum facta ſit. Et quod, obſecro, futurum eſt aurum,
quod in Lydio hoc lapide admittatur vt probum?

3. Tunc Momus ille acutùm cernens in corde
patulo intima noſtra inſpiciet, & renes, & noſtrum
Nihil.

4. Tunc etiam Ezechiel ille, transfoſſo templi pe- *Ezech. 8.*
ctoris noſtri pariete *abominationes videbit* & obſer-
uabit *domus Iſrael*. Alias hac de re egimus latiùs, qui
plura noſſe volet, conſulat ſuprà indicatum in mar-
gine locum.

Mox

Mox vt examen institutum, feretur iudicium, & statim pòst eiusdem peragetur executio, & quidem omnia irrefragabiliter, irreparabiliter, & irreuocabiliter.

VII. Matt. 25. Matt. 22. 1.2. Impio dicetur, *Discede à me, maledicte, in ignem æternum* tartari: & qui *nuptialem* gratiæ & charitatis *vestem non habuerit*, effugere nō poterit, quin manibus pedibusque vinctus *proijciatur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.*

Psal. 10. Psal. 54. Psal. 106. 3. Tunc *pluet super peccatorem laqueos ignis & sulphuris, partem calicis eius.* tunc *veniet super eum mors,* & *descendet in abyssum.*

Matt. 18. 4. Apage, dicetur illi, *serue nequam*, & infrugifer & piger: qui quamuis vnum dumtaxat habuerit talentum, eius illi exacta reddenda erit ratiò. quomodo verè castigabuntur, qui ipsum inutiliter dilapidarunt, si damnentur & coarguantur, qui nullum ex eo Luc. 19. integro fructum collegerunt?

Ierem. 51. 5. Ito, dicet impio custos Angelus, vti olim Babyloni Ieremias: *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam: quoniam tempus vltionis est à Domino.*

Matt. 25. 6. Iusto è contra dicetur, *Veni benedicte Dei, posside regnum*, quod *tibi præparatum est ab origine mundi.* Luc. 19. *euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, quia super modicum fidelis fuisti, super multa te constituam.* Psal 115. Quàm, Deus bone, *pretiosa mors iustorum* est, & Num. 23. improborum mala? *moriatur*, obsecro, *anima mea* Cant. 2. *morte iustorum*, da videre *faciem tuam decoram*, & *sonet vox illa dulcis* absolutionis *in auribus meis*, tum Psal. 70. *introibo in potentias Domini*, & *iustitiam* eius annuntiabo.

2. Cor. 6. 7.8. Elige anima mea: *ecce nunc tempus acceptabile, & dies salutis.* Via hic ineunda proponitur, ad alterutrum dirigens finem. Vide, vtrùm esse velis vas cōtumeliæ, an honoris: nouit enim suam Deus mutare sententiam, si tu tuam noueris mutare vitam, vt ait Augustinus.

9.10.11.

9.10.11. Vinea adeò deformis, & tamen fœcunda, abies adeò virens, & tamen inutilis; duo passerculi in purgatione leprosi, vnus quidem immolandus, alter auolare permissus; duo captiui in carcere Pharaonico, vnus in crucem actus, alter dignitati pristinæ restitutus; totidem symbola sunt & notæ horum diuersorum finium & iudiciorum de Lazaro & Epulone latorum. Eligite, carissimi aut ignem, aut aquã; & qualem sectati estis vitam, talem exspectate mortem; & qualis prior fuerit actio, talem secuturam putate sententiam. *Leuit.* *Gen.40*

Et discite ex hacce homilia, 1. duo esse iudicia, generale & vniuersale vnum, aliud particulare, 2. huius tempus, 3. locum, 4. personas, 5. testes, 6. examen, 7. denique definitiuam post rationum nostrarum clausulam sententiam. Amaras hasce, sed stomacho salutares herbas ruminate, carissimæ ouiculæ meæ.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QVADRAGESIMAE.

De necessitate Passionis D. N. Iesu Christi.

HOMILIA XV.

Homo erat paterfamilias, &c. Matth. 21.

NATVRAE progressus est a paruo ad magnum, à modico ad multum. Hinc malo inaugente ingeminat medicus remedia, & minùs noxia malignaque vlcera per lenientia curantur malagmata; at gangrænæ ferro secantur & igne; & mali morbique extremum extrema exigit antidota. Nonnisi in morbo letifero & desperato, ac summo vitæ discrimine lapis Bazarites, epichemata, theriaca, succus opij, & mixtiones illæ Alchermicæ, aquæque fortes & cordiales adhiberi consueuère,

nonnisi enormissimis criminibus culpisque grauia irrogantur à iudicibus supplicia, vt

---adsit

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

Quos in Euangelio præsenti mactari cernimus à vinitoribus perduellibus, missi à patrefamilias serui, & ipsemet eiusdem filius vnigenitus, ænigmatica quodammodo nobis in imagine ostendunt, quàm necessarium esset Iesum Christum mortem & passionem subire, vtpote sine cuius sanguine omnium sacrificiorum veterum sanguis, & effusus Prophetarũ & iustorum omnium iam inde vsque ab Abel cruor, inutilis erat, & ad nos redimendum insufficiens. De hac necessitate hac homilia erit dicendi locus, & quidem adeò perspicuè & ordinatè, vt ex ipso contextu, quem iam iam ordior, id perspiciendum sit.

I. 1. Theologorum omniũ, & imprimis D. Thomæ, qui instar sit omniũ, concors sentẽtia est, minimã Redemptoris Iesu iã inde à primo quo conceptus est articulo, quam fecit actionem, decies centenis mundorum millibus redimendis parem ac sufficientem fuisse.

3. p. q. 34. a. 3.

3. p q. 46. a. 1.

2. Rursus docent, Deum in incomprehensibilis sapientiæ suæ thesauris mille alia habuisse media ad protoplastis nostri peccatum, quod reliqua omnia funesta quadam concatenatione attraxit, delendum & eradendum.

Valent. tom. 4. disp. 1. q. 1. p. 5.

3. 4. 5. Ergóne necessarium fuit, quærunt curiosi, Christum Dominum ad genus humanum redimendum pati? ad quam quæstionem Scholastici distinguendo respondent. Dicitur namque res alia necessaria necessitate necessitante vel absoluta; alia necessitate conuenientiæ per hypothesin vel suppositionem finis. Exemplum posterioris est: Impossibile est sine nauigio è Gallia in Angliam traijcere, vel è Calabria in Siciliam: nauis igitur hic necessaria est necessitate conuenientiæ: etsi namque id homini impossibile sit, Deo tamen omnipotenti id facillimum est, cui plurimæ alicuius sine nauigio trans mare

mitten-

mittendi suppetunt viæ. Sic enim Abacucum Prophetam per Angelum subuexit, Apostolum Petrum, & S. Raimundum à Rupeforti aquis inambulare fecit & traiecit. *Dan. 14.* Prioris necessitatis exemplum esse cogitate accidens quoddam penitus à substantia inseparabile: verbi gratia, hominem esse risibilem, ratione donatum, corpore simul & anima constantem.

6. Priori necessitate necessaria dici nullo pacto Redemptoris Iesu Christi passio potest. Deus namque in cunctis actionibus suis liber est, potentiæ illius altitudo immensa est, scientia profundissima, semitæ illius incomprehensibiles, & inuestigabilia iudicia, viæ denique eius tam ab intellectu & comprehensione nostra remotæ, quantum distat cælum à terra.

7. Sed necessaria fuit secundâ. Etsi enim mille & rursus mille Deo nostri saluandorum suppeterent rationes, nullam tamen hac vna inuenit & habuit præstantiorem, nullam quæ magis rigidæ suæ iustitiæ quadraret, nullam etiam, quæ cum misericordia sua magis conueniret, nullam denique, quæ incredibili infinitoque suo erga humanum genus amori foret accommodatior & respondentior. *August. lib 13 de Trinit. c. 10.*

8. *Oportuit* igitur necessitate hac conuenientiæ *Christum pati, vt intraret in gloriam suam*, in quam *per proprium sanguinem introiuit*, & eodem est modo hominum redemptionem operatus. *Luc. 24. Hebr. 9.* Idque quatuor de causis. Primò, vt Patrem iratum reconciliaret; Secūdò, vt culpam nostram expiaret; Tertiò, ad salutem nostram; Quartò denique, quò infinito suo amori satisfaceret. Quarum singulas ordine enucleatiùs iam examinabimus, & primò eas auctoritate ac testimonijs, deinde ratione, tertiò figura, denique simili ... quo confirmabimus.

II.

1. 2. 3. Iustè Patrem æternum Adamo indignatum fuisse qui neget, næ ille infallibilia supremi illius Domini iudicia sugillare velit. Primò, ob summam illius ingratitudinem, quid non enim à manu illius

Gen. 2. prodiga & effusa potiùs, quàm liberali acceperat? vt qui tam illustre illi parauerat habitaculum, & absolutum in vniuersum terrarum orbem & creata omnia dederat imperium. Secundò, quòd tam facilè obseruatu præceptum transgressus esset. quid enim faciliùs, quàm ab aliqua re abstinere? Tertiò quòd delictum hoc vniuersale & commune foret, vt quod contagioso & noxio quodam afflatu & descensu ad omnes eiusdem nepotes ac posteros dimanauit:
1. Cor. 15. *Omnes enim in Adam peccauimus*. Hanc porrò Patris cælestis iracundiam fuso sanguine suo Redemptor Iesus leniuit.

4. Confirmatur idipsum Apostolica auctoritate:
Rom. 5. *Cùm inimici essemus Deo Patri, reconciliati sumus per*
1. Ioan. 2. *mortem filij eius*: qui *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mũdi.*

5. Idem & ipsa suadet ratio: vt enim Regum ac Principum ira, quæ mortis quædam est nuntia & præambula ac fulmen, nonnisi amicorum & familiariũ Regi Magnatum, quorum adhibetur ad gratiam cõciliandam opera, patrocinio & intercessione placa-
1. Ioan. 2. tur; sic *aduocatum habemus Iesum Christum*, & *mediatorem* redemptionis, qui sine intermissione orat Deũ
Matth. 3. Patrem pro nobis. Ipse *filius* eius *dilectus*, *in quo* ipsi *bene complacet*. Iusta furoris & indignationis illius accensæ iacula in hoc vmbone, si quando ad ipsum perfugium habemus, fracta eliduntur.

Exod. 12. 6. Allegoria manifesta est, in domorum in superliminari signo Tau agni sanguine expresso notatarum, ab Angeli exterminatoris in primogenita Aegypti sæuientis gladio exemptione.

7. Similitudinem suggeret natura Leopardi, qui rabie efferascens agni inspecto sanguine mitescit. *Agnus* hic Redemptor Christus est, *qui tollit peccata mundi*, cuius sanguis Patri cœlesti exhibitus & ostē-
Psal. 76. sus facit, vt *non contineat in ira sua misericordias suas.*

Altera mortis eius causa est, delictorum nostrorũ expiatio, quæ nulla elui aqua & alumine poterant; sed

ſed vnicus eius ſanguis, ceu *hyſſopus* ad animas noſtras *ſuper niuem dealbandas* proprius erat. *Pſal.* 50.

III.

1. Apertum rei huius teſtimonium eſt hoc: *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: attritus eſt propter peccata populi, patiens iuſtus pro iniuſtis. Chriſtus pro peccatis mortuus eſt. Apud Dominum copioſa redemptio: ipſe redimit Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius,* & alia plurima. *Apoc.* 1. *Iſaia* 53. 1. *Cor.* 15. *Pſal* 129.

2.3. Ratio deinde declarat, redemptionem hanc vnicum fuiſſe alexipharmacum, malo noſtro infinito pellendo proportionatum ac par. Cùm enim culpa noſtra infinita foret, idque ratione Dei, in quem ea commiſſa erat; neceſſe erat ei ſatisfacere hominem Deum; qui quidem vt homo pateretur, vt Deus verò infinitum doloribus ac pœnis ſuis pretium adderet. *Luc.* 10. Ipſe ſcilicet bonus ille Samaritanus eſt; qui in mundi huius Iericho deſcendens, conuenientia ac propria, quæ naturæ noſtræ vulneribus remedia medicamentaque adhiberet, inuenit.

4. Figura porrò purgationis huius fuit ſolennis illa leproſis in lege Moſaica præſcripta. Peccatum quippe ſpiritualis quædam eſt lepra, & *vmbram habebat lex, omniaq; in figura contingebant* veteribus. *Hebr.* 10. 1. *Cor.* 10. Afferebat igitur leproſus ſacerdoti duos paſſeres, quorum alterutrum liberum hic auolare ſinebat, alium verò interficiebat, eiuſque ſanguine leproſi faciem conſpergebat. *Leuit.* 14. Geminus hic paſſer vtriuſque in Chriſto naturæ imago fuit. Diuina ſiquidem pati neſcia, numquam mortem ſubijt: Deus namque *Deus viuens* eſt, & mori nequit; at humana in crucis eſt ara immolata, cuius ſanguis per vniuerſos mundi angulos reſperſus ac diffuſus à lepra peccati emundat & purgat eos, qui debitè eum ſibi applicant.

5. Leproſi adhæc purgandi auriculæ adfundebatur oleum & acetum: qui duo liquores duarum ſunt naturarum in vna hypoſtaſi coniunctarum ſymbolum. *Leuit.* 14.

6. Simile poterit esse pelicanus, qui proprio fœtus exanimes animat sanguine.

IV. 1. Tertia passionis huius necessariæ causa est ipsa nostra saluatio. Vt enim terrestris paradisus, ita & *Gen. 3.* cœlestis tamdiu Adamo, vniuersæque eius posteritati occlusus fuit, quoad sacram banc mortem Sal- *Psal. 106* uator oppeteret. at, quemadmodum cruce sua *portas* inferi *& vectes ferreos confregit*, quò vinctos Patres *Ephes. 4.* inde educeret, & *captiuam duceret captiuitatem*; sic eadem veluti clauis fuit ad cæli ianuam referandam, quò cum beato illo agmine summa cum gloria & triumphans illuc introduceretur.

2. Auctoritas potest ex Epistola ad Hebræos peti: *Hebr. 9.* euidens est enim: *Christus assistens Pontifex futurorum* *Psal. 23.* *bonorum* &c. Et spiritu Prophetico canit Psaltes, *Attollite portas, principes, vestras*, &c.

3. Suffragatur huic & ratio. nisi enim cœli effracta & ablata fuissent repagula, hunc in finem à Deo conditus homo fine suo frustratus fuisset.

4. Typus huius saluationis est, quòd mortuo Pon- *Num. 35* tifice Iudaico, omnes quodcumque etiam ob crimen extorres & profugi postliminio domum redibant, ac sine vlla vlteriori indagine rursus admittebantur terrestris Ierusalem portis patentibus. Ipsum & in cælesti factum esse post Domini nostri Iesu Christi summi *Sacerdotis in æternum secundùm ordinem Mel-* *Psal. 109.* *chisedech* mortem certissimum est. Ipse enim pecca- *Ephes. 2.* torum nostrorum, quæ à Deo nos separabat, *maceriam dissoluit. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.*

5. Considerate, pro similitudine, quòd, quemadmodum nulla alia comminui ratione potest adamas, quàm tepido hirci sanguine, quo solo respersus mollescit, & scalpro subeundo adaptatur; ita solus Agni immaculati sanguis adamantinas & fer- *Psal. 106* reas Tartari portas confringere & dissoluere (*Confregit portas æreas, & vectes ferreos,*) & cœli ianuas penetrabiles permeabilesque reddere potuerit ijs, qui

qui eodem essent conspersi.

Quarta causa est, vt hoc pacto extremo amori suo, qui in sacris litteris *excessus* dicitur, faceret satis. Mat. 17.

1. Audite, quæ id confirment sacra testimonia. V.
In caritate perpetua dilexi te, in manibus meis descripsi te: Ego sum pastor bonus, qui *animam do pro ouibus* meis. Quin etiam ipse sanguinem, quem sacro suo capite spineum sertum expressit, defluentem rorem amoris nominat. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Et ad Ephesios Apostolus, *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.* Et Euangelista, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ierem. 15. Isaia 49. Ioan. 10. Cant. 5. Ephes. 2. Ioan. 3.

2. Deest hic ratio; nam amor rationem ignorat. nam

Amare & sapere nec Deo conceditur

Amori namque proprium est cæcutire, vnde qui velamen illi aufert, pulcherrimo illum dispoliat ornamento. Cogitandam vobis hanc propositionem relinquere malo, quàm pluribus extendere: nam ex omnibus diuinis rationibus nulla fuit immensitati magnitudinique amoris eius hac conuenientior. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* quid igitur eam pro inimicis suis exponere? ô vnicam Dei miseratoris & misericordis benignitatem! Ioan. 15.

3. Sanguini illius parce, crudelis amor, quin meas potiùs omnes elicias lacrymas.

Nec lacrymis crudelis amor nec gramina riuis, Virgil.
Nec cythiso saturantur apes, nec rore cicadæ. eclog 10.

4. Figuras dare queam sexcentas; sed vnam in præsentiarum attulisse vobis sufficiat. Vt Sichem Dinæ amore captus circumcidi se passus est, & haud multò pòst ab ipsis raptæ puellæ fratribus obtruncatus; sic Dominus Iesus suum pro natura humana ef- Gen. 34.

 fudit

fudit sanguinem, & à Iudæis est corruptæ illius fratribus neci datus.

Plin. lib. 35. c 10. Valer li. 5. c. 7. Plutar. Demetri.

5. Similitudinis loco produci possint Apelles & Antiochus; quorum ille Campaspes, hic Stratonices nouercæ amore ardentes demortui sunt.

Ex omnibus verò adeò ordinatè methodiceque à me allatis colligite, 1. quid sit necessitas absoluta, quid conuenientiæ, & hac impellente Dominum Iesum mori debuisse quatuor ob causas, 2. Primò ad irati Patris sui furorem mitigandum, 3. Secunda est, vt nos emacularet, 4. Tertia, quò nos saluaret, 5. Quarta denique, vt extremo suo in nos amori satisfaceret; quas singulas rursus, 1. auctoritate & testimonio è sacris códicibus, 2. ratione, 3. figura aliqua veteri, 4. simili quopiam confirmauimus.

DOMINICA III. IN QVADRAGESIMA:

De peccati plagis.

HOMILIA XVI.

Erat Iesus eijciens dæmonium. Luc. 11.

IN grauissimis desperatissimisque morbis medici potissimum ars elucet & industria, naucleri solertia in fœdissima tempestate, & militis generositas in præsentissimo discrimine apparet. Redemptoris nostri Iesu potentia & fortitudo hocce in Euangelio in primis patescit, in quo videmus mutum, surdum, cæcum, & à prauo spiritu correptum, ac desperatæ planè salutis ab eo persanari, furorē illius frenari, & à dæmone, à quo intus insidebatur, liberari. Hem quàm terribiles feralesq; iuratus hominis aduersarius Satan misero huic homini plagas inflixerat?

xerat? vt qui vno eodemq; tempore & linguæ, & aurium, & oculorum vsum amiserat, & horrendis diuexabatur conuulsionibus; quæ memoriam mihi refricant plagarum, quas peccatum spirituali animarũ, in quibus dominatur, Aegypto infligit. Circa moralem hunc cõceptum hæc, quanta quanta est, homilia versabitur. Vos modò benignas dicẽti aures date.

1. Moyses & malefici, vt in Exodo legere est, omnibus hinc & illinc viribus & neruis pro se quisque allaborant, vtri potentiùs repetitis Pharaonis cor signis vel flectant, vel obdurent; ille quidem veris, hi verò mendacibus & falsis. Quo certamine & contentione mysticè repræsentatum video Dei Opt. Max. cum mundo, vel Angeli nostri tutelaris cum maligno duellum, quo inter se digladiantur, vter ipsorum cor nostrum sibi vindicet, ille quidem bonis salutaribusque ad virtutis studium inspirationibus, hic verò prauis ad peccatum suggestionibus, & illusionibus illecebrosis. I. *Exod. 7.*

2. Virgam singuli manu gestant, sed harum ingens est discrimen. bona quidem *virga directionis* est ad cælos, *virga virtutis, virga ferrea, sceptrum iustitiæ*, virga paterna; mala autem à Psalmista dicitur *virga peccatorum*. virga Ionathæ, quæ tangit fauum, & generat mortem. *Psal. 44. Psal. 109. Psal. 2. Psal. 124. 1. Reg. 14.*

3. Mirum sanè, tantam Dei nostri bonitatem esse, vt supernaturali quodam modo è malo bonum veluti per clibanum & caminum eliciat, quam nemo præterquam ipsemet solus artem callet. In manu Mosis virga, extra illam in colubrum transit. Peccatum qui *aduersum se Deo confitetur*, per *virgam disciplinæ* ipsum illi remittitur; aliàs succensus quidam serpens est, qui letales infligit morsus. *Exod. 7. Psal. 31. Prou. 22.*

4. Virgæ magorum fascinabant præstigijs oculos inspectantiũ; sic peccatum mera gignit phantasmata, & illusorias quasdam imagines. Mosaica porrò virga, quæ reliquos deuorabat colubros, salutarem denotat pœnitentiam, quæ peccatum adedit & delet.

 5. Sed

5. Sed quid? an non peccatum ipsum virga, flagel-
Psal. 31. lum & suo auctori taurea est? *Multa flagella pecca-*
Psal. 15. *toris*; & quidem flagellum è funibus contextum: *fu-*
nes peccatorum.

Iuuenal. *Occultum quatiens animo tortore flagellum*
Sat. 13. *- --attonitos & sæuo verbere cædens.*

Ita scilicet, asserente Augustino, disposuit Deus, vt omnis mens inordinata sibi ipsi crux & tortor foret.

6. 7. Sic Deus peccato propriæ ac sui ipsius destructionis semina, non secùs ac scorpioni ac catharidi, indidit, atque putrescenti hoc ligno vermem innasci fecit, à quo ipsum eroderetur occultè.

8. 9. 10. Paterna porrò Dei virga est, quæ adinstar
Psal. 91. hastæ Achilleæ dum vulnerat, medetur & sanat. vnde & *cornu* eius esse dicitur *sicut vnicornis*, quod dum sauciat, medicamenti est loco. Prô salutarem Theriacam, quæ ex ipso etiam veneno antidotum concinnat & educit!

11. Malefici Aegyptij plagas inducunt, vt Pharaonem obdurent, suas verò Moses *in digito Dei*, ad adamantinum eiusdem animum flectendum; sic diabolus peccato homines in perditionis & exitij abyssum pertrahit, è contra Deus eiusdem horrore indito, ad sanctæ cuiusdam pœnitentiæ fastigium ac montem eos sustollit. Particulariùs hoc in opposita & antithetica decem Aegyptiarum plagarum comparatione iam disquiramus.

II.
Exod. 7. 1. Prima fuit aquarum in sanguinem cõuersio. quid
Gen. 1. porrò aliud est peccatum, quàm quædam à creatore
Apoc. 1. (cuius *spiritus ferter super aquas*, & qui *dominatur in aquas multas*, & cuius *vox est sicut vox aquarum multarum*) auersio, & ad creaturam conuersio?

2. Aliud quippe ferale peccatum non facit, quàm cælo animam nostram reuellere; quòd tamen eiusdem origo, centrum, vera sedes est, & habitaculum; & eam in terram transferre, vt vanitatibus, voluptatibus, ac terrenarum opum cupiditati totam faciat adhærescere & implicet.

3. Anima

3. Anima margarita quædam est, quæ, ceu gutta roris cœlestis, corporeæ conchæ infusa, in sanguinem primò quidem per originarij peccati, deinde per actualis infectionem, quæ carne & sanguine designantur, conuertitur.

4. Hac aquarũ in AEgypto cõuersione omnes exstincti sunt pisces: sic peccatum mera sanguinis progenies vniuersa bona piaque animarum nostrarum offocat desideria.

5. Pœnitentia vice versa (quæ sanè virtus appellari non immeritò potest Hercules monstrorum ac malorum domitor) aquas deliciarum in sanguinem mutat mortificationis.

6.7. Aut potiùs afflictionũ *pertranseuntium animas aquam* vertit in sanguinem generosæ cuiusdam & masculæ constantiæ, vel sanguinis, quem in passione sua Redemptor Iesus, ad amaras & *corruptas* peccatorum nostrorum *aquas* auferendas effudit, consideratione eadem aufert & delet.

8. Porrò, naturam nostram deprauatam per carnẽ & sanguinem denotari manifestum fit ex ijs, quæ S. Petro olim Redemptor dixit, dum eum *beatum* prædicat, quòd, quã de diuinitate ipsius protulerat sententiã, *nõ* illi *caro & sãguis, sed pater qui in cœlis est* (qui *tegit aquis superiora* rerum) *reuelasset*. Et an non de doctore Gentium Paulo scriptum, ipsum mox à conuersione, *continuò nõ acquieuisse carni & sanguini*? *Matt. 16. Psal. 103. Gal. 1.*

9. Moyses verò sanguinem rursus in pristinam aquæ formam transire facit. Quid autem suis aliud facit pœnitentia lacrymis, quàm per oculorum clibanum sanguinem, qui è *corde contrito & humiliato* ebullit, in aquam floridam & plorabilem cõmutare? *Psal. 50.*

III.

1. Secunda AEgypti plaga fuêre ranæ: quibus linguæ effrenis adumbratur intemperantia, cuius animal hoc garrulum egregium est symbolum. Quin etiam Poetæ fabulantur, agricolas Delios, quod gemelliparæ Latonæ, Apollinis & Dianæ matri obtrectassent cõuitio, in fœda hæc animalia cõuersos esse. *Exod. 8. Ouid. Metam. lib. 6.*

2.3.Ranæ delectantur palustribus & vliginosis locis: lingua quoque nostra in humido semper & lubrico condita est & habitat loco. Cœno illæ gaudent; sic maledicus alienorum delictorum sordibus detrahendo calumniandoque innatat, sæpeque intra calumniæ dolium sese abdit.

4.Mirum illud in fœdo hoc animalculo, quòd vocẽ habeat, pulmone verò careat. garruli id nota est, qui semper conuitiatur & obtrectat, non tamen quę dicat, aduertit vel considerat.

5.Ranarum vox, vel importuna coaxatio, certissimum instantis pluuiæ præsagium est: hanc Plutarchus vocem *ololygon* vocat, ita obloquia & dicteria maledicorum rixosæ tempestatis, iurgiorum, ac nebulosæ litis indicium sunt.

6.Hæ detractoriæ ranæ non rarò in mendacij ac maledicentiæ bufones desinunt, ac tum *venenum aspidum sub labijs* fouent. *Psal.13.*

7.Est & aliud ranarum genus, quod ceruicalibus Regum vt plurimum insidet; adulatores scilicet, qui fraudulentis assentationibus suis ipsos dementant, & parasiticis incantationibus auribus ipsorum inseruiunt. Hos persimiles esse dixero ranæ marinæ, quæ in arena littoris delitescens, carnosa quædam tuburcula naso innata quasi escam insidiosè foras exerit; quæ dum reliqui pisces arrodere & vorare gestiunt, ipsa arenâ proserpens vorantes deuorat.

8.Pœnitẽtia è contra virtutum est rana, ac vitiorũ exstirpatrix, quæ lacrymarum humore gaudet, & in humilitatis cœno libenter volutatur, cuius etiã vox Deum simul & Angelos recreat. *Exaudit quippe Deus orationes humilium, & non spernit preces eorum.* *Psal.101.*

Cant. 4. 9.Ipsa *fauum & lac sub lingua* habet, id est, in corde pariter & ore.

10. E ranis comminutis puluisculus concinnatur linguæ vlceribus & malis curandis salutaris: Pœnitentia quoque per confessionem omnia linguæ vitia sanat, linguæ inquam adeò in malum

lum pronæ & labilis, vt eum perfectum virum dicere S. Iacobus non vereatur, qui linguâ non offendit. *Iac. 3.* IV.

1. Tertia plaga fuère quoddam pediculorum genus, quos sciniphes vocant: qui quales fuerint, interpretibus sacris dispiciendum relinquo: hoc dico, insecti hoc genus è pinguiū immunditiarum nostrarum sordibus enascens, prauarum nostrarum *cogitationum*, quæ *de corde* & animo nostro infecto *exeunt*, vnà cum omnibus illusionibus suis, quæ Morphei persimiles sunt, figuram esse. *Matt 15. Ouid. 11. Metam. Phantasmatis.*

2. Importuni nimirum vermes cor ipsum, è quo oriuntur, corrodentes, ipsumque tandem enecantes. Viperinum scilicet genimen.

3. Sentina quoque nauis, in qua ij mures & glires nascuntur, à quibus ipsa tandem corroditur, perforatur, & mergitur.

4. Molestum insectum, ait Philo Iudæus, tū quòd fœtorem creet: tum quòd extremam cutis superficiē ceu stimulis quibusdā, pruritu & impetigine depascatur. non inscitè id obscenarum cogitationum importunitati adaptes, quæ castum & nitoris amans cor & infestant & inficiunt.

5. Vt verò pueros potissimū importunū hoc vermiū genus infestat; sic animas in pietatis exercitijs etiānum rudes & molles sub initium conuersionis vt plurimum molestæ cogitationes diuexant, ac pia ipsarum proposita disturbare & euertere conantur. *Plut in Sull.*

6. Non paucos scelestos pediculari hac impetigine extinctos legimus: imprimis Sullam, Herodem Agrippam, Imperatorem Arnulphum, Antiochum Epiphanem, Iulianum Apostatæ Imperatoris auunculum, Honorium Arrianum VVandalorum Regem, & Caluinum. Nam iuxta Ecclesiastici monitū, *Vindicta carnis impij vermis* est. Quàm multæ verò animæ per mortiferas cogitationes peccare deliberatè decernentes gratiæ moriuntur! *Act 22. 2. Mach. 9. Sozom. l. 5. c. 8. Sigebert. in Chrō. Volater. Bolsec. in vita Caluini.*

7. Ceterùm pœnitentia per contritionem miseris hisce animabus vitam restituit, *& cogitatione confitetur Deo, sperās in Domino, quoniā iterū cōfitebitur ei.* *Eccli. 7.*

8.Pediculorum tollendorum optima ratio eſt, ſæpe veſtes & interulas mutare, tametſi in triremibus remigibus id aliter videatur: ſic prauarum & nequiorum cogitationum antidotum eſt, frequens iterataque delictorum confeſſio; quamquam mundi aſſeclis & mancipijs, qui non niſi coactè ſalutarem hanc purgationem ſemel in anno vſurpant, aliter lōgè videatur.

9. Pediculi à mortuis ſe ſubducunt corporibus, ſic ab hominibus mortificationi addictis ſequiores malignæque cogitationes recedunt.

V.

Exod. 8. 1.Quarta plaga fuêre muſcæ, quæ deliberatum peccandi animum, & conſenſum ſignificant. Impudentiæ imago muſca eſt; quòd repulſa & abacta, *ſemper tamen ipſa recurrat*. Ex quo enim cogitatio radicata eſt & deliberata, ægrè ad mentem ſaniorem redeas.

Eccleſ. 10 2.Sunt nimirùm *muſcæ* illæ *morientes*, quæ, vt docet Sapiens, *ſuauitatem perdunt vnguenti*. Volantes enim leueſque cogitationes nonniſi prima tentatio ſunt, & titillantes pruritus; ſed fixæ deliberatæque, ſecundùm mortale, quod habent obiectum, peccata letalia ſunt.

3.Muſcæ hæ è terræ oriuntur puluere, & nonniſi æſtate viuunt: ſic funeſtæ hæ cogitationes, quotquot ſunt, ſemper circa vanitates terrenas verſantur, & intra voluptatum calores fouentur & viuunt.

4. Nunquam illæ ſpeculo læuigato, id eſt, nitidæ perque pœnitentiam politæ conſcientiæ inſident, ſed ijs dumtaxat, quas inæquales, rudes, & ſcabras peccatum reddidit.

5.Hæ ſcilicet muſcæ, mundi cordis templo excluſæ ſunt, ac, ceu importunæ quædam volucres ab generoſa anima, velut Abrahamo à cordialibus ſinceriſſimorum affectuum noſtrorum ſacrificijs abiguntur.

Gen. 15.

VI.

Exod. 9. 1. Quinta plaga fuit peſtis. Peccati ea eſt imago;

Iac. 1. non iam quidem dicti aut cogitati, ſed penitus opere con-

cõſummati: *concupiſcentia* enim *parit peccatũ, & peccatum mortem.*

2. Fames, & infectus aër ſunt vt plurimum contagioſæ huius tabis initia ac ſeminaria; ſic lingua & cogitatio operi plerumque præcurrunt. *Dixit, & facta ſunt.* *Pſal. 32*

3. Ceterùm peſtis non ita corporibus letifera eſt, quàm letale animæ peccatum: quin imò ſatius foret mille in corpore habere anthraces putiſcentes, quàm vel vnum in anima ſcelus: hoc enim æternam mortem, cùm lues temporalem dumtaxat inferat & momentaneam, quæ tandem citiùs aut ſeriùs hoc vel illo pacto indubitatè nos opprimet.

4. E malignis humoribus & infecto ſanguine progignitur peſtis; peccatum verò à prauis moribus, & malè ordinatis habitibus originem trahit.

5. Eius curandæ media ſunt, temperata viuendi ratio ac diæta, ſuffitus, inciſiones, cataplaſmata, atque in primis flamma & ignis. Solon pluribus hinc inde per orbem excitatis ignibus, peſtem ab Athenienſibus legitur pepuliſſe. Eodem prorſus modo ab anima peccatum effugat pœnitentia: ipſa ſiquidem vitã tẽperat ac moderatur, cęlicis orationis nidorib⁹ nos ſuffumigat, malis noſtris antidota adhibet, atque imprimis ſancti Amoris diuini ignem in cordibus noſtris excitat.

6. Brumale frigus contagionem letiferam ſopit & exſtinguit, ſic auſterioris & ſeuerioris vitæ frigus concupiſcentiarum ardorem mitigat & conſopit. VII.

1. Peſtem ſecuta ſunt apoſtemata, vlcera & veſicæ; *Exod. 9.* atque hæc ſexta fuit plaga. Hæ ſignum & indicium ſunt ipſius pœnitere, quod peccati iam opere perpetrati vterinus eſt frater, & fida infelicis corporis huius vmbra, quod qualecumque demum ſit, furuã & atram ſemper habet vmbram.

2. Peccatum, inſtar apis, vnà cum voluptatis melle acutũ mordentemque pœnitentiæ aculeũ circũfert.

3. Syndereſis hæc vlcus eſt interiora malè diſpo-

ſita & malè affecta corrodens.

4.Non tam citò à tonitru excipitur fulgur, quàm à diſplicentia peccati placentia : quod manifeſtè in Ira ad oculum patet:

-----qui non moderabitur iræ,
Hora li. 1. epiſt. 3. *Infectum volet eſſe, furor quod ſuaſerit aut mens, Dum pœnas odio per vim feſtinat iniquo.*

5.Euidentis exempli & teſtimonij omni exceptio- Act. 1. ne maioris loco ſint peccatum Iudæ & Amnonis.

2. Reg. 13. 6.Et ſanioris propoſiti & ſanctioris S. Petrus, Ma- Matt. 26 gdalena, & filius prodigus, commiſſo crimine lacry- Luc. 7. mantes. Luc. 15.

7.Apoſtemata ſcalpro & peniculo lineo, vlcera verò mordicantibus corrodentibuſq; inſperſis pulueribus curantur. hæc omnia pœnitentiæ effectus ſunt ad peccatum deſtruendum.

8.Hiſce remedijs ſuccedunt alia lenitiua & molliora: poſt reprehenſionem quippe & correctionem ſequi ac ſuccedere debet lenius fomentum & conſolatio, ad Ezechiæ regis exemplum, quem præmiſſis 4. Reg. 20 acrioribus minis, maſſâ ficorum poſtea vlceri appoſitâ Propheta ſanitati reddidit.

VIII. 1.Grando plaga ſeptima mala deſignat ea, quæ Exod. 9. corpori peccatum infligit. Vt enim hęc aeris impreſſio è terræ enaſcitur exhalationibꝰ, ita plurimi morborum, quibus corpus quodammodo grandinatur, vel à crapula, vel à voluptate venerea ortum habēt.

2. Grando intra nubes efformatur, perq; mediæ aeris regionis frigus, ex inferioris eiuſdem partis calore repercuſſum, in grana condenſatur. Vnde porrò tot rheumata, tot in cerebrum è ſtomacho aſcendētes, & è cerebro in tot inferiores corporis noſtri partes deſtillantes defluxus gignuntur, niſi ex oris intēperantia, quod nimis quàm multa in ſtomachum traijcit?

3.Benè eleganterq; vetus quidam ait, *Intemperans iuuentus effœtum corpus tradit ſenectuti.* Grando nonniſi in æſtate cœlo cadit, & potiſſima morborum corpo-

corporeorum pars ab effrenis concupiſcentiæ carnalis ardoribus progerminant.

4. Hęc omnia ſata vaſtat ac deſtruit, flores omnes conculcat, ac fructus euertit & peſſumdat; ſic corporis inualetudo omnia pia deſideria, & meliores affectus ſuffocat & opprimit.

5. Hoc vt malum declines, optimum vmbraculum ſuppeditabit pœnitentia: ipſa inſula quædam fortunata eſt, quã tẽpeſtas & grando nulla exagitat; illius dięta, dimenſa vitæ ratio, abſtinentiæ, ieiunia purgãt corpus ſimul & animam. Aſpera quædam & inmitis ipſa apparet bruma. hinc numquàm illam meteorum hoc afficit & affligit.

6. Lupi grandinem maximè exhorreſcũt, quo enim loco à grandine percutiuntur, eo cuti ipſorum vermes innaſcuntur, à quibus depaſti emoriuntur. Pœnitentia ſalutaris quædam eſt grando, quæ omnes peccatorum lupos deuaſtat & enecat.

1. Ad octauam locuſtarum plagam delabor, quæ innumera, quæ peccatum in animabus noſtris operatur & producit, mala repræſentat. Nullum in ijſdem gratiæ relinquit virorem, ſpem nullam ſalutis, fructum nullũ, qui valeat, nullum boni deſiderij ramuſculum, nihil denique ſani vel integri. IX. *Exod.* 10.

2. Hæc animalcula, ſymbolum imprudentiæ, tota æſtate cantillant, de ſibi de victu, adinſtar formicarum, proſpiciẽdo parùm ſollicita, vnde & brumę tempore fame & frigore emoriuntur, quod deſit & commeatus, & diuerſorium. Tales haud dubiè ſunt incauti improuidique peccatores, qui in præſentia dumtaxat intenti, de futuris nequidquam laborant: viuentes & concupiſcentes quaſi immortales futuri; perinde tamen ac mortales tremiſcentes.

3. Hæ ſcilicet locuſtæ illæ ſunt, quas puteo prodijſſe commemorat Apocalypſis, à quibus vniuerſa de inde terra depaſta eſt. *Apoc.* 9.

4. Et quæ viridem Ionæ Hederam adederunt;

ſpem *Iona* 4.

ſpem enim omnem deſtruit peccatum.

5.Reptile hoc ſaltitando ingreditur(vnde & Gallicè nomen habet) quin locuſtarũ nonnullas reperire eſt alatas. talis haud dubiè animæ peccatricis natura eſt & inclinatio, quæ *ſiluas ſaltuſque pererrat*, vt vultures tranſmarina olfacientes cadauera: cuius etiam deſideria infinita nullis rebus ſatiantur. Teſtimonio ſint auri cupiditate ardentes & ambitioſi.

6.Pœnitentia harũ peſtium eſt exterminatrix, quę Cyrenenſiũ more, de quibus loquitur Plinius, ipſas
Lib.11. c.29. omni qua poteſt ratione exagitat & expugnat.

7.Glacies eius ipſis exitialis eſt, & vehemens ſuſpiriorum illius ventus *in profundum maris* eas abripit. Exemplo ſint locuſtæ illæ, quas anno ſalutis
Sigebert. in Chro. Regino in Chron. milleſimo trecenteſimo quarto poſt ſeptuageſimum Galliam affligentes Aquilo quidam aſperior in oceanum propulſas demerſit.

Otho Friſing. in Chron. X 1.Spiſſæ tenebræ nona fuêre plaga; quales ſemper peccatum comitantur: quod, vti in cadauere vorando primum ſemper ab oculis incipit coruus, ita peccatori ante omnia caliginem oculorum & cœcitatem immittit.
Exod. 10.

Iudic. 16 2.Neque aliter eum habet, quàm Samſonem Philiſtæi, quò eum piſtrino molendinoque applicet.

3.Sunt porrò tenebræ palpabiles: quis enim non quodammodo digito manuque peccatoris cœcitatẽ tangat?

4.Qui incautus & imprudens, per aliquam ſibi vanitatem voluptatemve à diabolo ſinit illudi & obnubi, non ſecùs ac falconi auceps oculos velat.

5.Verùm pœnitentia viciſſim ſol quidam rutilãs eſt, à quo tenebræ hæ diſpelluntur; quin imò collyrium & chelidonia quædam omnem cœcitatem tollens.

6.Columna ignea eſt, quæ ſpiſſas inter & furuas
Exod. 14. mortis vmbras fulget & micat.

Act. 9. 7.Vnde etiam ab Apoſtoli Pauli iam conuerſi & pœni-

pœnitentis oculis *cecidere* albugines tamquam *Act.* 9.
squamæ.

1.Decima ac postrema plaga fuit primogenitorũ XI.
nex & exterminium. quid porrò aliud facit pecca- *Exod.* 11.
tum, quàm cor nostrum interimere, quod membrum
primum in nobis & alijs animantibus viuens est?

2.Potissimùm furor illius in boni principia, bonas inquam inspirationes, & primos pietatis motus grassatur, quos velut *paruulos ad petram allidit* ob- *Psal.* 136.
durationis.

3.Suffocat adhæc in nobis gratiam præuenientem, inque desiderijs nostris Iesum paruulum, etiamnum tenerum *primogenitum omnis creaturæ* opprimit & *Coloss.* 1.
exstinguit.

4.Pœnitentia vice versa, velut Elias primogenitũ *3. Reg.* 17
viduæ exanimem, cor inquam nostrum deiectum & imbelle resuscitat & vegetat.

5.Atque vt pelicanus paruulos exstinctos sanguine suo animat & pascit, ita ipsa nobis gratiã, animæ animam, & cordis vitam per Iesu Christi sanguinem reinspirat, quo nos illa abundè vbertimque rigat.

6. Si quidem corpore nos *mortificet*, non id aliter *1. Pet.* 3.
fit, quàm vt *spiritu viuificet*: si *viuentes* nos *deducat* *Psal.* 54.
ad infernum, apprehensione scilicet & imaginatione, *1. Reg.* 2
ideò facit, vt inde nos per vitam meliorem, & bonũ emendationis propositum *reducat*.

1.Denique Israelitæ pœnitentes post hasce pla- XII.
gas sospites & incolumes mare rubrum pertransiêre, cuius obduratus Pharao & AEgyptij mersi, & *Exod.* 14
adobruti vndis interiêre, qui peccantium imago sunt. Passio Domini nostri Iesu Christi, mare amarũ sanguine ipsius rubicundum, conuerso salutis, & peruerso condemnationis est occasio.

2.Scelerum *dracones in* his pœnitentiæ *aquis* sub- *Psal.* 73.
merguntur: ipsa diluuium est, quod in microcosmũ expurgando, parcit humilibus, rebelles ac peruicaces obruit.

3.Aquæ sunt zelotypiæ & abominationis. *Num.* 5.

4. Mare ſcabiem ſanat & rabiem : aqua eius tum tergit, tum lauat, ac meliùs quàm dulcis ac fluuiatilis, ob vnguinoſam ſpiſſitudinem ſuam, natantem ſuſtinet. Omnia hæc de aqua pœnitentiæ, longè vtiliori & excellentiori, quàm dulcis inertium ſæculi voluptatum vnda dici accommodata queunt.

5. In hoc igitur mare deſcendamus fratres chariſſimi pede ſicco & mundo, ſed palpebris humentibus & lacrymantibus, vel diuinæ gratiæ conſcenſa naui. *Operemur bonum* in his aquis, his nos immergamus, atq; in iiſdē expiabimur, vti mari ſe abluere elephas immundus perhibetur. *Pertranſeamus ignem* S. Amoris, *& aquam* pœnitentiæ, quæ omnes plagas noſtras perſanabit, quò *ad* terræ promiſſæ, lacte gratiæ, & melle gloriæ manantis, ac ſexcentis benedictionibus irrigatæ *refrigerium* perueniamus. Pſal. 65.

Audiſtis igitur, 1. effectus virgæ peccati, & flagelli pœnitentiæ, 2. vtriuſque in decem AEgypti plagis antitheſes, 3. diuerſum eiuſdem finem. Ite in pace.

FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE:

De patriæ contemptu.

HOMILIA XVII.

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Luc. 4.

PERSICA poma natali in ſolo letifera & venenata, vbi ſitū tranſplātata mutarunt, noxia eſſe deſinunt; aëris locique ſcilicet mutatio efficit, vt proſint. Sic etiam Prophetæ, vt Redemptor in Euangelio præſenti teſtatur, ſua in patria & natali ſolo parui fiunt, in alieno magni. Hanc ob cauſam Nazarethi patrare miracula detrectat, patriam ſuam nō imme-

immeritò reijciens, vtpote indignam, quæ prodigiosæ virtutis suæ fructus coràm experiretur & videret. Quamobrem 1. ostendemus quid sit patria, 2. quanti ipsa facienda, 3. cur nullus in sua acceptus propheta, & 4. aliquid de exilio. I.

1. Patria propriè natiuitatis nostræ aut originis est locus, & in quo patres aut matres nostræ suas sitas habent facultates, commorantur, nosque in lucé produxerunt; hoc dicta nomine, quòd ibi noster sit sanguis, & paternitas, & cognatio.

2. Hinc factum, vt deos suos domesticos prisci *Lares* nominitarent, veluti genios lararios; vel *penates*, quasi dicas, *penes quos nati sumus*; pro quorum tuitione ac defensione qui certabant, *pro aris ac focis* pugnare dicebantur. AEneas in Troiæ excidio & euersione de his maximè fuit solicitus, *AEne. 2.*

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates.

3. Veteres sanè tantùm erga patriam affecti fuêre, vt potissimam religionis suæ partem in eo affectu sitam crederent. hinc tot historicorum, oratorum poetarumque de amore in patriam exstant testimonia, cui nescio quod robur & potentiam assignant, ita quidem potentem, omné vt orationem transcendat.

------- *Amor est patriæ ratione valentior omni.*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Afficit. & memores non sinit esse sui. *Ouid. 1. de Ponto eleg. 4.*

4. Inde ortum habet tritum illud & decantatum, *dulce & decorum pro patria mori.* Ipse etiam Cicero in somnio Scipionis ipsam, quam pro patria oppetim⁹, mortem, compendiosissimam ad immortalitatem & gloriã sempiternã esse viã dicit. Vnde etiã Homerus: *Horat. l. 3. ad 2.*

Nihil cuique sua est patria aut carius aut antiquius. *Iliad 15.*
Nil natali patrioque solo aut foco iucundius: *Suidas verb. νόστος.*

Deinde:

Maxima laus hominis feralem occumbere mortem
Pro patria, & noxas eius auertere vita. *9. Odyss.*

Ipse etiam Plato id demum appellat viuere pro eiusdem tutela & propugnatione mori non dubitare.

De repu. §. Hi autem. Instit. de excus. tutor. Philost. l. 1. Imag. c. 4. Pausan. Bœotic. Sophocl. Thebaid.

5. Codrus, Curtius, Fabricius, Agamedes, Trophonius, Buris, Sperthis, Meneceus Creontis filius, de quo meminit Philostratus, & duæ illæ generosæ sorores Androcia & Macaria, quas refert Sophocles, luculenta sunt mortem generosam pro patriæ incolumitate oppetentium exempla.

6. Sed non obstantibus tot præstantibus rationibus & historijs, nō id primum est Christianæ religionis paradoxon, quo gentilium opinionibus confutatis & explosis docuit contemptum & abnegationē non patriæ dumtaxat, sed etiam rerum omnium esse ad eò alacriùs lętiusque Christum sequendum pernecessarium.

7. Non quòd (vt hoc præmittam, antequam de cōtemptu illo verba faciam) propterea ciuiles ac patriæ negligendæ sint leges, sub quibus nati sumus; aut status reipublicæve, in qua agimus, forma contemptui habenda. Superioribus quippe parendum,

Rom. 13. *non solùm propter* timorem, verùm *etiam propter con-*
Silius l. 8 *scientiā*; &, *qui potestati* ordinationiq; *resistit, Deo resistit.* Et quidem eò impietas maior & indignior in patriam offendere quàm in inimicum, quò commune priuato magis est anteponendum.

------ Æterno fixum sub pectore serua
Rom. 10. *Succensere nefas patriæ, nec fœdior vlla*
Culpa sub extremas fertur mortalibus vmbras.

8. Væ igitur & anathema rei politicæ quietisque publicæ perturbatoribus, euersoribus, & perduellibus. *Quàm pulchri sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!*

II.

1. Non id ago, carissimi, vt patriæ vobis odium ingeram, & in ipsam vos concitem: id qui faceret, næ ille diabolicum suggereret consilium. sed communē illum ac vulgarem mentibus vestris eripere errorem volo, quo per speciem patriæ diligendæ auaritiam toto conatu propugnatis, hoc eam nomine amoris velantes, nec non nimiū illū affectum, qui terræ vos frustulo ita perditè affigit, ac si *glebæ addicti* essetis.

2. *Vbi*

2. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Nostis verò in Euangelio Saluatorem cõsulere, vt thesauros in cœlo potiùs quàm in terra congregaremus.

Matt. 6. Ibid.

3. Quid? Anne pecudibus brutisque in hoc genere stupidiores erimus, quibus suum pro patria est elementũ? Ad contemptũ hunc velim vt prophana vos exempla antè concitent quàm sacra.

4. Rogate Socratem, cuias sit, nec non Diogenem; Cosmopolitas sese esse dicẽt, vel ciues vniuersi. Nã vt Galliæ nostræ docet Cato, *Vniuersũ hoc omne, vnica rotũda quędã ciuitas est, cui⁹ se quilibet dicere ciuẽ potest.*

Cicer. l. 5 Tuscul. Laertius lib. 6.

5. Dicet etiam Seneca, habere se animum capaciorem, quàm vt angusto terræ angulo concludatur, & pedibus quodammodo agello vni alligetur, adinstar illius Aglai; patriam quippe suam totum hoc vniuersum esse, quod mente animoque complectatur.

Plin. l. 7. c. 47.

6. Quis hanc nobis fatuitatem indidit, vt ceu statuæ nasceremur vni cippo firmiter infigendę, & velut Sybaritæ, qui gloriabantur nunquam se pedem extra vrbis mœnia extulisse?

7. Qui vnius oppidi sese ambitu coarctat, sibi ipsi quodammodo adinstar bombycis carcerem cõstruit, ei se velut in pignus addicit, atque aureas pedibus catenas inijcit.

8. Nequaquam, fratres, non est hac nobis in seruitute viuendum; nam, vt ingeniosus loquitur Poëta,

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor,
Vt volucri vacuo quidquid in orbe patet.

Sapiens, vt testatur Cassiodorus, *omni loco & tempore suam constituere patriam potest.*

9. *In cœlum, in cœlum*, ait Seneca, *sursum nos nostrum vocat principium. Cœlum*, inquit Boetius, *nostra est patria, nostrum diuersorium, noster scopus.*

------*Hic amor, hic patria est.*

----*Et nos fas extera quærere regna.*

Ouid. 1. de Ponto. Lib 1 epist. 21. Suidas verbo πᾶσα γῆ πατρίς. Dio Cassius l. 31. Boetius. lib. 4. Consol. 6. 2. AEne.

10. Iam solidiora tractemus opera. Exemplumne digni⁹ honorabiliusq; vultis eo quod Redẽptor noster dedit, etiã quo ad cõtẽptũ eius, quod nos patriã dicim⁹?

Exod. 2. 11. Moses secundò patriam deseruit; primò quidē vxorem apud Iethro quæsiturus; deinde, vt populum in deserta deduceret.

Exod. 16 12. Et hic ipse populus Dei, an non semper vagat⁹ est, ac stationem mutauit? Ipse etiam Redemptor Iesus *non habet, vbi caput suum reclinet*; formosa scilicet illa columba arcæ non reperit, vbi requiesceret pes eius. Matt. 8. Gen. 8.

Matt. 13. 13. Nimis quàm euidens est, *non habere hic* nos *manentem ciuitatem, sed futuram inquirere*. Vita hæc non nisi quoddam ad aliam iter est ac profectio. quādiu in mortali hac vita degimus, *peregrinamur à Domino*. Hinc etiam expostulat & conqueritur Psalmista: *Heu mihi quia incolatus meus*, & peregrinatio *prolongata sunt*. 2. Cor. 5. Psal. 119.

14. Quem sua delectat peregrinatio, euidenter ostendit parum se erga domum ac familiam suam affici: sic cui adeò hæc vita placet, satis indicat, quàm parum ad alteram & sempiternam aspiret.

15. Videte vt Apostoli, adinstar auium in arborum ramis considentium, vagando discurrendoque viuāt. *Si in vna ciuitate*, suadet Redemptor, *vos persequantur fugite in aliam*. Ad hęc, *nolite portare sacculum, neque peram, neque virgam, neque calceamenta*. Matt. 10. Luc. 10.

Matt. 19 16. Patriæ amor impedimento ac remoræ erat, quò minùs adolescens ille, quem ad sequelam sui Seruator inuitabat, salutis iter ingrederetur: dicere enim cum Apostolis generosè non potuit, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Ibid.

Virgil. eclog. 1.

Nos patriæ fines & dulcia liquimus arua,
Nos patriam fugimus.

Statuendum igitur, in omnibus Christum Dominum sequi.

Lucā. l. 1

Duc, age, per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyes sitientis arenas,
Iussa sequi tam posse mihi, quàm velle necesse est.

17. In Patriarchas veteres oculos conijcite, ac videbitis illos assiduè peregrinando sedem mutasse, hunc

húc erga terram, propter gyrationes & conuoluti- *Hebr.* 11.
ones, affectum suis in animis exstinguendo.

18. Sic etiam Prophetæ ab vno in alium loco à Deo missi sunt, quò meliùs partib⁹ ac munere suo fungerentur. Exemplo sunt Daniel, Elias, Elisæus, Michæas; quibus adde Apostolos *constitutos* Ecclesiæ *Psal.* 44.
Principes super omnem terram, quorumque *sonus in o-* *Psal.* 18.
mnem terram euangelizando *exijt*.

19. Pseudoprophetæ è contra velut aurei quidam vituli semper patrio affixi sunt solo, in eoque quodã modo adorati. Zizania enim nonnisi nimis quàm lætè proueniunt & propagantur. Arrius Alexandria pedem non extulit, eam vt contagio suo inficeret, Theudas Galilæa, Simon Roma, Manes Perside, Lutherus Germania, Caluinus Gallia, VVicleff Anglia. Vnde etiam sectæ hæ dissectæ nonnisi per prouincias certas & districtus propagatę sunt, & ad alias se terras longiùs non diffuderunt.

Sed quam ob rem fit, vt nullus sit in patria acceptus Propheta? (Tertia hæc Homiliæ pars est.) Infinitas hic, quas concionatores adferunt, rationes prętereo, vt duas dumtaxat singulari ratione prosequar & exactiori, inuidiam scilicet & familiaritatem.

1.2. Inuidia quippe vt bono malum suum obuelat, III.
sic alieno è malo quoddam elicit bonum & malo pinguescit, &, quantum potest, illustria proximi deprimit facinora & opera, fidem verbis viri præstantis abrogat, ipsumque deprimendo se ipsa sustollere cogitat. Ea quippe hominum natura est, vt benè de veteribus quispiam, vt lippientibus & ægris oculis splendorem & prærogatiuas intueantur eorum, qui sibi fuère ęquales. Bubones sunt, quibus officit sol & grauis est.

3.4. Nec non Cãtharides fulgentium rosarum pestis; & araneæ, omnia in venenum florida conuertentes.

5. Quædã perspicilla, quęcumque trans ea videas,

imminuta ſpectanda dant; alia inaucta & vero maiora exhibent. talia conſpicilia inuidus gerit; defectus quippe proximi inauget, & quæ benè facta, imminuit, illorum præſertim, quos nouit intimiùs & familiariùs.

6. Et eſt hæc familiaritas (ſecunda hæc cauſa) qua fit, vt minùs efficaces ac potentes prophetarum prędictiones & concionatorũ prædicationes fiãt. Audite enim, quomodo de Redẽptore Iudæi loquantur, *Nõne hic eſt filius fabri? Quid boni à Galilæa & Nazareth? quomodo hic litteras nouit, cũ nõ didicerit? nouimus patrẽ* eius *& matrem, & fratres, & filium Dei hic ſe facit.*

Matt. 3. Ioan. 1. Ioan. 7. Ioan. 6.

7. Nolite vos, mihi credite concionatores, collegæ mei, toties in publicum dare, nolite cum populo & turbis familiariter agere ac priuatim. Chimærica ipſe bellua eſt, cui mille linguæ, totidẽ oculi, & cerebri expers: ſi à multitudine vos ſubduxeritis, maior veſtri dicentium erit auctoritas, lætioribus gratioribuſque auribus excipiemini, ad Dei denique gloriam maius pondus afferetis.

8. Solem nemo iam admiratur: nimis enim frequẽter paſſim videtur; vbi verò cometes aliquis in cœlo ſeſe ſpectandum dat, nemo non demirans caput ſuſtollit.

9. Simplicia medicamenta, quæ domeſticis in hortis creſcunt, ampliùs nobis medica non ſunt, eò quòd vſu frequẽti iis aſſueuim⁹; hinc rariora & exotica, ac proinde efficaciora, nouo ex orbe & incognito petenda ſunt.

10. Nimia *familiaritas*, vt omnibus notiſſimũ eſt, *parit contemptum*: Reges, qui minus frequenter ſeſe ſubditis ſpectandos dant, magis coluntur & obſeruantur; noſtrorum benigna familiaritas minùs eos apud perfidos & perduelles tutos reddit. Boni illi Principes nimis ſe conditionis noſtræ libertati prodigunt; hument etiamnum oculi lacrymis, quas tragica nuperæ audaciæ exempla excuſſerunt.

11. Quæ

11. Quæ magna ſunt, rarò & nonniſi cum apparatu videri volunt; velamine ſancta par eſt obtegi: tot propitiatorium velis obuelatum, & etiam cortinæ tabernaculo obtenſæ exemplo ſunt.

12. Feneſtellæ, trans quas amata videtur, amorem ingeminant. nouerat id ſponſus ſanctus; qui nonniſi *per cancellos* ſeſe ſpectandum dat. Cant. 2.

13. Qui ſæpè comedit, ſemper ſine eſurie & appetitu menſæ accumbit. retrocedendum, vt longiùs proſilias. qui magni ab alijs cupit fieri, ſeſe ab ipſis ſubducat oportet. contemni ſolet, quod quotidiè in manibus verſatur.

14. *Senſus ſuper ſenſatum poſitus offuſcatur*: modica & rationabilis remotio meliùs aliquem videndum & cognoſcendum dat, quàm nimia proximitas.

15. Veterum Gallorum ſacerdotes, quos Druidas appellabant, ſemper in ſiluis latebant & ſpelæis; latendoque apud populum in pretio erant.

16. Ioannes Baptiſta pluris fit à populo ſequeſtratus, quàm ipſe Saluator cum turbis agens.

17. An non Epulo infernalibus è tormentis, alio ex Luc. 16.
orbe & incognito cõcionatorem monitoremq; petit mitti, qui fratres ſuos in hoc noſtro agentes commoneret?

18. Denominatio atque etymon Prophetæ à *procul fando* deſcendit: hinc vt vtilia proferat ac prædicat, de procul & incognitus veniat neceſſe eſt: raritas auctoritatem illi conciliabit.

IV.

1. 2. 3. Imò etiam exilium illi ad honorem faciet parandum. Ionas è patria profugus & ibidem repulſam paſſus apud Niniuitas in pretio eſt. Ioſeph in natali ſolo venditus, in Aegypto ſublimatur. Sic etiam Euangeliſta Ioannes viſionum ſuarum partem potiſſimam in Pathmon inſulam relegatus habuit. Ion. 3. Gen. 41.

4. 5. 6. Qui *propter iuſtitiam* in exilium pelluntur, Exod. 2.
& exagitantur, præcipuam quamdam cæli protectionem ſentiunt. Moſes à ſuis expoſitus, à Pharaonis filia adoptatur. Daniel apud populares incogni- Dan. 2.

tus, apud Nabuchodonosor purpura induitur. S. Chrysostomum & Athanasium apud vniuersos exilium reddidit illustriores & celebriores.

Gen. 3. 7. Adam, Eua, Cain, Abraham, Iacob, Elias, Oseas,
Gen. 4. S. Ioseph, eiusque coniux Deipara Mater, nec non
Gen. 12. proles huius, & alumnus illius, perpetuo in exilio
3. Reg. 19. & relegati vixerunt.
Matt. 2.

Exul erat Christus, comites nos exulis huius
Esse decet, cuius nos quoque membra sumus.

Act. 13. S. Paulus, S. Barnabas, Aquila, omnes etiam fideles, a-
Act. 18. liud non sunt, nec fuêre quàm peregrini & viatores
Hebr. 11. super terram. Vnde Psalmista, *Ego autem peregrinus*
Psal. 38. *& aduena sum super terram, sicut omnes patres mei.*
Psal. 72. Idem ipse rex aiebat, *A te quid volui super terram?*
Psal. 73. cùm tamen tam parum terræ adhæresceret, & nonnisi ad superna adspiraret *tabernacula.*

8. Ipse etiam per Prophetam indicat Deus, *in Idu-*
Psal. 59. *mæam calceamentum* se suum velle *extendere, & alienigenas* se in amicos accepturum. Ipsi quoque Apo-
Act. 13. stoli, viso, Iudæam in verbi diuini semine recipiendo lentam esse & peruicacem, *Ecce*, inquit, *conuertimini ad gentes.*

9. Et sanè cùm terra non minùs rotunda sit, quàm cælum, æqua etiam sunt parallela, & ab omni latere æqua inde illuc distantia; si terra nobis desit ad viuẽdum, non deerit ad moriendũ; vbicumque nos mors inuaserit, apud nos ipsos saltem futuri sumus.

In medio Tibure Sardinia est.

10. Cæli lociq; mutatio ad sanctitatem, vti & sanitatem comparandam non rarò conducit. Testes futuri omnes Anachoretæ veteres: quin imò sentiebat Hieronymus, neminem bonum in patria monachum esse posse.

1. Reg. 6. 11. Vaccæ tamdiu arcam patienter in plaustro duxêre, quamdiu vitulorum non exaudiêre mugitus: sed illis perceptis recalcitrare cœperunt.

12. Aquilæ adulterinæ & repudiatæ est, cælum quidem volatu petere, at in terram oculos retorquere.

13. 14.

13.14. Quid? si etiam exilium prosit? prodest verè: *Plutar.*
dicet quippe *iturum se fuisse* Themistocles, *nisi pe- Apoph-*
riisset. numquam etiam ad Philosophiam animum *thegm.*
acclinasset Diogenes, nisi in exilium actus esset. Is conuitianti, quòd Sicyone proscriptus esset; Equidē verò, inquit, Sicyomos ipsos suam ipsorum in vrbem relego & velut carcere vinctos concludo.

15. Imò quid si honorem pariat exilium? maximè. *Laertius*
Erat id enim ingrata generosorum ac fortium viro- *lib. 6.*
rum merces. Coriolanus, Aristides, Pericles, Pelopidas, Plato exempli loco esse queunt. Ipse quoque Redemptor Iesus, quoties à Synagoga proscriptus & Hierosolyma est, quòd vel bene docendo vel benefaciendo populum sibi deuinxisset?

Paucis hac è prædicatione colligite, 1. quid sit patria, 2. quanti ipsa quidem facienda sit, 3. cur non in sua acceptus sit Propheta, 4. denique quanta bona includat proscriptio & ab eadem exterminatio. Benedictio Altissimi super vos omnes descendat.

FERIA III. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE:

De fraterna correctione.

HOMILIA XVIII.

Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. Matth. 18.

MEDICA canis lingua vlcera sanat lingendo, fidelis autem amici lingua animarū nostrarū imperfectiones benignè fraterneq; corrigēdo; cuius correctionis exemplū in Euāgelij recitatione audistis. De eadē ad vos de superiore loco hora hac disseremus, aç videbimus, 1. quid sit correctio, 2. quan-

2. quantum ea necessaria, 3. quàm salutaris, 4. eam sinceram esse oportere, 5. benignam ac suauem. Tam amicę suauique materiæ amicas beneuolasque aures date.

I. 1. 2. Videtis enim, carissimi, actionem hanc puram quandam esse substantiam, è iustitia simul & charitate progenitam; quidquid enim austeri ac rigidi habet, ex illa; quidquid blandi & amici, ex hac mutuatur. hos iustitiæ ac dilectionis limites si egrediatur, non iam fraterna correctio est, sed insana & phrenetica correptio, stomachi exacerbati exoneratio, aut potiùs, secundùm Augustinum & Gregorium in hunc Psalmographi versum, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, commentantes, furor febricitantis & insania, quo illi loco inter cholеram & furorem, inter arguere ac corripere discrimen adferunt.

3. Cæterùm *correctio*, iuxta verbi etymon & sonum, cordis quandam denotat rectificationem; sicut vniuersa correptio quemdam cordis raptum ablationemve.

4. 5. Estque propriè amica & caritatiua admonitio; tum blanda, quæ dicitur exhortatio; tum austera & acris, qualem obiurgationem dicas vel increpationem; vbi verò acrimonia & suauitas simul mixtæ sunt, reprehensio dicitur; quod non aliter fieri censendum, quàm dum mellitæ dulcique cuidam posi absynthij modicum infunditur.

Prou. 27. 6. Sic suum apis mel aculeo temperat, atque amicus corrector, *vbi grata mella fudit, ferit icta corda morsu*: cuius amica & benigna *vulnera meliora sunt* insidiosis adulatoris osculis, qui nostra excusando imminuens mala, perniciem creat, cùm alius vice versa sit nos accusando salutis occasio.

Psal. 140 & ibi Chrys. 7. Vnde bene admodum Regius Propheta: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* per *oleum* verò *peccatoris* cùm Chrysostomus, tum reli-

qui

qui loci huius interpretes communi suffragio adula-
tionem intelligunt, quando nimirum *laudatur pecca-*
tor in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. *Psal.10*

Quàm porrò Christiana hæc correctio necessaria sit, docent sacra volumina, sanctorum Patrum auctoritas, & ipsa denique ratio.

1. Euidens est rei huius in contextu hoc Euangeli- II.
co præceptum, *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. *Matt.1*
Vnicuique ad hæc *mandauit Deus de proximo suo.* *Eccl.17.*

2. Consulit etiam Sapiens: *Corripe amicum, corripe* *Eccl.19.*
proximum, vt peccasse se norit, & *ne fortè iteret.*

3. Apostolus Thessalonicensibus sic præcipit, *Cor-* *1. Thes.5.*
ripite inquietos, consolamini pusillanimes.

4. 5. Sic porrò in Leuiticum scribit Origenes: *Vbi peccare videris fratrem tuum, protinus eum corripe, ne*
fortè commißi illius particeps efficiaris. Hieronymus, *in Psal.*
An non medicus ille immitis & crudelis, qui viso morbido *140.*
vel saucio negligens ait, Quid hoc ad me? Nónne similis Christiani est immanitas & durities, qui peccatoris animam perire videns, eam correctionis medicamento curare negligit?

6. *Vnicuique ex Euangelico præscripto incumbit pro-*
ximum delinquentem corrigere. Sic Innocentius III. *c. Cùm ex*
in Extrauag. *iniuncto. Extrau. de hæret*

7. *Dominico præcepto*, inquit Gregorius Pontifex,
iubemur peccatum reprehendere. *Lib. 12. epist. 31.*

8. Hoc ipsum etiam naturalis nobis dictat ratio: nam certè quicumque alium mergi & vndis hauriri nulla addita ope sinit, cùm tamen facilè sine vllo suo discrimine discrimini posset eripere, eius quodammodo necis est reus.

9. An non impium & insignis prauitatis nota foret, ridere quempiam & subsannare, qui fortuitò in cœnum prolapsus esset?

10. Est quædam singula inter membra sympathia, & concors harmonia, adeò vt si quod illorum malè affectum sit aut saucium, reliqua opitulando concurrant. An non omnes ipsi sumus membra capitis

nostri

noſtri Chriſti Ieſu? vnde ergo fieri dicam, vt tam parum ſimus de ijs, quos peccatum ſauciat, ſolliciti?

Matt. 18. 11. Lex illa Dei, qua proximum ſicut nos ipſos diligere iubemur, hic inprimis locum habet: ſi enim potenter valideque peccatum in nobis ipſi odimus, ipſum in alijs etiam deteſtabimur, vt, cùm illud in ijs notamus, ſtatim ad correctionis remedium confugiamus.

12. Niſi eamdem ipſi culpam per participationem incurrere velimus: noſtis enim, cariſſimi, quædã eſſe delicta, quæ ad nos ab committentibus participatione propagantur. In Leuitico ſiquidem legitur, Leuit. 19. *Argue fratrem tuum, ne habeas ſuper illo peccatum.* En, vt in te peccatum deuoces proximi, quod ipſe non coarguis? vidit hoc ethnicus ille, qui dicebat, *Amici vitia ſi feras, facis tua.*

13. Certiſſimum eſt, non animos minùs, quàm corpora, inuicem letifera contagione inficere; ipſum quin etiam viſum, qui ſenſuum omnium ſubtiliſſimus. nam ſi quos intuetur oculus oculos malè affectos, malum id ipſe in ſuos dico prouocat:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi.

14. Si igitur tam intenſa & ardens nobis non ſit charitas, vt propter proximum ipſum delictum alienum corripiamus; noſtri ſaltem cauſa talem induamus, ne id ipſum nobis fortè ob negligentiam hanc imputetur.

Hæc præcepta neceſſitas ſatis ſuperque indicat quantæ correctio hæc fraterna ſit tam reprehendenti, quàm reprehenſo vtilitatis.

III. 1. Omnis quippe alterius corrector ſuos ad ſe primùm oculos debet reflectere, antequam alienas ſugillare velit noxas: quæ ſanè reflexio ob ſui ipſius rectificationem & correctionem non parum ſalutaris eſt. Probroſum ſiquidem ſibi futurum exiſtimat, Luc. 4. audire: *Medice cura teipſum*, teipſum Doctor doce. Matt. 7. *Ejicere feſtucam fraterno ex oculo* geſtis, *ſtipulam primò è tuis*

ètuis eijce. Carere debet omni vitio, qui in alium paratus est dicere. In proximi actionibus lynceo vides acutiùs, in tuis vt talpa cæcutis. Sallust. in Cicer.

Cùm tua non videas oculis mala lippus inunctis, Horat. lib. 1 Sat 3.
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Nemo scilicet non hæc probra & obiectiones vereatur, non minùs acerbas quàm probrosas. Vide diuersit. l. 18. c. 22.

2. Speculum, quod obiectam ritè referre vult imaginem, vitrum integrum, & non comminutum, perspicuum, non suppallidum habeat necesse est, nec non, vt hydrargyrum debita proportione denseque applicitum sit; quorum si quid defuerit, idem hic in re repræsentata defectus spectabitur. Qui enim alios sugillare & censere voluerit, periculo se exponit, vt in illius etiam acta vitamq; reprehendens inquirat, eademque examinet.

3. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Iuuenal.

4. Quàm frustra Demades orator, exoticos redolens nidores, Atheniensibus Spartanorum persuadeat austeritatem & modestiam?

5.6.7. Et Demonax quàm incassum nitatur eosdem ad concordiam amicitiamve pertrahere, qui ne cum sua quidem vxore in pace quieteque viuere poterat, atque ab eadem volebat diuertere, perpetuas domi alens rixas & iurgia? Bonus sis oportet & bene viuas, auctoritatem tibi vt compares; & *cor* habeas *bonum*, vt ex eo *bona exeant* verba: vt rectam ducas lineam, recta norma antè sit oportet & gnomon. Matt. 15.

8.9. Notum omnibus est bonum scelesti illius hominis consilium, reprobati quidem non ob consilij quod dedit malignitatem, sed ob propriam sui ipsius nequitiam. Ipse quoque Deus suum ore profano verbum vetat proferri: *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Ioan. 11. Psal. 49.

10.11. Si tanta afferat commoda corrigenti correctio, quantò maiora præstantioraque correcto,

Prim

Matt. 18. Primò namque ipsum hæc lucratur. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quod verò maius haberi lucrum, quod dignius emolumentum potest, quàm animæ cuiuspiam, quæ vniuersæ terræ præponderat? An non hoc est Iesu Christi opera æmulari & exercere, qui *peccatores omnes venit saluos facere?* *1. Tim.* 1.

12. Qui proximum corrigit, diuinis cooperatur inspirationibus.

13. Frater est Angelorum, & illorum cooperatur ministerio; quod aliud non est, quàm hominum animas conducere, dirigere, gubernare & in viam aberrantes reuocare.

14. Si ciuica olim apud Romanos corona dabatur ei, qui ciuem gladio hostili subducendo vitam illi conseruasset; immortalitatis sanè laurea deficere nõ potest eum, qui correctionis manu Satanicis animam vnguibus pius eripuerit.

15. Secundò, eleemosyna quædam spiritualis est, in peccatorem diuinâ gratiâ nec non adipe cœlesti destitutum erogata. *Tanto*, inquit Augustinus, *maior eleemosyna, quàm corporalis, quantò corpus anima est inferius.* *Enchir. ad Lauren. c.* 72.

16.17.18. Tertio loco, si correctus deinde resipiscat, & ad meliora redeat, insigni postea semper in castigatorem suum, velut beneficio eximio accepto deuinctus, beneuolentia fertur. Sic Dauid Nathanem, postquam delicta is amicè coarguisset, multò dilexit ardentiùs, & complexus est arctiùs. Sic etiam Alexander corde brachijsque apertis eos fertur amplexando dilexisse, qui liberè sibi sincereque errata aperirent. *2. Reg.* 12.

IV. 1. Ipse etiam candor, sinceritas, & blanda libertas adeò fictione, assentatione, adulationeque potior est, vt adinstar solis inanes mendacesque affectatorum ornamentorum splendores dissipent.

2. Verus amicus, vt immaculatum speculum, verè quod sumus exhibet, & quales esse debemus ostendit, errata nostra nobis ceu næuos & maculas

sincerè

ſincerè patefaciendo, vt eadem & emendemus & abſtergamus.

3. Soli ſimij, in malo ſuo offirmati, ſpecula, in quibus deformitatem ſuam contemplantur, repudiant, veri ſcilicet cameli aquam turbantes, ne ſuam fortè in ea inter bibendum fœditatem intueantur.

4. *Heu miſeros Reges*, aiebat vetus quidam, *quibus ſua ipſorum non aperitur veritas*, quique nonniſi mendaces præferentia imagines ſpecula apud ſe habent!

5. Nemo non illorum obuelat errata, omnes propter Mæcenatem dormiunt, nullus eſt, quin luſcum Antipatrū opere phrygionico allaboret exprimere.

6.7. *Fili mi*, qui *te lactant* decipiunt: herbæ enim ſerpentinæ tibi ſuccum propinant, qui ſomnum lethargicum & veternoſum ad oſſa tranſmittunt. *Prou. 1.*

8. Illi te decipiunt chirurgi, qui ſe tibi ſine vllo prorſus dolore ſpondent vulnera curare, vel dentes euellere poſſe. omnis ſiquidem medicina, morbum tollere nata, mordeat & torqueat oportet.

9. Charitatem ille oſtendit ſuam chirurgus, qui ad gangrænā exſcindendā nonniſi ferrū & ignē adhibet.

10. Arbores qui purgare & emundare voluerit, vitulamina & ſuppullulātes ramuſculos reſecet oportet: vinea vt racemos vbertim ferat, putanda eſt.

11. In correctionibus eodem procedendum eſt modo, quo in abſceſſibus & apoſtematibus curandis: inciſio antè adhibenda, quàm medicamentum.

12. Imitemur ſartores, duram antè tractemus acū, quàm ad byſſi pertingamus mollitiem.

13. Atque, vt in balneis vſu venit, durè cōfricemus, fœditatem abradamus ſtrigilem & pumicem adhibeamus, vt tandem oleum & molle vnguentum inducamus.

Delapſi ecce iam leniter ad blandam illam lenitatem ſumus, qua naturalis correctionis acrimonia & acerbitas lenienda eſt.

1. Lagenam poſtquam colliſerimus (Gedeonis id ſtratagema fuit) lenis blandaque adhibenda fiſtula eſt. V. *Iudic. 7.*

Prou. 15. est. Dulce verbum *frangit iram & responsio mollis.*

2. Angues virus suum ad cantum eiaculantur tibicinis.

Virgil. Eclog. 8. *Frigidus in siluis cantando rumpitur anguis.*

3. Non tot serpens conuoluit spiras, quot correctio præferre debet ad leniendum ambages & placidos reflexus.

4. Non aliter is contrectandus est, quàm ficulneæ frondibus vnguinosis quidem & crassis, sed dentatis & mordicantibus adhibitis.

5. Animal id acetum fugit, at lacte delectatur. Sic peccator rudi acerbaq; indurescit reprehẽsione, qui si molliter leniterq; tractaretur, rationis ductum sequeretur.

6.7. Auis hæc fera & siluatica suaui captanda est cantu & decipienda.

Catonis disticha. *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Is porrò bonus & laudabilis est dolus, qui vnicam peccati spectat quomodolibet exterminationem.

Virgil. 2. Aeneid. *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

8. Serpenti dentes aufer, adeò non nocet, vt etiam eo ludas. malignitatem & acredinem à reprehensione præcide omnes in bonam eam partem accipiunt, vt amicam admittunt, quin etiam reprehendenti gratias agunt.

9. Augusti filia Iulia vlcus sub mamilla habebat. incidi id quidem ipsa volebat, sed ferrum & scalpellum horrebat. medicus ergo olento vlcus dum vngit gossipio, eidem scalprum indidit, atque inter fricandum nihil minùs cogitanti duriusculè premens apostema incidit. Insignis sanè industria, quam in correctione fraterna fas esset imitari.

10. Sic & à pharmacopæis catapotia amariora multo inserto saccaro temperari constat, vt fastidioso sumentium stomacho hac mixta dulcedine nonnihil consulant.

11. Quid non potest humilis modestaque adhortatio? ipsa nimirum corde fel, oculis lacrymas, animo pecca-

peccatum excutit. Est scilicet mollicula gutta durum excauans saxum. Est flexanimis suada, quæ dura inflectit, non diffringit.

12. Non diffiteor, ferrum, imò vel digitum, si pupillam oculi, membrum inquam adeò sensibile pertrãseat, incredibiles causari dolores; sed hos quamprimum tollit ac recreat lene & molle collyrium.

13. Sal quidem corrodit, sed simul abstergit; eius naturæ salutaris correctio est: conseruat ille etiam & purgat, idipsum facit & hæc: sal quintum est elementum, correctio verò virtutis alimentum.

14. Sal carnes emortuas viuificat, viuas verò mori facit: ita corrector vitio viuentes mortificat, & viuere facit gratiæ eos, qui eidem per peccatum mortui sunt.

Hactenus edocti estis, 1. quid sit correctio, 2. quàm eadem sit necessaria, 3. quanta adferat compendia, 4. quàm ea sincerè tractanda, 5. quanta in ipsa adhibenda benignitas ac lenitas. Gratiam vobis det Deus, vt quæ theoricè didicistis, reipsa & opere exequi valeatis.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE;

De Hypocrisi.

HOMILIA XIX.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias.

Matth. 15.

HEliotropium solem repandis intuetur frõdibus, sed terrę infixas habet radices: sic hypocrita in cælo inter cælites agere videtur, sed

reuera infra terram serpit. Turpe hoc in Scribis & Pharisæis hypocriseos vitium acriter carpit Redemptor; vt qui fucato hoc tecti pallio & larua, sexcenta scelera committebant. De fraudulenta hac larua pluribus hodie pertractabimus, ostendentes, 1. quid sit hypocrisis, 2. quanta eiusdem vanitas, 3. quàm id vitium turpe ac vile, 4. aliquot eiusdem curandi rationes suggeremus. In arenam prodeo.

I. 1. Hypocrisis, vox Græca, ab ὑποκρίνω descendit, quod verbum simulare sonat: perinde ac si hanc dicas, *dissimulatio, suppositio*, & *impostura*. vel potiùs ex his duabus voculis, ὑπὸ, id est, sub, & κρίσις, id est, iudicium, conflata est, quasi dixeris, *iudicium suppositum*, tectum, occultum, & latens quædam fictio.

2. Adeò vt hypocrita, dissimulans sit & fictus, duplex & versutus; vt qui videri alius velit, quàm reuera sit. Hæc quidem quoad vim verbi.

3. 4. Verùm variæ vitij huius formantur definitiones, quarum nulla adeò ad palatum facit, quàm illa doctissimi viri Cardinalis Toleti, breuis, efficax, & paucis comprehensa verbis, *Est hypocrisis virtutis simulatio*. Nam omnis quidem hypocrisis reuera dissimulatio est, sed non omnis dissimulatio hypocrisis. Simulatio est, alium se opere fingere, quàm re vera sis, tam in bono quàm malo: sicut mendacium est, aliter loqui ac scias vel cogites: & hypocrisis est, virtutem fingere, tametsi alioquin vitijs sis inquinatissimus; hac de causa alterum illud membrum *virtutis* adiunctum est.

Lib. 8. Instit. sacrar. c. 9.

5. Propriè itaque personata quædam & laruata fictio est, in qua mendacem quis induit vestem, ne ab alijs agnoscatur.

6. Hac si quis infectus fuerit, diabolum æmulatur, qui cùm sit furuus, & Angelus *Satanæ, in Angelum lucis se transfigurat*.

2. Cor. 12.

7. Serpens suum occultat venenum, quò se murenæ copulet; quod ipsum deinde resumit; ad eumdem modum

modum suam hic in familiari conuersatione celare
nouit imperfectionem, quæ ipsum tamen clanculò
delectat & afficit.

8. Non minùs castigandus & puniendus, quàm adulterantes monetam: hi enim nonnisi metallum adulterantur sub imagine legitima; ille verò & propriā corrumpit animam, & alijs longè damnosiùs imponit; cùm veri pietatis auri loco exosæ superstitionis æs obtrudat.

9. Vnde & hyænam dixero, animal & crudele & rapax, quæ pueriles mentitur ploratus & lacrymas, vt ijs excitus tugurio rusticus ad suppetias ferendum, in prædam cedat & deuoretur.

10. Et tabulam duas præferentem imagines; quarum vna primùm in oculos incurrens nonnisi bonum præfert; alia retrorsum latens, malum proponit.

11. Dianam quoque Chiensium, quæ inspicientium *Plinius*
alijs arridet, alijs lacrymas excutit. hypocrita si- *li. 36. c. 5.*
quidem suo in corde ridens frontem exerit caperatam, graue supercilium, & graues agendi mores: Catonum omnium veterrimum & grauissimum diceres.

12. Ianum quoque bifrontem, quin imò corde etiam magis duplicem.

13. Vocem quidem & verba præfert Iacobi, sed *Gen. 27.*
opera manusque sunt Esau. *Prou 31.*
14. De numero est *vestitorum duplicibus*, sed qui in *Psal. 108*
fine *operitur sicut diploide confusione sua.* vbi enim *S. Ambr.*
eius agendi ratio innotuerit, quidquid demum agat, *de ieiun.*
frustra est, vt qui omnem iam auctoritatem amiserit. *& Elia*
15. Denique vox *hypocrita* metaphorica est, & ab *c. 10.*
histrionibus & ludionibus mutuata significatio. Vt *Aug. de*
enim hi propudioso & infami quodam quæstu in *ser. Dom.*
theatris leuiculos oblectant & recreant, omnium *in mote.*
nihilominùs ludibrium, atque hac de causa laruam *Budæus*
sumunt, ementitum vestis schema induunt, modò *Comm*
Regem, modò Irum agentes; qui demum scena ab- *ling. Græ.*
Isidor.
 soluta, *Etym.*

ſoluta, & reductis cortinis merè triuiales & infames eſſe comperiuntur, imò fæx populi. Ad eumdem modum in mundi huius ſcena ludit hypocrita, ſuis enim artibus magnam ſui probitatiſque ſuæ ingenerare omnium mentibus in proſcenio opinionem ſatagit; at poſtquam reducto ſipario ipſa apparet ſcena, veritas iam innotuit, ludus abſolutus, omnium ſibilis ſanniſque, velut triuialis & triobolaris ſcurra excipitur.

II. 1. Verùm ecquæ dari maior, Deus bone, & intolerabilior poteſt vanitas, quàm inani paſci vmbra & nullo ſolido corpore, atque adinſtar Aſtomorum, nonniſi odoribus viuere & ſuffitibus?

Vide diuerſit. li. 26. c. 13.

2. Torrentes quidem ſua interdum capacitate patentiſſimos imitantur fluuios, at citò illa pertranſit. Exteriora hypocritæ ſchemata & inuſitatus agendi ritus ſæpè quidem maiorem pietatem præferunt, quàm intenſiſſimæ ſeueriſſimorum anachoretarum auſteritates; ſed ilicò ipſorum breuitas & euaneſcentia interiorem prodit inanitatem; vt nonniſi *ſidera* ſint *cœlo cadentia.*

Virgil. 2. Aeneid.

3. Ac Protei, qui varios ob ſitus & impoſturas capi nequeunt & comprehendi.

4. Quique, vt vuæ ſculptoris illius priſci auibus, id eſt, ſubtiliſſimis quibuſque fucum facerent, & imponerent.

5. Adulterinum aurum ſæpè vero ſplendidius ac ſpecioſius eſt, nec non ſonorius.

6. Cymbala ſunt tinnientia, & campanæ ſonantes, omnes quidem ad ſacra compellentes templi officia, quò tamen ipſi ſe non conferunt.

7. Candelæ item, quæ ardendo conſumuntur, vt luceant; quæque omnia circumſecus cùm illuſtrent, ſibi ipſis vmbram & tenebras inducunt; quæque demum ingrata maleque olenti euaporatione deſinunt.

8. Veſtigia limacis, quæ argenti in morem rutilant, cùm tamen nonniſi ſpuma ſint & ſaliua.

9. Can-

9. Cancri tam terrestres quàm fluuiatiles, qui pro mutabilis lunæ variatione vacui aut pleni sunt, ac retrorsum incedunt, ad famam scilicet proserpentes, dorsumque eodem obuertentes, ad imitationem scilicet remigum, qui retrocedendo procedunt.

10. Hypocritam non inscitè comparem insolenti & præsumptuoso illi Salmoneo,

Qui flammas Iouis, & tonitrus imitatus Olympi, Virgil 6. Aeneid.
ab eodem tonante fulminatus pœnas dedit. Magna quippe semper confusione tum in hac, tum in altera vita repletur hypocrita. Vt enim damnationem exprimat Scriptura reproborum, *partem eos habituros* Matt. 24.
ait *cum hypocritis.*

11. Filij Aaronis *alienum* in sacrificijs *ignem* accen- Leuit. 10.
dere ausi horrendas dederunt pœnas. quid porrò aliud est hypocrisis, quàm ficta quadam, heteroclita & peregrina Domino charitate sacrificare?

12. Virgines fatuæ, tametsi virgines, olei in vasis Matt. 25.
suis defectu locum ingredi nuptiarum prohibitæ sunt. hypocrita frustra se habiturū virtutes speret: nā nisi in vera illæ sint charitate, quæ lampas est ardens, radicatæ, cœlorum aditu excludetur.

13. Margaritæ cœlo tonante enatæ, intus inanes sunt, & nonnisi extimum margaritæ corticem habent. hypocritæ ad eumdem modum famæ strepitū plausumque sectantes, vt plurimum introrsum vera solidaque virtutis substantia carent.

1. Vnde etiam vnà cum vitij huius vanitate, eius- III.
dem apparet vilitas ac fœditas. omnis quippe impostura ac deceptio, inter quam hypocrisis facilè primum obtinet locum, adinstar noctuarum lucem perosa amat tenebras.

2. Hypocritæ vermiculi sunt, in sæculi huius nocte collucentes, ac cuidam ligni putridi generi, quod in tenebris fulgere ac micare videtur, similes.

3. Aes longè est auro fuluius & micantius: verumtamen hoc illud citiùs æruginem ac cariem contrahit, nec eamdem, quam hoc, igni resistēdi vim habet.

Tam ſcilicet hypocrita eſt à verè hominis boni generoſitate ac virtute remotus.

4. Teſtudo ſiquidem eſt, duram habens teſtam, ſed mollicula introrſum: exteriùs enim præter auſteritates nihil ſpirat, interiùs mera viget mollities ac diſſolutio.

5. Quæ cæteris coloratiora & maturiora videntur poma, plerumque introrſum à vermibus corroſa ſunt: ſic hi tantam deforis oſtentantes pietatem, ſæpè in corde diriſſimis conſcientiæ aculeis, qui propriam ipſis repræſentant miſeriam, indignam de qua alij bene ſentiant, diuexantur.

6. Quando nix terræ ſuperficiem cooperit, omne lutum, cœnum, ſcrobes, ſaxa, aliæque fœditates eiuſdem occultantur, ipſaque, tanta quanta eſt, & alba & pulchra apparet; ſed vbi nix ad ſolis radios diffluxerit, omnes ilico ſordes in hominum oculos incurrunt. Hypocrita ſuos ad tempus ita quidem diſſimulare poteſt defectus, vt omnes eum velut virum probum honeſtumque habeant innocentia & ſinceritate candidum: verùm, hiſce patentibus præſtigijs, rubore ſimul & verecundia, perinde ac fur in flagranti delicto repertus, ſuffunditur.

7. Ac tum nonniſi ſtramineum & larnatum eſſe homuncionem apparet, qui minùs prouidos & prudentes ſua aliquo tempore inani ſpecie decepit.

Dan.14. 8. Beli ſimulacrum exteriùs auro gemmiſque nitebat, interiora ventris erant lutea. idem de hypocrita eſto iudicium.

9. Puluinar eſt holoſerico exteriùs conueſtitum, & arte phrygionica elaboratum, interiùs plumis, tomento, lana viliori, fœnove ſuffultum. Nam meram omnia illius exteriora nonniſi oſtentationem ſpirant, interiora vilitatem.

10. Incerniculum eſt pollinarium, quod nonniſi furfures penes ſe retinet, & puram ſpecioſarum operum ſuorum farinam ac florem in aëra diſſipat.

11. Scitè

11. Scitè, meo iudicio, fur ille apud Iuuenalem Lauernam patronam suam orat, vt illustre sibi nomen faciat, suaque furta diligenter occultet.

12. Refricant hæc mihi memoriam speluncæ Caci furis celeberrimi, qui omnia in eamdẽ auersis vestigijs inferebat.

----Vestigia cerno Horat. epist.
Cuncta huc aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Hæc hypocritarum agendi ratio est.

13. Denique quænam fingi vilitas potest maior, quàm merum nihil, & nihilum? Gaudium *hypocritæ adinstar puncti.* Iob 20.

14. Vnde & pictori non inscitè eum comparem, solas exprimenti corporum superficies, nulla interanea aut viscera. Impostor est, qui, dum decipit, arridet, & multa mentitur.

IV.

1. Iam vesani huius morbi curãdi remedia aliquot, dilectissimi, depromamus. Ecce vnum instar omnium: Estote hypocritæ.

2. Est id namque quàm verissimum, sicut recuperandæ valetudinis bonum argumentum est, quando tibiæ ægrescentibus intumescunt, eò quòd humores abeant; & quando cibis noxijs affici sapor incipit: gustus quippe id recuperati indicium est.

4. Sic etiam lętè excrescentes vepres, soli, in quo proueniunt, indicant feracitatem, copiosas producturi segetes, si consereretur. Hoc pacto plurimi pietatem antè mentientes, postea reipsa pij sanctique euaserunt.

5. Quando quidẽ hypocritæ & sanitatẽ & sãctitatẽ fingunt, sæpè fit, vt vtrãque reuera consequãtur; vti vice versa frequenter morbum quis contrahit, qui eundem antè simularat.

6. Dudum mecum ipse disceptaui, an hocce vitiũ carpere deberem, sæculo pręsertim hoc nostro, quod adeò parum ab eodem infectum est: ita namque nũc omnia scelera abundant, vt etiam gloriæ sit improbum esse, & nemo fingat; ipsa etiã virtus adeò parui

ſit, vt dari vix queat, qui cùm eam non habeat, illam ementiri velit.

7. Nemo adulterino vtitur auro, vbi verũ & obryzum in pretio non eſt, nemo hypocritam agit, aut virtutem ſimulat, vbi ſincera virtus negligitur.

Oſee 4. 8. Peccatum, dicente Oſea, non aliter terram iam inundauit, quàm fluuius quidam vorticoſus, qui alueo ſuo egreſſus per vniuerſum latè agrum vicinum ſtagnat; adeoque ipſum modò committitur impudenter, ne dicam impunè, vt ſi ad verum virtutis corpus in tanta vitiorum multitudine pertingere nequeas, non parùm futurum ſit vel ad eiuſdem vmbram pertingere poſſe.

9. Quis nouit, an, poſtquam immaturas comederitis vuas, ipſius vos vini deguſtandi non captura ſit cupiditas ac ſitis?

10. Et viſis propylęis, non ſecuturum ſit ad intima veræ pietatis adyta penetrandi deſiderium?

11. Non quòd, vti quidem vobiſcum ipſi ſat bene diſpicere poteſtis, cariſſimi, hypocriſin & ſimulationem vobis perſuadere velim: abſit hoc à me, & auertat Deus: ſed hoc dumtaxat polliceor, vos, poſtquam peccati veſtri impudentiam ac ſcandalum ſuſtuleritis, virtutiſque decus fueritis experti, ab hoc vos illicio vlteriùs, vt progrediamini, inducendos; atque Roſcium hiſtrionem imitatos veras rebus fictis lacrymas attributuros. Imò verò, tametſi animus bonus non ſit, nec ſincerus, exteriorem ſaltem geſtum honeſtè moderemini; quem qui viderit, erit fortaſſe, qui fictâ veſtrâ virtute illectus, bonus eſſe reuera ac ſincerè diſcat.

12. Secundum, & longè excellentius antidotum eſt, ſi animo volueritis, quanti vulgò fiat, quamque præſtans ſit virtus huic inerti oppoſita vitio, ſimplicitas & candor.

13. Hoc nomine celebratur in ſacris litteris Iob,
Iob 1. diciturque vir ſimplex & rectus.

14. Nec non Iacob Patriarcha ob eximiam hanc quali-

qualitatem ac decus à Propheta laudatur.

15. Dauid describens dotes eius, qui *in tabernaculo Domini habitaturus* est, sinceritatem & candorem hũc inter alias commemorat. Iere. 25. Psal. 14.

16. Hac etiam parte Nathanaelem celebrat Saluator, *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Ioan. 1.

17. Suadet etiam nobis Apostolus, *vt paruuli simus malitia.* 1. Cor. 14

18. Vnde & Salomon, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, qui ambulat simpliciter, saluus erit.* Prou. 10. Prou. 28. Lib. 7 in Isaiam.

19. Præclarè hac de re D. Hieronymus, *si castum me esse mentitus fuero, & reuera non sim; non mercenarij habebo gloriam, sed peccatoris supplicium. Et sanè, si vtrumque vitium inter se comparemus, minus certè malum est, peccare publicè, quàm simplicitatem fingere.* Audax sanè sententia, & magni huius anachoretæ seueritate dignissima.

20. Tertium antidotum exempla suggeret, quæ ab hoc nos crimine deterreant. Simulatio certè Absalomi & infelix fucatarum illius machinationum ac conatuum successus à D. Ambrosio in libro Officiorum valdè exaggeratur. 2. Reg. 17 Lib. 2. c. 22. Li. 3 c. 10.

21. Nec non Gabaonitarum. Ios. 9.

22. Quin etiam Ananiæ & Saphiræ repentina morte percussorum, quòd Spiritui sancto, & Petro essent mentiti. Li. 3. c. 11. Actor. 5.

23. Ceterùm, auditores, si quis hoc in cœtu præsens adest, hoc vitio ac morbo laborans, hunc obsecro, ne equos imitetur, tum recalcitrantes & refractarios, dum ipsorum curantur vulnera ac plagæ.

24. Nec non asellum, qui lacte materno ad nauseã vsque pastus, eamdem calcibus tundit.

25. Concionator, vti balneum, nisi defricet, ac maculas tollat, ad nihil vtilis est.

26. Hoc eò dico, quòd inter omnes vitiorum sectatores nulli sint, qui suas impatientiùs ferant imper-

imperfectiones detegi & coargui, quàm hypocritas; vngi siquidem volunt & oblini, non confricari; adeoque illis graue est detegi & patefieri, vt oculi vulnerari sibi putent pupillam ab eo, qui in fucatam illorum inuehitur dicendo hypocrisin ac simulationem.

Interim retinete, 1. ecquæ peccati huius sit natura, 2. quæ illius inanitas, 3. vilitas & indignitas, 4. quę illius curandi ratio. Ite in nomine & protectione Domini.

FERIA V. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE:

De inordinatis affectibus ac passionibus.

HOMILIA XX.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

Plin. l. 9. c. 8. OLEVM in maris vndas effusum illarum mitigat furorem & tempestatem: sic misericordis bonitatis suæ oleum in febris ardores, quibus S. Petri socius æstuabat, effundens Saluator, eosdem abstulit & compescuit. His in febribus affectuum nostrorum tempestates repræsentari mihi verosimile sit, quæ, nisi diuinum affulserit auxilium, ęgerrimè dissipantur. Vbi enim illa in Euágelio hodierno *Luc. 4. Marc. 1.* legi verba, *Imperauit febri, & dimisit eam*; alterius illius imperij hæc mihi refricant memoriam, quo mari Dominus & ventis imperauit, tempestatem nauigio, in quo ipse dormiebat, exitium & naufragium minitantem componens: nec non illius, quod apud *AEnei. 1.* magnum Poëtam lego, *Quos ego.* Apud quem Neptunus insurgentes rabientesque compescit fluctus, ipsos AEoli cursores in suo refrenans carcere. Ceterùm de passionibus inordinatis effrenibusque hodierna erit homilia, cuius alius non erit ordo & methodus, quàm ordinata illarum enumeratio. Quæ mate-

materia eò mihi futura ad tractãdum facilior, quòd integrum meis in Diuersitatibus ipsa tomum constituat. Sed alio hic ordine & modo procedam, vti iamiam ipsi audituri estis.

1. *Paßio*, auditores dilectissimi, à verbo *Pati* descẽdit: quod tantumdem est ac tolerare & ferre. etsi enim anima, quoad effectus & productiones, suis in motibus agere videatur, in eorum tamen impressionibus antè quid patitur.

2. Porrò, quod ad rem spectat, aliud ipsa non est, quàm quidam animæ motus vel agitatio, qualem in corpore esse dicas pulsum arteriæ.

3. Quoniam verò febris eam vobis symbolo designaui, ne à proposito mihi fine, quo hunc passionum nostrarum intemperiem vobis proponere constitui, vel minimùm deflectam, primò in genere vtriusque mali inter se similitudinem exponam, deinde ad singulares vtriusque febris tam corporalis quàm spiritualis proprietates descendam, vt hac ratione per sensibilia in minùs cognoscibilium notitiam venire vos faciam.

4. Febris quædam in corpore passio est; vel, vt vulgò loquuntur, affectio quædam supernaturalis. adeò vt, quamuis per calorem & tremorem febricitãs videatur agere, reipsa tamen potiùs patiatur.

5. Febris è naturali vel extraordinario pulsu arteriæ cognoscitur: est igitur corporis quidam motus, vti animæ quidam est passio.

6. Quamdiu viuimus, in corpore pulsus arteriæ agit, atque ipse euidentissimum intimumque vitæ signum est; ita sine passionibus viuere nulla potest anima; eæ namque eiusdem essentiæ naturales infixæ & innatæ sunt.

7. Ceterùm id est inter passionem ordinatam, qualem in nostro Tractatu Variorum delineauimus, & inordinatam, quã hoc loco describere est animus, discrimen, quod inter pulsum arteriæ sanum ac naturalem, & febrientem & vitiosum.

8. Fe-

8. Febres, inquiunt medici, quæ numero multiplices, duobus omnes insident locis, scilicet vel in partibus solidis, vel spiritosis, impetuosis ac nobilibus, quæ alijs subtiliores & delicatiores sunt. Alibi verò pluribus ostendi, vndecim, quæ in anima nostra vigent, passiones in duplici appetitus sensitiui, quæ inferior animæ pars, sede consistere, sex nimirum in concupiscibili, quinque in irascibili.

9. Hæc earũ series & nomina; in illa quippe habitãt Amor, Odium, Desiderium, Abominatio, Gaudium, Tristitia: in hac verò Ira, Spes, Desperatio, Timor, Audacia: quas singulas adaptabimus, & cõferem⁹ cũ febribus Continua, Maligna, Tertiana, Quartana, Ephemerina, Lęta, Calida, Phrenetica, Hectica. Tremebunda, & Impetuosa. Ordine quamque suo prosequamur.

II. 1. Amor omnium horum orbium primum mobile est, qui eos omnes secum trahit, etsi suam ipse singularem habeat sphæram ab alijs discretam, & motum distinctum. Sed idcirco sic eum vocaui, quòd in reliquis passionibus semper aliqua amoris proprij portio immista sit.

2. Sic in omnibus febrium generibus semper continua quædam dominatur indispositio, quæ etiam post paroxysmum iam præteritum in febriente perseuerat. Etsi verò Continua febris perpetua sit; aliæ tamen, quamquam dilucida habeant interualla, & aliquam interdum quietem indulgeant, assiduò corpus corrodunt & atterunt,

Horat. l. 2. Oda. 2. *Nec sitim pellunt, nisi causa morbi*
Fugerit venis.

3. Amoris symbolũ ignis, sicuti hæc passio, omnia in se conuertit; & adeò febres omnes, nisi ritè soliciteque curentur, vt plurimùm in Continuas transeũt.

4. Febris antiperistatica quædam est vehementis cuiusdam caloris cum nimio frigore collisio, adinstar concussionis illius, quæ tonitru in nubibus caussatur: sic in animabus nostris per continuam duorũ

horum amantium, qui, vt ſanctus teſtatur Auguſtinus, duas condidêre ciuitates, vnus quidem Ieruſalem, alter Babylonem, inter ſe concuſſionem, Erotẽ & Anterotem Poetarum, cœleſtem inquam & ſæcularem amorem patimur.

5. Fax eſt in anima noſtra ardens; quæ quidem flãmeſcit, dum quod vitam dat & alimentum, ſubtus agit; exſtinguitur verò, poſtquam fax inuerſa eſt. quid velim, intelligitis.

6. Denique continua hæc Amoris Febris perpetim noſtris in venis feruet; ipſe ſcilicet Veſuuius, atque AEtna illa eſt concupiſcentiæ. Maximopere igitur opus habemus, vt diuinæ gratiæ humido ſanguis noſter purgetur, & ebullitio hæc & feruor conſopiatur.

1. Odium ſecunda febris eſt ſpecies, quam Malignã dicimus, quòd è pura malitia ac deprauatione ortum habeat. Mortalis ſcilicet ac peſtilens hæc febris eſt: *qui enim non diligit, manet in morte.* Hæc paulatim vitam ipſam ſubruit ac deſtruit ſanguinem ipſum inficiendo & corrumpendo. An non eodem modo odium ſenſum omnem peruertit atque inquinat? III. *1. Ioan. 3.*

3. Putrida quædam gangræna eſt, quæ quod occupat cor, ipſum corrodit & paſcitur.

4. Maligna Febris, vbi radices egerit, tetris tempore ſuo interanea vlceribus replet. quid porrò malignũ odium eſt aliud, quàm viperunculus & cancer, viſcera ipſa exedens & deuorans?

5. Quos hæc inuaſit febris, vt plurimùm colore ſunt oleagino, plumbeo, & fœtentis anhelitus. Videte vt inuidus oſor ſemper palleat, tetricus ac triſtis ſit. os etiam eius quid aliud euomit quàm obloquia & detractiones?

6. Odium perſimile dixero fornaci illi Babylonicæ, quæ non alios adurit ac corripit, quàm qui eamdem ſuccenderunt. *Dan. 3.*

1. Deſi-

IV. 1.Desiderium vel cupiditas, tertia febris est. Hē, quantam illa sitim causatur! ipsa scilicet est auaritia,
Prou. 30. maledicta illa *sanguisuga, quæ nunquam dicit, sufficit.*

2.Serpens dipsas est, qui quos pupugit & momordit, præ siti emori cogit.

3.Diuitiarum acquisitarum aqua adeò non refrigerat, vt potiùs accendat, adinstar febrilis; multoq; etiam magis oleum auri.

4.Hanc vt cures, salutare est venam secare, sic vt auaritię sitim mitiges, *non diuitijs addendum, sed cupiditati detrahendum.*

5.Denique febris quædam tertiana est: cupidi enim & vsurâ infames nonnisi de tempore in tempus febris suæ accessum & intermissionem experiuntur.

V. 1.Abominatio, quarta passio, quartanam denotabit febrim, quæ ægerrimè, radice acta, euellitur. Hęc gustum deprauat, & adulterat; simili etiam desipientia laborant, qui quæ futura sunt, abominantur,
Psal 105 & abhorrent, *& pro nihilo habent terram desiderabilem.*

Num. 11. 2.Tales quoque sunt, qui olido sapidum manna allio & peponibus AEgyptijs postponunt, & carnales delicias spiritualibus antiquiores habent.

3.Qui item vsum sacramentorum frequentiorem
Psal. 101. fugiunt, & *obliti sunt comedere panem suum. Omnem*
Psal. 106 *escam abominata est anima eorum, appropinquauerunt*
Psal. 35. *vsque ad portas mortis.* Quique *nolunt intelligere, vt be-*
Psal. 49. *ne agant*, & salutis *disciplinam oderunt.* Quam, ô Deus bone, febris hæc mala est, & exstirpatu difficilis!

VI. 1.Gaudium, quinta illa passio, vbi nimirum nimiū est, & ob rem vanam, momentaneum est, & turpe.
Psal. 39. *Beatus qui non respexit in vanitates, & insanias falsas.*

2.Mundus *hypocrita* est, cuius *gaudium*, vt tradit
Iob 20. Iob, adinstar *puncti* est, quapropter passionem hanc febri comparauero ephemerinæ & quotidianæ, vtpote volaticam ac leuem commotionem, quæ non nisi vno duret die.

3.Gau-

3. Gaudium mundanum *quasi flos egreditur, & fugit velut vmbra. Manè, sicut herba, transeat, vespere decidat, induret & arescat. Præterit figura huius mundi.* Iob 14 Psal. 89. 1. Cor. 7.

4. Caua scilicet Creusæ vmbra est, quam magnus Poeta describit. AEnei. 2

5. Sol quidem hibernus est, qui quidem tristes recreat, ceterùm nec robur habet, nec operandi potẽtiam. Denique, *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis.* Luc. 6.

VII. 1. Tristitia, sexta passio, cùm lenta febri conferẽda venit: ipsa namque tetrica quædam & melancholica grauedo est, ossa exsiccans. *Spiritus* quippe *tristis exsiccat ossa.* Illam in hisce versibus depictam videbis, Prou. 17.

Et tenuant vigiles corpus miserabile curæ, Ouid. 3.
Adducitque cutem macies. Metam.

2. Ipsa gutta quædam absynthij est, quæ gratissimarum suauissimarumque etiam conditionum dulcedinem amaricando felleam reddit. Esth. 5.

3. Recogitate exemplum Amani, qui tot inter cõmoditates & dignitatum ornamenta, maligna hac tristitia oppressus gemit, nec quietem inuenit.

4. Quam proinde Chrysostomus rubigini ferrum depáscent; tineæ pannũ corrodenti lupo; oues deuoranti; aceto, quo infuso bonũ vinũ acescit; zizanio, quod frumento immistum eiusdem pestis est; grãdini denique vineas demolienti assimilat. Hom. quòd nemo læditur nisi à seipso.

VIII. 1. Ira septima passio, nulla exprimi re potest meliùs quàm febri æstuanti; quam etiam Chrysostomus similitudinem pluribus prosequitur. Hom. 47 in Ioan.

2. Iracundus leoni persimilis est, qui ob vehementem, quo intrinsecus aduritur, calorem & æstum nũquam non febricitare perhibetur.

3. Febris hæc nonnunquam adeò exorbitantes & incredibiles conuulsiones habet, vt, qui eadem correptus est, eam sæpè violentiam ostendat, ad quam sanus ne quidem speret attingere. tales nimi-

rum sunt exotici iræ furores & impetus, quales sedata & quieta mens numquam exereret.

Horat. l. 1. epist.

------ *Qui non moderabitur iræ,*
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens;
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

Hom. 3. in Ioan.

4. Crudelis & effera bellua est, inquit Chrysostomus, indomabilis propemodum, & irrefrænabilis.

5. Ignis exstingui prorsus nequit, si principio eius ardori non obstiteris. Idem de ira censete.

6. Ferrum, vbi candet, igne ipso, à quo inflammatum est, longè calentius est. sic sæpè iræ effectus causâ ipsâ vehementior & immanior est. Quot enim mutua ruunt cæde, & in duellum inuicem prouocat, vel de leuissimus honorum punctulis concertantes!

IX.

1. Spes, octaua passio, phrenetica quædam febris est, quæ varia imaginariaque excitat somnia omnis substantiæ expertia, & non alibi subsistentia quàm in caui cerebri vacuo. Vnde & bene de veteribus quidam *spem vigilantium* appellat *somnium.*

2. Ambitiosi febriculosa hac somniatione potissimum exagitantur; de quibus scitè illud Horatij dici potest, quod

In arte Poet.

------ *velut ægri somnia, vanas*
Effingunt species.

3. Splendores & magnificentias sibi effingunt, quibus ceu fumo ac somnio pascuntur.

4.5. Quos veros dixero Ixiones nubium amore captos. Vnde Imperator ille vetus asseclas suos & clientes, honoribus inhiantes, *Ixionios* dicere *amicos* solebat.

Isa. 59.

6. Misellj, vtpote *oua aspidum* fouentes, quæ exclusæ fotoribus suis perniciem creant: sæpè etiã qui ad alta honorum fastigia contendunt, febri phrenetica laborantium ritu de summo culmine præcipites ruunt.

1. Despe-

1. Desperatio, nona passio, hectica febris est, quæ hominem ad tumbam vsque & extrema deducit, languidis eum impressionibus obruit, eoque ipsum cogit, vt velut noctua ne lumen quidem ferat, lux ipsi sit grauis & vita intolerabilis, omnisque quorumlibet conditio & sors quàm propria videatur tolerabilior. X.

2.3. Morbus hic feralis cùm corpori mortalis est, tum animæ perniciosissimus. Febrienti hoc & marcido humore miserè periêre, Cain, Saul, Architophel & Iudas; quem Poëtæ morbum in Penthei & Orestis furijs velut in imagine depinxerunt.

1.2. Tremebunda febris timoris decimam constituet passionem; qua correptus fuit Cain, antequam in phreneticam incideret. Quos hæc occuparit, his pulsus arteriæ intensior & concitatior. Horum in numero pono scrupulosos, & anxiæ mentis homines, qui infinitam Dei bonitatem in supplicium & gehennam sibi vertunt. XI. *Gen.* 4.

3. *Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.* *Iuuenal. Sat.* 13.

Tremuli hi varios distinctosque sentiunt in animo appetitus; atque adeò nihil in mundo mutabilius ac nutabilius, quàm scrupulosa conscientia;

----- *Attonita est quæ primo murmure cœli.*

4. Lepores scilicet, qui semper apertis dormitant oculis, qui sua etiam somnia superstitiosa quadam anxietate explorant & metuunt. *Intus pauor eos vastat, & trepidant timore, vbi non est timor.* *Psal.* 13.

1.2. Audacia è contrà illius aduersaria, vndecima postremaque est passio, febris illa turbulenta, impetuosa, procellosa, inquieta, ac leoni solennis, nihil metuenti, semperque præ audacia oculis dormienti patentibus. XII.

3. Goliath, insolescens & superbiens illa moles, temeraria & iactabunda hac febri correptus interijt. 1. *Reg.* 17.

Dan. 4. 4. Nabuchodonosor eadem vexatus, in bestiam silueſtrem tranſijt.

5. Et Lucifer ob arrogantem ſuam diuinitatis ambitionem ad tartara deiectus eſt, & in *inferiora terræ.*

6. Hac agente tot ſtolidæ veſanæque ab hominibus ſuſcipiuntur expeditiones & molimina, & *cœlum ipſum petimus ſtultitia, neque per noſtrum patimur ſcelus iracunda Iouem ponere fulmina.* Horat. Odar. l. 3

Deum obteſtemur, fratres, ſupplices, vt à febriculoſis his acceſſibus & exceſſibus nos liberet, ac præſertim feminæ. Eſt quippe certiſſimum, ipſæ dum febri æſtuant, præſertim cholerica, fruſtra Petri vmbram in medicamentum adhiberi, atque ipſum neceſſe eſſe Dominum operam manumque ſuam interponere. Actor. 5.

Audiſtis, vt dicta paucis complectar, 1. paſſionem febrim quamdam eſſe; 2. Amorem continuam febrim dici poſſe; 3. odium, malignam; 4. deſiderium, tertianam; 5. abominationem, quartanam; 6. gaudium, diariam; 7. triſtitiam, lentam; 8. iram, calidam; 9. ſpem, phreneticam; 10. deſperationem, hecticam; 11. timorem, tremulam ac palpitantem; 12. audaciam deniq; inquietam.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QVADRAGESIMAE;

De Conuerſione.

HOMILIA XXI.

Domine, da mihi hanc aquam. Ioan. 3.

RADIORVM ſuorũ allapſu paulatim ſol in intimis terrę viſceribus aurũ producit: ſic noſter iuſtitiæ ſol ſuis blandorum verborum illicijs & adſpirationibus in Samaritanæ, quam in Euangelio deſcribi audiſtis, pectore peruerſum & plumbeũ

cor in aureum pureque conuersum commutat. Diuina profectò hæc metamorphosis est, auditores, queq; ianuā mihi reserat, vt hodie apud vos 1. quid sit cōuersio, disserā, 2. eáque à gratia necessariò preueniendam, insuper 3. integram, 4. generosam, 5. renūtiantem esse debere ostendam. Aures date.

1. Vox *Cōuersio*, vti ex ipso sono colligere potestis, quandam inuersionem significat. Pupillas porcus ita constitutas habere fertur, vt cœlum non aliter queat intueri, nisi supinus cœlo obuertatur. ad eumdem modum ita in terram pronus peccator propendet, vt sola conuersio eum, animum cogitationemque in cœlestibus vt figat, compellere queat. I.

2. Anima quippe nostra instar speculi est, quod terræ obuersum terram in se exprimit; in cœlum vice versa prospectans astra cælica repræsentat.

3. Hæc insuper vox quamdam mutationem sonat: siquidem ipsa philosophalis ille spiritualium lapis est, quæ plumbum in argentum, æs in aurum, terrestres in cœlestes denique commutat.

4. Super hęc versionem quamdam, commigrationem, vel rei vnius in alteram transitum signat, vt dū elementum vnum transit in aliud, quamquam, vt physiologi docent, aliquam inuicem habere hæc vicinitatem affinitatemque debeant; sic ignis in aërem, & terra in aquam conuertitur; non verò ignis vice versa in aquam, vel terra in aëra, ob nimiam quæ inter vtrumque elementum est, contrarietatem. at in conuersione nostra spirituali, quæ etiam longè magis prodigiosa est, nulla mutationem impedit disparitas; quin potiùs contrà, grauissima enormissimaq; peccata feruentissimas eminētissimasque producunt pœnitentias.

5. Denique per verbum hoc animæ quemdam ad Deum reditum intelligimus, idque per felicem quandā vinculorū, quibus constricta tenebatur, abiectionē. Hęc scilicet illa reuersio & faciei cōuersio est, quā tanto spósus affectu, & adeò ardenter à Suna-

Cant. 6. mitideefflagitat,*reuertere,reuertere, Sunamitis,reuertere, vt intueamur te.*

II. 1.Hãc porrò reuerfionẽ,tranfitũ,mutationẽ,inuerfionéque præueniens comitari debet gratia,quò valida fiat & vtilis,ac dici de ipfa queat : *Hæc mutatio*

Pfal. 76. Pfal. 117. Pfal. 138. Pfal. 36. Cant. 5. *dexteræ excelfi:dextera Domini fecit virtutẽ.etenim illuc manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua. Dominus fupponit manum fuam. Dilectus mifit manum ad foramen,& venter meus intremuit ad tactum illius: denique gratia eius præueniet me.*

2.3. Hoc nifi affulgeat auxilium , mentes noftræ procliues admodum in peccatum feruntur , fed non reuertuntur. Ah! quoties, ô Domine,*pulfas ad*

Cant. 5. *ianuã* noftrã,*cincinnis* tuis *deftillantibus primas* dulciffimorũ & facratiffimorum fauorũ tuorum *guttas*? nos verò, vt fponfa illa ingrata , in mollibus deliciarum noftrarum fenfualium *lectulis dormientes* paruam aliquam metuentes incommoditatem, te audire negligimus.quoties, eheu! furda blandas benignarum immutationum tuarum infpirationes aure præteriuimus!

Matt. 26 Act. 9. Matt. 9. Luc. 7. Luc. 19. Ierem. 31 4.5.6.7.8. Præambula hæc gratia omnis boni noftri initium & antefignana eft. Petri Gallus , fulgur Pauli, Matthæi appellatio, Magdalenæ refpectus, Zachæi inuitatio totidem funt præuentionis huius exempla,quæ pluribus queunt extendi.

Pfal. 101. Cant. 1. Ioan. 6. 9.*Conuerte nos, & conuertemur.mutabis eos,& mutabuntur.trahe nos poft te,curremus. Nemo poteft venire ad me,nifi Pater meus traxerit eum.* His è teftimonijs apparet, nifi defideriorum noftrorum vela leni hoc Zephyro inflentur, fruftra nos ad portum falutis contendere.

Auguft. 10. Verum quidem illud, *Qui nos fecit fine nobis, faluare nos non poteft fine nobis.* Attamen & illud certiffimum eft, fi nos ipfe fine nobis faluare nequeat,

Ioan. 15. nec nos fine ipfo faluari poffe. Ait fiquidem, *Sine me nihil poteftis facere.*

Ioan. 5. 11.Sumus quippe paralytici illi, qui *hominem non haben-*

habentes sanari non valemus, sicut nec sine piscina,
ac Saluatore Iesu, id est, sine confessione, pœnitentia,
ac potenti quadam gratia. *Veni, Domine, & vide, &* *Psal. 79.*
visita vineam istam. fiat manus super virum dexteræ
tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

12.13. Fulgidum hoc iubar peccati nostri nubem
perrumpit, vitium obstinationis permeat, trans
prauorum habituum cortinas radios spargit, blan-
deque nos lethargico sopore, quo grauati dormi-
tamus, excitat: ea verò nostra durities, & offirmatio
est, vt eidem oculos occludamus & fenestras ob-
struamus, ne luminis splédorem ab ipso in hac mor-
tis vmbra, qua obsepti sumus, immissum videamus.
Quin ergo, auditores, ad horum aspectum radiorum
heliotropij naturam induimus?

14. Quin rutilanti lucentique huic faci, quæ lucu-
lenta virtutis decora, & sordium nostrarum næuos
nobis spectandos dat, & cuius fulgor mendax erran-
tium planetarum scelerum nostrorum lumen dispel-
lit, oculos totos aperimus?

15. Non sine mysterio sponsa *auroræ consurgenti* as- *Cant. 6.*
similatur; è qua similitudine conuenientissima ani-
mæ paulatim à culpæ tenebris ad gratiæ lumen
emergentis symbola elicere possumus. Vt enim co-
ruscans aurora vapores & exhalationes nocturnas
dissipat, fulgidis cœlum coloribus condecorat, ro-
sisque ipsum quodammodo replet, terram rosci-
dis gemmis conuestit, omne denique omnino ani-
malium genus recreat: sic eosdem in anima effectus
producit gratia.

16. Si austeram porrò refractariamque ipsa nanci-
scatur animam, suas ingeminat vires; quique in *vin-* *Coloss. 3.*
culis charitatis conduci nolunt, eos *trahit in funiculis* *Osee 1.*
Adam. Fœtum leæna dormitantem & soporatum e-
ijcit, qué suis deinde rugitib⁹ expergefacit. Nó aliter
se gratia erga obduratū dormiẽtemq; gerit peccato-
rẽ, quẽ veheméti suo impulsu & cócussu à deliquio ac
veterno excitat stertẽtem. *Facit planctū velut draconū,*

Mich 1. *& luctum quasi struthionum, quando desperata est plaga.*

Ioann.11. 17. Vt Lazarum, inueterati peccatoris symbolum, à mortuis suscitet, videte vt Saluator infremat & lacrymetur.

18. Quàm beati essemus, fratres, si ea, quæ Lazari, nostra foret ad diuinæ huic voci, quæ intrinsecus nos à peccati morte ad gratiæ ipsius vitam sancta quadam conuersione euocat, parendum promptitudo.

III. 1. Integra autem conuersio hæc esse debet (quod tertio puncto prosequi promiseramus.) Vt enim dicam, quod res est, Amor Dei delicatus est, ac reliquias ciborum superfluas repudiat; nec non zelosus, vt qui dimidiatum nihil vult, nec cum corriuali quid diuidere, aut concertare, ne quidem de

Cant. 4. *oculi vnius* iactu, aut *crine colli*. singula acutè contemplatur; *oculi* illius vagantes & gyrantes *auolare* eum

Cant. 6. *faciunt*; sibi dumtaxat oculos habere vult sponsam,

Zach. 9. nec ornamenta, quàm ad sibi placendum.

3. Cicuta vino immista venenum est immedicabile: sic qui in vnius eiusdem cordis vitio amorem diuinum, *vinum* illud *inebrians*, sed *germinans virgines*, cum letifera amoris mundani cicuta commiscere voluerit, haud dubiè sibi ruinā arcessit & mortē.

4. Ad cœlestia aspirans, & ad terrena se conuertens quasi ea inuitè relinquens, perinde facit ac remiges, qui ad portum petitum semper retrocedendo feruntur.

5. Mera stultitia est se nonnisi sic media ex parte conuertere. nemo ascendere sursum potest, nisi locum imum deserat. at velle instar amphibiorum in duobus viuere elementis, & vt

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;

prorsus fieri nequit.

6.7. Eteocles & Polynices eodem cremari rogo non potuêre: Eros & Anteros diuersas ambo adhibent flammas.

8. 9. Vno eodemque tempore duo nemo carpere itinera poteſt;alterutrum adinſtar Herculis Prodicij apud Xenophontem tibi deligendum eſt, vel latum, vel anguſtum. Vt ad gratiæ Orientem tendas,neceſſariò tergum integrum peccati Occidenti obuertendum eſt.

10. Dimidiatæ hæ conuerſiones meræ tepiditates ſunt,quę aliud exſpectare non poſſunt,quàm vt diuino ab *ore euomantur*. *Apoc.3.*

11. Semper ordiuntur,& numquam conſummant. Tela Penelopes eſt;

12. Vel potius aſinus ille funarij, qui in emblematis,quidquid hic texebat, abrodere deſcribitur. ad eumdem planè modum horum tepidorum ſenſualitas omnia rationis propoſita deſtruit atque euertit. *Rom. 13.*

13. Qui bene agere vult,*abijciat opera tenebrarum*, & quæ *lucis* ſunt,ſeriò amplectatur. IV.

1. Et generosè *venienti & omnibus*, vt læta mente Dominum ſequatur: vti Samaritana vrnam reliquit, vt opidanis Meſſiæ aduentum annuntiaret. *Ioan.3.*

2. Exiguæ illæ moleſtiæ, quæ conuerſionis initio ſeſe offerunt, inanis nimirum ille ob ſermones hominum pudor,difficultatis occurrētis metus, anceps illa nutatio, vana illa erubeſcentia, ieiunia illa paulo auſteriora, diuturna & productiora illa orandi ſpatia, nec non illæ quæ nobis adulantur vanitates, laudes illæ,quæ in his omnibus mentem titillant, nonniſi præambulæ & vmbraticæ quædam velitationes ſunt, è quibus diſcamus, maiora dur ioraque in extremo nobis agmine eſſe ſubeunda certamina, & in ſupremo articulo ac crebriùs nobis pugnandum fore.

3. Verùm de ſtatione non decedamus: nam qui *perſeuerauerit vſque ad finem legitimè coronabitur*, & aduerſus pondus palmæ inſtar generosè obluctandum eſt. *2.Tim.2.*

4. Parui igniculi ad hoſce flatus exſtinguuntur, at

at ardentioris pietatis ignes magis inflammeſcunt.

5.Onus rectè accommodatum,& in æquilibrio in baiuli dorſo collocatum, dimidio leuius eſt.

Horat. lib. 1. Od. 24. *----leue fit, quod bene fertur, onus.*

Sic generoſitas difficultatem imminuit. *durum; ſed leuius fit patientia.*

Ouid lib. 1. remed. 6. *Cernis vt indomitos vrunt iuga prima iuuencos.*

Ad eumdem modum in primis virtutis exercitijs fieri videmus, vt quæ initio amara, pòſt paulò dulceſcant, & vſu faciliora fiant.

7. Amor & ſequela Chriſti *iugum* appellatur: quòd modò vel minimum à parte noſtra cōnitamur, & vel parum manum operi admoueamus, diuina eius gratia reliquam oneris partem vltrò ferat.

8. Vt lignum incuruum igne inflectitur, ita & nos peruerſorum habituum noſtrorum conuerſione inflecti atque incuruari dirigique impoſſibile eſt, niſi ardentem alicuius moleſtiæ & incommodi ignem ſubeamus.

V. 1. Id potiſſimùm in abſoluta quadam ac vehementi omnigenorum peccatorum abrenuntiatione conſiſtit.

Horat. li. 1. epi. 1. *Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima*
Stultitia caruiſſe.

Initium boni eſt effugatio mali; principium ſanctitatis animæ eſt morum prauorum & peccaminoſorum expurgatio, vti initium ſanitatis corporalis humorum eſt vitiatorum expulſio.

2. Non antè apes mellificant, quàm fucos ſuo ab examine ſequeſtrarint.

Virgil. Georg 4. *Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.*

3. Conſcientiæ ager à peccati zizanio priùs expurgandus eſt, quàm bonum virtutis triticum ipſi mandes.

4. Diuortium cum mundo faciendum, eius agendi ratio abdicanda, dicendo, *Res tuas tibi habe.*

Virgil. 1. Aeneid. 5. Si Deo nos vnire, & *coniugio* animam *ſtabili* illi *iungere propriamq; dicare* voluerimus, ante omnia abdi-

abdicanda, quę illi displicent.

6.7. Hunc porrò vnicum ab anima peccatum effugat, sicut apum examina disturbat fumus: atque vt quo rex est loco, eo & aula & curia est; sic, vbicumque locorum vel per gratiam, vel in gloria Deus est, illic cœlum inuenies; atque vbi non est, infernale chaos.

8. Omnigenis ergo peccatis valedicamus, fratres, & *proijciamus à nobis iugum ipsorum*. Duram hanc & intolerabilem à nostris seruitutem ceruicibus excutiamus, *Qui facit peccatum, seruus est peccati; disrumpamus* has catenas, hæc *vincula*, dissoluamus has compedes, hos *funes peccatorum circumplexos; vt abnegantes nos* ipsos *in sanctitate & iustitia* viuamus *coram Deo omnibus diebus nostris*. Hoc sua ipse nobis gratia elargiri dignetur. *Psal. 2.* *Ioan. 8.* *Psal. 2.* *Psal. 118.* *Tit. 2.* *Luc. 1.*

Nec non, vt hac ex homilia retinendo discamus, 1. quid sit conuersio, 2. quantopere ad eamdem gratia præuia necessaria sit; & 3. hæc vt valeat, eam integram, 4. animosam esse debere, 5. peccandi consuetudinem repudiare.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMAE:

De Eleemosyna.

HOMILIA XXII.

Sequebatur eum multitudo magna. Ioan. 6.

PRodigiosa illa panum multiplicatio, quam cõmemorari in Euangelica recitatione audistis, dilecti in Christo fratres, generalis quędã est eleemosy-

mosyna, quinque hominum millibus in deserto à Saluatore Iesu erogata. *Hac*, inquit Cyrillus Alexā-
in Ioan. drinus, *piam nos ipse edocuit liberalitatem, nec non sub-*
li.3.c.18. *limi quodam modo ostendit, quo sua liberaliùs quis in egenos effundit, eo pòst hæc affluere abundantiùs.* De tua igitur, ô eleëmosyna, cæli ianitrix, & inexhauste &
Cant.4. semper scaturiens *aquarum viuentium putee*, 1. natura, 2. de honore & dignitate, 3. de commodis, 4. voluptate ac delicijs hodiè apud hunc conuentum agemus: aures attentas, obsecro, accommodet.

I. 1. Vox hæc *eleemosyna* tota Græca est, ac propriè
Lib.17. *misericordiam* sonat. De qua virtute alio in loco plu-
Diuers. ribus tractauimus.
c.5. & li. 2. Quæ secundùm etymologos à verbo ἐλεέω,
31.c.66. quod *misereor* Latinè dicas, ortum habet. Hæc quidem quoad vocem.

3. Rei verò hanc cum S. Basilio definitionem da-
in Psal. mus: *Eleemosyna quædam est animæ commiseratio, qua*
114. *sortem miseramur afflictorum; vti, dum eorum conditioni compatimur, qui ex summo opum gradu ad extremā redacti sunt inopiam, vel è robusta ac vegeta valetudine in grauem inciderunt morbum.*

4. Iam distinctiónem inspiciamus. Etsi misericordia & eleëmosyna sæpenumerò pro vna eademque re capiantur; maximum tamen inter eadem discrimen est. illa enim causa est, hæc effectus: illa virtus est & habitus, hæc actus, ac velut solis huius radius, trunci huius ramus, ac fontis huius riuus.

Aug.9. 5. Illa dicta est misericordia, quòd *miserum faciat*
de ciuit. *cor alterius miseria*; hæc verò per effectum suum, quia
Isidor.li. *miseretur & commodat, dispergit, & dat pauperibus*,
etymol. atque illam, quam videt in proximo miseriam,
Psal.111. per participationem sui subleuat. Pulchræ virtutis pulcher effectus. Nam, sicut S. Bernardinus loquitur, *Piæ animæ faciliùs propria patiuntur mala, quàm aliena.* Hinc celebres illi eleemones, quorum pòst paulò aliquot producemus exempla, suam æquanimiùs ferebant inopiam, quàm alios videbant inopes.

6.7. Quid

6.7. Quid si succurrendi desit potestas? tunc auxiliandi, fratres, sufficit volūtas. *Aurum & argentum,* aiebat claudo mendico Petrus, *non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. in* virtute & *nomine Iesu Christi surge & ambula.* Quàm eximia hæc sanitatis eleemosyna! *Licet,* inquit Augustinus, *de cellario non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre, quod tribuas.* Duo oboli consolationis, & amica nondatio æquiualent talentis ac millibus ab opulentis erogatis. *Beatus qui intelligit,* non ait, Qui confert, *super egenum & pauperem.* — *Act.* 3. — *Psal.* 40.

8. Iam ad eiusdem veniamus descriptionem. Eleemosyna est *vber* illud sponsæ *vino melius:* quo enim vbera exsuguntur crebriùs, eo fluunt vberiùs: at vini dolium, quò plura inde haurias, eò etiam deficit citiùs. — *Cant.* 1.

9. Est quoque ille *puteus* sponsæ, qui eò redundat magis, & redditur limpidior, & aqua sapidior, quò inde hauritur frequentiùs. — *Cant.* 4. *Ibid.* *Clem. Alexand. lib.* 5. *Pædagog. c.* 7.

10. Est *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.*

11. Est *flumen* illud rapidum, cuius *impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et sanè, *misericordiam* in supremo & vniuersali iudicij die *misericordes consequentur,* & *in die mala liberabit eos Dominus.* — *Psal.* 45. *Matt.* 5. *Psal.* 40.

12. *Beatus vir, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio quia in æternum non commouebitur. iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* — *Psal.* 111.

II.

1. Postremum hoc verbum pontis nobis futurum est loco, quò ad secundum deueniamus punctum, & de eleemosynæ honoribus nonnihil dicamus, quam benignus ille Minorum auctor Franciscus *nobilem* appellare solebat *prodigalitatem.* — *S. Bonau. vita c.* 9.

2. Aquila & leo, generosa illa animalia, cæteris non illibenter partem prædæ suæ cedunt: lupus è contra & vulpes, ignobiles & fœtidæ illæ bestiæ, quam vorare è rapto nequeunt portionem, terræ infodiunt, & com-

& computrescere sinunt. Eleemosynariorum & auarorum hic expressas imagines habetis.

3. Omnia animalia pedes habent veluti terræ affixos; solus homo, vt hoc pacto liberalitatem sibi agnatam esse debere discat, manus habet eleuatas, parum in se continere valentes, & liberas.

Cant. 5. 4. Sic etiam caritatiuas sponsi *manus* legimus in Canticis vt *tornatiles* describi; quæ forma versatilis est, & facilè flexilis; ac *plenas hyacinthis*: quod gemmarum genus charitatis est nota.

5. 6. Egregiæ sanè honorabilesque manus, quæ suos in magnos illos viros, misericordiâ notissimos, quorum benignitatem prisca celebrant monumenta, Gen. 18. influxus participando communicarunt. Videte inprimis Abrahamum, qui non minori ardore & contentione sua pauperibus erogaturus in agros excurrit, quàm alius quislibet ad aliquid opum recipiendum.

7. S. Ludouicus Galliæ nostræ Rex, ita per nosocomia & Xenodochia discurrebat, vt per loca amœnissima & maximarum sibi voluptatum seminaria; atque in ijsdem suis ipse ægros manibus non minùs sedulò curabat ac versabat, quàm si mercede pacta hunc illi laborem quisquam imposuisset; & humilis huius obsequij abiectionem diadematis sui splendori anteferebat.

8. Quàm porrò hæc in egenos effusio Elisabetham Hungariæ Regis filiam celebrem ac notam reddidit! Præclarissima rei huius exempla ipsius vitæ narratio suppeditabit.

9. B. Amadeus Sabaudiæ Dux hac etiam virtute illustre apud posteros nomen inuenit. Hic Legato Galliæ Regis, illius videre ornithotrophium videre cupienti ingentem pauperum turbam ostendit, quos quotidianis ipse alebat impensis, & quibus se Psal. 111. sperabat cælum venari & capere posse. *nec* sanè *confusus est ab exspectatione* sua. nam *dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

10. Gre-

10. Gregorius Magnus, domesticus ille inopum Papa, an non peregrini in specie Redemptorem ipsum suo excipere hospitio tectoque meruit?

11. Catharinæ Senensis in tenui sua fortuna charitas & liberalitas eximiæ sunt: hinc etiam tam illæ sunt admirabiles, quàm parum imitabiles. quibus non etiam vicissim ipsa à Redemptore Iesu hoc nomine cumulata est honoribus, quam gloriam consecuta? testis sit crux illa paruula argentea, & tunica propria, Christi amore & nomine, inopi erogata.

12. Nemini non notissimæ sunt eleemosynæ S. Martini etiamnum catechumeni. iam creatus Episcopus cùm in templi foribus sua indigum veste præ frigore obrigescentem texisset, illius, dum sacra celebrat mysteria, omnibus inspectantibus, vertex fulgidis, instar Moysis, radijs vndique coruscauit.

13. B. Petrus Telon, vti apud Leontium legere est in vita, cùm tunicam egeno cessisset, eadem pòst ipsum indutum Saluatorem Iesum conspexit.

14. S. Osibaldi Anglorum regis adeo in pauperes effusi manus pro benedictione, qua eidem pius quidam benedixerat Antistes, demortua non computruit. Anne maiores & ampliores quæritis honores?

1. Si verò vos commoda inuitent ac pelliciant; ne quidem illa eleemosynarium deficiunt. Vbera sponsæ in Canticis assimilantur *duobus hinnulis capreæ gemellis, qui in lilijs* saliunt, ludunt & *pascuntur.* quænam porrò cum hinnulis vberum similitudo? neque enim hi vbera sunt, sed vberum potiùs exsugentes & euacuatores. insignis tamen hic conceptus est, amici, è quo discimus, eleemosynam facere, esse potius accipere quid, quàm dare. Vnde Augustinus, *Da terram, & accipe cælum.* III.

Cant 4.

Serm. de Verbis Domini.

2.Hem ! quàm diuina hæc alchymia eſt, quæ lutum in aurum transformat caritatis, terram in cœlum, mortalitatem in æternitatem ! *Non memini*, ait Hieronymus, *mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit.*

3. Qui ſuum abijceret pallium, quò cornupetæ tauri impetum & cornu effugiat, an non conſultò, prudenter & vtiliter faceret? ſimilem ſanè pruden-
Dan 4. tiam oſtendit, qui commiſſa *peccata eleemoſynis redimit.*

4.5. Primum in purgando leproſo in veteri lege
Leuit. 14. obſeruandum præceptum erat, capillorum abraſio; capillorum inquam, qui ſuperfluitatum ſunt ſymbolum. ſuperfluarum facultatum noſtrarum erogatio ad animarum noſtrarum expiationem plurimum
Luc. 7. confert. Videte vt Magdalena capillis ſuis, id eſt, diuitijs, pedes Domini extergat, id eſt, Chriſti pauperes ſuſtentet & enutriat.

Eccl. 3. 6. Non ſic *aqua*, inquit Sapiens, *ignem exſtinguit*, vt *peccatum tollit eleemoſyna.* Ecquod verò commodum adfert, illud exſtinguere incendium, quod ad
Iſaia 33. *ardores ſempiternos* nos perducit?

7. Qui nihil ſereret, nihil vnquam meteret. abijciendum fortuitò ſemen eſt, & ſorti quodammodo cō-
2.Cor. 9. mittendum : & *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Vbi meſſis aduenit tempus, nemo non collectam ſegetem in horreum inferre vellet; ſed pauci agri colendi laborem ſubire, ac frumentum ad ſeminandum horreo educere. Quomodo verò cæleſtem, Deus bone, gloriam ipſi meſſuros nos ſperamus, ſi tam parum ſe-
Ibid. minis in terra pauperum ſinui committimus? *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Hom. in diuit. auar. 8. *Eleemoſyna* Baſilio teſte, *ſemen eſt, quod abiectum reddit centuplum.* frumētum veſtrum, cariſſimi, quod in horreo perit, & aſſiduè decreſcit, in vberem abiectum agrum, fructum adfert cum fœnore. Quod in arcis veſtris ſine fructu aſſeruatis aurum, perit & in- numeris

numeris obnoxium est periculis. Mihi credite, Christiani, *facite vobis amicos de mammona* illa *iniquitatis*, qui, *cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Sponsor sum & fideiussor, nullam hic vos erogando iacturam facturos. Nam, vt bene Leo Magnus, *Quidquid in opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur.* Luc.16. Serm.1. de ieiun. Pentec.

Extra fortunam est, quidquid donatur egenis,
Quas dabis his, solas semper habebis opes. Martial. l.5.

Thesaurizate vobis in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Matt.6. Luc.12.

10. Si dare tua non vis pauperi, illi saltem mutuare. Ecce, Dominus cautionem tibi se illius & vadem præstat, simulque declarat, quòd *quæ vni ex minimis* eius *feceris*, sibi *feceris*, ac fidem dat, vel *calicis aquæ frigidæ* nomine suo erogatæ mercedem se persoluturum. Ait Sapiens, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Et Chrysostomus nónne eleemosynam *artem omnium artium quæstuosissimam* vocat? Matt.10. Ibid. Prou.19. Hom. ad pop. Antioch. 33.

11. Vt certissimum habetote, eum, qui diuitias sæculi propter nomen Christi vilipendit, eas minimè perdere, sed cum melioribus commutare, vt ait quidam vir pius. quis verò graue ducat, quisquilias & elegantiores quasdam nugas apud Indos cum lamellis aureis commutare?

12. Si verò sciretis quanto reddat Dominus fœnore exigua & tenuia illa, quę è charitate erogantur, numquam aliud inire mercimonium velletis. Plura hac de re vobis suggererent S. Ioannes Eleemosynarius, Episcopus Alexandrinus, ac S. Germanus illustris ille Antisiodorensium Præsul, si tempus nobis suppeteret ad ea, quæ in vitis ipsorum scripta sunt, exempla describenda. Apud Surium.

13. Vnum viduæ Sareptanæ, quod illius, quod in Euangelio legimus, figura est, manifestè eleemosynæ vtilitatem spectandam dat. 3. Reg 17. Ioan.6.

1. Sed vocant me iam voluptates & deliciæ eidem inclusæ, & tales quidem deliciæ, dilectissimi, vt sola IV.

Sueton. Tito c. 8. dandi voluptas Imperatorem Titum amicis dicere compelleret, eum se diem in perditis numerare, quo nemini fecisset bene.

2. Quàm porrò vera illa Apostoli sententia, *Beatius est magis dare quàm accipere!* Act. 20. Et sanè dans Deum quodammodo imitatur.

3. Deum, inquam, ita continenter liberalem, vt Matt. 5. tam *super malos* quàm *bonos solem suum* quotidie *faciat exoriri*, & in peccatores ac perduelles illos Absalomos suam numquam non benignitatem ostendat.

4. Illum etiam Deum, cuius vbera ita benignitate & clementia turgida sunt, vt illi longè sit gratissimum, si eadem exsugantur.

Ioan. 5. 5. Illum denique Deum, qui assiduè *operatur*, omnigenaque in nos depluit bona & beneficia.

6. Quin imò tritum adagium est, *hominem homini* Cic. 1. offic. ceu *Deum* quemdam *esse*. Eleemosynam scilicet largiri Dei est opera exercere, & Deum agere.

7. Quàm dulce est sic ad inopiam redigi, vt iam tum ab illo, quo in terra agimus, tempore æternum duratura fundamenta nobis construere incipiamus!

4. Reg. 5. 8. Naaman leprosus in Iordane leniter fluente se Luc. 11. abluens à sua mundatus est lepra. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

9. Sol tam blandè leniterque hominis dorsum radiorum suorum illapsu allambit, vt eum vestes cogat exuere. elargitio verò tam amicè blanditur, & voluptate adeò illice, vt pij illa suadente seipsos denudent, etsi alioquin suauiter & non coacti.

10. Serapion cùm in indigum nudum incidisset, suam illi dat tunicam: quem deinde inuestem quidam è fratribus conspicatus percontatur, quis eum veste spoliasset; *Hic*, inquit digito in Euangelij codicem, quē sub axilla tenebat, intento, *me denudauit.*

11. Hunc deinde ipse rursus euoluens, dum in eo Matt. 19. legit, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus;* ipsum

ipſum etiam librum vendidit, redactumque inde pretium pauperibus diſtribuit.

12. Quænam vmquam voluptas ita hominem abripuit, vt ſe in mancipium ea fruendi cauſa vendiderit; quemadmodum plures legimus ſanctos ſeſe alijs vendidiſſe, vt redactum è captiuitate ſua pretium egenis donarent?

13. Serapion, de quo iam antè paulò meminimus, cùm nihil ſibi, quod daret, reliquum eſſet, ſeipſum diuendidit, vt pecuniola inde redacta orphanos aleret.

14. B. Petrus Telon nónne eadem de cauſa ſeſe venundari paſſus eſt?

15. Paulinus, Nolanus Antiſtes, an non ſeſe libenter & vltrò in ſeruum venumdedit, vt ſuæ pretio ſeruitutis vnicum viduæ, quæ in deſperandi diſcrimine verſabatur, filium è captiuitate Barbarorum eriperet? *Gregor. lib. 3. dial. c. 1.*

Vidiſtis igitur, 1. quid ſit eleemoſyna, 2. quæ eius dignitas, 3. quæ vtilitas, 4. quam voluptatem includat. Laudabiliter facietis, fratres dilectiſſimi, ſi illi, quod ſancto hoc tempore obſeruatis, ieiunio, & orationis exercitio fidam hanc addideritis comitem ac ſociam.

FERIA II. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE:

De Ira.

HOMILIA XXIII.

Inuenit in templo vendentes boues & oues. Ioan. 2.

VENTI moderati & propitij mare nauigantibus non neceſſarij modò ſunt, verùm etiam vtiles: at cùm plus æquo vehementes &

concitatiores sunt, tempestates excitant, & in discrimen nauigium conijciunt. talis est iræ & choleræ impetus: bonus quidem, si temperata; letifer, si nimia & immoderata.

Iustæ illius choleræ, qua Saluatorem nostrum vendentes ementesque insigni quodam cum feruoris impetu de templo pellentem in hodierni Euangelij tabula concitatū cernimus, occasione de cholera dicendi hodie ansam arripiemus, in quinq; eam membra materiam distinguentes, 1. naturam eius & distinctionem dabimus, 2. bonæ iræ partes prosequemur, 3. quæ huius cognoscendæ sit ratio, exponemus, 4. quæ mala sit, & 5. eius curandæ remedia suggeremus. In arenam prodeo.

I. 1. Communis est omnium de ira loquentium error, eam semper in deteriorem partem capere; cùm quædam ira sit non modò bona, verùm etiam (& quidem ore cælesti) laudata, & *sacrificium iustitiæ* appellata, per Psalmistam siquidem Deus consulit, *Irascimini, & nolite peccare; sacrificate sacrificium iustitiæ.*

Vide Diuers. lib. 31. c. 63.
Psal. 4.

2. Quod vt arcanum intelligatis, dilectissimi, notetis oportet, ingens esse inter iracundiæ passionem, & iram dum in vitium excedit, discrimen: illa siquidem bona est, hæc mala. quod quia non aduertunt, qui de ira scribunt, neve hanc eius distinctionem præponunt, hinc fit, vt grauiter ac turpiter impingant non satis rem ipsam intelligentes.

3. Vtraque porrò è Scholasticorum placitis hoc definiri modo potest, *Quidam vindictæ appetitus ex indignatione aduersus malum proueniens.* Sed pro obiecto, quod habent, inter se distinguuntur. Vt enim iustitia est, malum odisse, eiusque castigandi occasionem rimari, ita etiam iniustitia est, de falso malo, quod nobis irrogatum esse opinamur, vltionem velle sumere.

4. Mali

4. Mali effectus à mala progignuntur causa, boni à bona: sic ira, quæ suo in moderamine bonum producit, in vitiorum referri numerum non potest.

5. Omnis vindictæ appetitus in se vitiosus non est: non enim dixisset Propheta, *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* qui etiam alijs plurimis in locis nonnisi de bona quadam vltione loquitur. *Psal. 57.*

6. Quis dicere audeat de seipso ob præteritam dissolutionem ac peccata per mortificationem, austeritates, ieiunia, verbera, cilicia, quæ præcipua sunt pœnitentiæ instrumenta, sumptam vindictam malam esse?

7. Nemo quippe neget, quin

Vt mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpè ferat.

8. Metalla & gemmæ quælibet alia habent similia, adulterina tamen, quæ vera imitentur; & herbæ salutares medicæque (vti antidotum propè venenum) noxijs, vt vulgò dicitur, vicinæ accrescũt: ita choleræ, quæ vtilis quædam est passio, si quidem bene dirigatur, vitiosa, quæ eam imitando mentitur, annexa est ira.

9. Tantum tamen inter vtrumque discrimen est & interuallum, quantum inter oleum & acetum, inter rationem ac furorem, inter malaciam & procellam.

1. Vt enim quæ sit bonæ salutarisque iracundiæ natura intelligatis, fingite vobis, carissimi, eam esse ceu fermentum in farinæ massa, acris quidem temperaturæ, sine qua tamen coctus panis nonnisi grauis quædam & indigesta massa foret; fermentum siquidẽ saporem illi, leuitatem ac spiritus communicat. Ad eumdem modum ira, iustæ rationis moderatione cõducta, ad correctionem spectat eorum, qui nostræ subiecti sunt ferulæ, illorum quidem saluti, at nostræ conscientiæ exonerationi vtilis ac necessaria. II.

2. Errat, qui se bonam aliquam putat posse animaduersionem facere, si illi huius ingredientis drachmam non immiscuerit: quemadmodum nullum olim sine sale sacrificium peragebatur.

3. Acridulum ipsa condimentum est, quod sua immixtione condire & sapidas reddere reprehensiones debet.

----*Quod nouit pungere dogma, sapit.*

4. Sine hac rhabarbari affusione, sine hac absynthij immixtione nulla operationem agere spiritualis medicina potest.

5. Reperta ratio est ex ipso etiam veneno antidoti concinnandi, theriacæque alexicacæ ex ipso angue virulento componendæ: ita è choleræ passione ritè temperata confecto antipharmaco vitiosæ iræ occurri potest.

6. Dicuntur fructuum nucem ac putamen habentium nuclei contrarij penitus saporis esse ac naturæ, atque succus est corticis exterioris putamen ambientis: talis quoque est iram inter vitiosam & iracundiæ passionem dissimilitudo.

7. Hæc semper rationis sequitur ductum, illa iudicium omne pessundat. hinc vnius effectus salutares sunt, alterius noxij. eadem amygdalus amygdala fert dulcia simul & amara.

8. Quàm multos in orbe reperire fontes est inuicem quidem vicinos, penitus tamen diuersæ ac discrepantis inter se naturæ: quorum hi calidi, illi frigidi; hi dulces, illi amari; hi clari, illi turbidi; hi graues, illi leues; hi masculi, illi feminini.

9. Bona ira, passio quædam est animæ nostræ connaturalis, prima illarum, quæ in appetitu, qui inde irascibilis dicitur, resident, à Deo data & creata, &
Gen. 1. proinde *bona*, quin etiam *valdè bona*.

10. Illa nobis fidi instar canis est, à qua ad bonum excitemur, & quæ per reprehensiones vitijs animæ nostræ furibus allatret.

11. Ipsa

11. Ipsa sanctis admonitionibus aciem & mucronem addit, quæ sine ipsa hebetes & torpidæ forent. omnes quippe Prophetæ an non suis in commonitionibus semper vt *irati*, non tamen *peccantes* loquuntur? *Psal. 4.* an non ad singula propè verba iram Dei comminantur?

12. Iram Dei, inquam, adeò in sacra Scriptura frequentem, sed iram iustam, quâ iniquorum castigationem peragit: & iudicij vniuersalis dies an non *dies iræ* passim in eadem nominitatur? *Psal. 109. Isaiæ 13.*

13. Dum magnos illos Dei seruos, Mosen, Phinees, Mathatiam, Samuelem, Apostolum Paulum, Ioannem Baptistam, Stephanum protomartyrem tam vehementer aduersus scelestos & peruersos succensere legimus; quis cogitare audeat, eos vllam tam sanctis in operibus noxam contrahere? an non potiùs eorum laudamus zelum, quem cholerica hæc animositas causabatur? *Vide Diuersit. lib. 36. c 64.*

14. Aiebat Dauid: *Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecum aduersus facientes iniquitatem?* *Psal. 93.*

15. Redemptor noster nullas, ex Theologorum placito, habuit passiones, sed propassiones: cùm tamen Hercules ille Patris sui expurgare vult domum, *domum sanctitudinis & orationis*, quam auari Pharisæi *Psal. 92.* in Augiæ stabulum, inq; Caci speluncam conuerterant; videte vt virium humanarum conatum transcendens, & innatæ solitæque sibi benignitatis quodammodo limites excedens, tribus *funiculis & mēsas & oues & boues & columbas* subuertat. In quo rapido eum comparem flumini, quod suo excedit alueo, omnem vt circum circa vicinum agrum inundet.

Ac veluti rapidus montano flumine torrens *Virgil. 2. Aeneid.*
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores,
Præcipitesq; trahit siluas.

III.

Scire fortasse vultis, dilectissimi fratres, quo sanctam hanc bilem exercere queatis modo, quod difficile

esse & arduum minimè diffiteor, non tamen penitus impossibile.

1. Quod medici suadent, tamdiu corporis exercitium vsurpandum, quoad primus prorumpat sudor; hic locum habere posse existimo, ac licere eatenus ac tamdiu commoueri, donec ipsa turbari inciperet ratio. Certissimum quippe est, spirituali in bello non antè nos dici posse superari, quàm absolutum voluntatis nostræ dominium aduersarius occuparit. Vulnerari possumus ictibus hinc inde acerrimè ingruentibus, at non antè prosterni, quàm apertum vulneratumque cor fuerit.

Laert. Stobæus serm. 20. 2. Celebratur Plato, quòd iram erumpere gestientem cohibuerit, qui idcirco dumtaxat in seruum plagiarium desijt fustibus animaduertere, quòd esset ab ira concitatior.

3. Plutarchus dum seruum acriter excipiens & fustigãs, iræ nimiæ abastantibus insimularetur, Brachium, inquit, commotum est, non cor.

4. Alcyon scilicet erat, qui suum in iracundiæ aquis construere nidum norat, non tamen ab ijsdem mergi.

5. Peritus erat eques, qui sensuum suorum equum potentis & prædominantis rationis freno, lupatis, habenisque continere poterat.

6. Nonnisi peritissimorum nautarum est, insurgentibus procellis vada & breuia deuitare posse; sed modò cynosura ex oculis non amittatur, semper securitatis ac tranquillitatis spes est.

Prou. 8. 7. Deus *certa lege vallauit abyssos, mari terminum suum circumdedit, & legem posuit aquis, ne transirent fines suos.* hunc vt imitetur homo, prudenter quosdam iræ suæ efferuescenti limites constituere debet.

8. Hinc illustre illud in creatione in ipsum priuilegium contulit, *Sub te erit appetitus* tuus; *& tu dominaberis illius*, prout volueris. *Gen. 4.*

9. In-

9. Ingenuè de se confitetur Dauid, *Turbatus est à* Psal 6.
furore oculus meus, etiam *anima mea & venter meus*, Psal. 30.
id est, tã inferior, quàm media & superior mei pars. sed orationis adminiculo priorem tranquillitatem recuperauit.

10. Optima quippe rationis sub imperio continendæ via est frequenti oratione sese Deo coniungere; cũ
enim nos *dilecto* nostro sumus, ipse vicissim erit no- Cant. 2.
bis; & hunc habentes, sanctè nobis ipsi sumus. Esse quippe nostrum est, illius esse peculium; *Tuus sum e-*
go, saluum me fac. Psal. 118.

11. In tempestate periclitans Petrus Domino in- Matt. 8.
clamat, *Salua nos Domine, perimus*. orat & exauditur, & ecce Iesus *imperat ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

12. At, inquies, quomodo irascar, & nõ concitabor? nõ minùs facilè, auditores, quã rupes ab insultantib[9] vndis allisæ non se mouentes aut nutantes.

13. Nec minùs facilè quàm pyraustæ in fornacibus victitantes, non tamen deflagrantes.

14. Corporeum sanè prodigium erat, tres pueros Dan. 3.
in fornace accensa consîdentes videre, non tamen vllum à flammis detrimentum accipere: gratiæ verò prodigium est, quemdam medios inter viæ ardores frigidum cernere. neque enim adeò mirum & nouum est crustas glaciales in ęstiuis caloribus integras cõseruari.

15. Serpentibus dentes deme, cum ijsdem colludes: ab ira immoderationem tolle & excessum, nocere desinet.

16. Atque vt fulmen, dum serpentes ferit, omnem illi adimit virulentiam, sic vehemens & matura quędam ratio omnem iræ malignitatem tollit. IV.

Si enim hæc mediocritatis limites excedat, *vltra* Horat.
quos citraque nequit consistere rectum, vt Horatius lo- Sat. 1. l. 1.
quitur, nonnisi mera rationis priuatio est, & vesana Idem l. 1. epist. 3.
quædam rabies. Seneca l.

1. *Ira furor breuis est, exigua insania, mania momen-* de ira.

tanea, dicunt ſapientes.

2. Quædam eſt animæ ad omnem aduerſitatem oppoſitionemque impatientis impotentia & imbecillitas, quæ, ceu ſtomachus indigeſtus, ingentes in hominibus vomitus, & iniurias execratoriaſque oris excreationes cauſatur.

3. Violentus & rapidus quidam ventus eſt, qui nonniſi naufragia, infortunia & amarum pœnitere producit.

Horat. l. 1. epiſt. 3.

------qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit.

vẽtus Cęcias, vẽtus cęcitatis & caliginis, qui ſexcẽtarũ moleſtiarũ perturbationũque nubes ad ſe trahit.

4. Mentes imbecilliores hac correptæ phreneſi vlceroſis ac ſcabioſis ſimiles ſunt corporibus, quæ minimus impulſus & colliſio tenuis grauiter ſenſibiliterque offendit.

5. Palpabiles AEgypti tenebræ ſunt, albugines & cataractæ oculorum è malè temperati diſpoſitique cerebri fluxionibus ortæ, quæ rationis lumen penitꝰ obſtruunt & offuſcant.

6. Qui impetuoſo mentis ab hac actæ mania raptui reſiſtere voluerit, næ ille ſurdo carmen occinit, torrentique vorticoſo ac rapido aggeres obijcit.

7. Canes fœtum eijciunt cæcutientem. tales ſunt etiam iræ motus, cæci ſcilicet & nihil recti perſpicientes: quorum ſi ardor increſcat, mania mera eſt & inſania.

8. Bufo laceſſitus, ita veneno intumeſcit, vt vel diſrumpatur, vel ſuffocetur; non minores ſæpè ira effectus in ijs, quos occupauit, operatur. Sic Romanorum Imperatorum quidam ab ira ſuffocatus legitur, quòd illatam ſibi iniuriam non pro eo ac vellet poſſet vlciſci.

Baptiſt. Fulgoſ.

9. Ira quippe ceu dolium quoddam eſt muſto plenum euaporanti & ſpumanti; quod, niſi per euaporarium incluſus vapor exhalet, diffringitur: nec non cauerna ſubterranea puluere nitreo oppleta, quæ, niſi

nisi aër subintret, omnia disijcit & euertit.

10. Nautæ in tempestate interdum merces pretiosissimas & cados in mare abijcere coguntur, quò nauim exonerent, & hac vitam iactura in tuto collocent: quorum non bonorum & vtilium & delectabilium, & honestorum iacturam facimus, iræ tempestate rationis cymbam concutiente, vt huic furori faciamus satis?

V.

1. Si vidistis vnquam serpentem

Attollentem iras, & sibila colla tumentem, Virgil. 3. Georg.

cuius & fauces veneno tument, & trisulca lingua letifero toxico nigricat; vidistis hominem iratũ, intumescentem, sui impotẽtem, maligno felle turgidum; & ob vltionem quam spirat flammantem. Atque id primum antidotorum est, quæ vobis, vt hanc mentis colicam & cholericam passionem pellatis, proponam; considerare scilicet, quam is vultu fœditatem furoremque præferat, quẽ hæc phrenesis occuparit:

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ, Ouid. 3. de arte.
Lumina Gorgoneo sæuius igne micant.

2. Quamobrem iracundo suaserim, speculum semper secum vt circumferret, vt in eo, dum intumescit & feruet iracundia, è faciei immutationibus & fœditate fœdas mentis suæ conuulsiones agitationesque perspiciat.

3. Mox vt Pallas sui tibias inflantis in speculo difformitatem & distortionem conspexit, eas ilicò abiecit. sic quomodo suum iracundus vitiũ, ac morbũ, oris sui turpitudine in speculo cõsiderata, corrigeret?

4. Alterum remedium, aliqua est temporis mora & interuallum. hoc consilium Cæsari Augusto datũ fuit ab Athenodoro, suadente, vt iratus antè viginti quatuor Alphabeti litteras secum tacitus percurreret, quàm ad vlciscendum prorumperet; estque reuera remedium saluberrimum. Plutarc. Apopht. Fulgos. l. 7. c. 2.

------ne frena animo committe calenti,
Da spatium, tenuemq; moram, mala cũcta ministrat Stat. 8. Thebaid.
Impetus.

5. Si basiliscum prior intuitus fuerit homo, ipsum

enecat; vti, si prior ipse conspectus fuerit, perit: si spatium habeamus & tempus iræ considerandæ, eā haud difficilè coërcebimus; at si lupus hic prior nos intuitus fuerit, raucedinem nobis causabitur.

6. Tertium amuletum nonnisi sapientibus proprium est; patientia scilicet ac tolerantia: sic rupes omnia in se coniecta vibrataque nihil moratur tela adictus omnes impenetrabilis.

7. Sic leo animalcula minora circum se ludentia negligit, & ne respicere quidem dignatur.

Plin. *Aristot.* 8. Sic Olympus mons tempestatibus non concutitur, à temporis cœlique iniurijs omnibus immunis est, nec ab impressione vlla metheorologica exagitatur.

Quartum erit, nihil respōdere irato: qui enim verbis irato obluctatur, cum Mœnade & Bacchante cōcertat.

9. Vasa liquore plena pulsata nullum sonum edunt; sed vacua resonant. Sapiens læsus vel iniurijs lacessitus minimè respondet, sua hoc indignum generositate æstimans; sed inanes & ventosi, ceu Echo, pro verbo vno reddunt plurima.

Prou. 26. 10. Si *respondere stulto* volueris, *ne* fortè *sibi*, si nihil replices, *sapiens esse videatur*, id magnâ benignitate fiat & charitate; quæ virtutes iræ & rancori

Prou. 15. aduersantur. Nostis enim *responsione molli iram frangi*, non secùs ac balistarum globi terreis cæspitibus diffringuntur & eliduntur.

11. Mollis bombardarum globis resistit aqua, qui hanc violenter perrumpere nequeunt.

12. Arundo vento non cedit, dum cedit & inflectitur: proceræ verò vastęque arbores, quod non cedāt, prosternuntur & eradicantur.

13. Denique aqua leniter stillans cauat lapidem, & lene verbum omnē emollit amaritudinem; quod pro quinto remedio dictum esto.

14. Sextò iram viceris, si te deflexeris & diuerteris. sic ensis ictus infringuntur, cùm aut corpus subducitur,

citur, aut mucro impetentis diuertitur. sic nautæ fluctuum impetum ac vim elidunt, dũ obliquando per aquam feruntur: neque enim semper prora sulcare fluctus potest.

16. Septimum ac postremũ remedium erit exẽplũ Redemptoris Iesu intueri, qui *mitis & humilis corde* cùm esset, *sicut agnus* ad lanienam ductus est, *non aperiens os suum*, & insigni cum patientia omnigenas iniurias, opprobria & contumelias pertulit. *Matt. 11.* *Isa. 53.*

17. Huic perfecto nos exemplari conformare debemus, fratres, & *facere secundùm exemplar, quod* nobis *in monte* Caluariæ *monstratum est.* *Exod. 25.*

18. Agnus iram mitigat elephanti; sic *Agni* illius iã inde *à mundi origine* pro mundi peccatis *occisi* conspectus omnem iram nostram malam cicuret. *Apoc. 13.*

Intellexistis itaque, dilectissimi, 1. quid sit ira in generali, 2. eam esse bonam, 3. quæ illius indicia, 4. quænam sit mala, 5. denique eiusdem curandæ media. Dominus noster Iesus Christus sit cum omnibus vobis.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE:

De Iudicio temerario.

HOMILIA XXIV.

Nolite iudicare secundùm faciem. Ioan. 7.

QVAE de nocte lucent in pratis scintillæ, sui sequaces in præcipitia ac voragines conducũt: sic qui proprij iudicij sui temeritatem sequũtur, triste subeunt exitium & infortunium. *Est via, quæ videtur homini iusta, sed nouissima eius ducunt ad mortem.* Hoc in Pharisæis vitium Redemptor præsenti *Prou. 14.*

ſenti in Euangelio reprehendit, quibus ſimul hoc
Ioan. 7. præceptum prælegit: *Nolite iudicare ſecundùm faciẽ, ſed rectum iudicium iudicate.* Horum occaſione de iudicio temerario nonnulla loquemur, agentes 1. de actiuo iudicio, 2. eiuſque remedijs, 3. de paſſiuo, 4. eius aliquot ſanandi rationes ſuggeremus.

I. 1. Temerè iudicare, cariſſimi, eſt id, quod dubium & incertum eſt, velut certum & indubitatum aſſerere.

2. Hoc porrò iudicium communiter in actiuum ac paſſiuum diſtinguitur. Illud eſt, cùm temerè de alienis vel operibus vel intentionibus iudicamus: hoc verò, cùm alius quislibet de noſtris ſine iudicio & ratione dijudicat. Primò de primo, deinde de alio loquamur, & contagioſis hiſce morbis cataplaſmata applicemus.

3. Cùm temerè ac ſine fundamento proximũ cẽſuramus, an nõ præſumptione quadã gigantea iudicis Dei partes inuadimus?

4. An non intolerabilis quædam & diabolica ſuperbia eſt, diuinam quamdam ſibi arrogare noti-
Iſa. 14. tiam, & *ſimilem eſſe* velle *Altiſsimo*?

5. Nonne læſæ maieſtatis crimen eſt, ſuprema cuiuſdam iura velle inuadere? quod verò ſcelus conſciſcunt temerarij illi cenſores, dum manus injciũt in ea, quæ Deo ſoli reſeruata ſunt?

Matt. 26 6. Videte proditores illos Iudas, dum in diuinitatis parop ſidem ſuas impudenter extendere manus non verentur.

Ouid. Metam. lib. 8. 2. Gen. 3. 7. Numquam Icari, Phaëthontes & Promethei tantum ſua nocuêre vanitate, quantum hi veritate.

8. Vos ô Euæ ſeductæ, ô Adami excæcati, è vetiti ſcientiæ boni & mali fructu guſtatis: niſi vobis caueatis, carò vobis hæc buccella conſtabit, atque in ſexcentas vos calamitates inuoluet.

9. Non

9. Non tot equus durateus Græcorum, nec equus Seiani malorum & infortuniorum fuêre causa, quot iurgiorum & litium seminarium est iudicium temerarium. *AEnei. 2* *Tacitus.*

10. Vos estis, ô censores, mihi credite, stolidi illi Momi, qui importunis reprehensionibus vestris cœlo vos terræque exosos redditis. omnes enim vos, vt letifera contagione correptos fugiunt.

11. Atque vt basiliscos, quorum maleominati oculi hominum etiam optimorum sanctissimorumque famam perimunt & euertunt.

12. Vos, ô virulenti aranei fragrantissimas rosas in virus conuertitis.

13. Scarabæi, nonnisi stercora & cœnum consectantes.

14. Lusci, videntes omnia obliquè; cordis porrò vestri duplicitate fit, vt omnia duplicia videatis.

15. Icterici & aurugine laborantes, qui quæcumque cernitis, vt flaua & aurea videtis, idque ob flauam bilem & auruginosum liuorem, qui in vobis prædominatur.

16. Ophiusæ succum obbibistis, cùm omnia vobis videantur longè alia, quàm reuera sint. quàm tetrica eiusmodi est natura, & in ciuili conuersatione quàm molesta & intolerabilis!

17. Quod trans fallax intermedium videtur, semper secùs quàm est, apparet. testis baculus rectus, qui in aqua incuruus apparet inspicienti.

18. Nisi amussis & perpendiculum rectum sit, quidquid operis ad ipsum collineabis, distortum & difforme futurum est. Temerarij iudicis cerebrum quadam vertigine laborat, qua fit, vt omnia in deteriorē partem accipiat, suspicionibus agitetur, & sinistrē quælibet interpretetur.

19. Qui veritatem illi aperit, aquam lympidam in cœnosum infundit puteum. hæc quippe veritatis decla-

declaratio nonnnisi cœnum commouet, & malitiam excitat.

2.Reg. 10 20. Ammonitarum rex Hanon missos à Dauide ad sese nuntios, qui conceptum è patris Naaz morte mœrorem verbis ad solandum accommodatis lenirent, vt exploratores excipiens, insigni eos affecit contumelia & ignominia, quæ extremam tantùm nó illi perniciem attulit. Hoc est scilicet temerè iudicare, & sinistrè intentiones alienas interpretari.

21. Malignam hanc animæ scabiem fugiamus, fratres, quæ titillantem quamdam depastionem excitat; quæ deindè dolorem intolerabilem causatur, ac maximè nocet.

22. Quod perinde est ac tribulos & castaneas siluestres comedere, qui in stomacho intolerabilia quædã tormina, & acres ventositates progignunt.

II. 1. Mali huius remedia sunt primò, eminens & ardens quædam *charitas*, quæ *benigna est, patiens est, nõ*

1.Cor. 13. *æmulatur*, & oculos habet columbinos.

2. Ipsa ignis quidam sacer est, qui opera quælibet aliorum suam in puritatem conuertit, ipsorumque tollit rubiginem, maleolentiam & contagium.

3. Apis est, quæ ex herbis amarissimis mellis sui & suauis & roscidi dulcorem elicit.

Matt. 7. 4. Secundum amuletum est quædam ad seipsum introuersio. si enim nos ipsos *iudicemus*, ab alijs ipsi *nõ iudicabimur*, nedũ alios ipsi iudicabimus. sed videte, vt secùs potiùs fiat; quot videre sit, qui aliorũ acuti censores (quod vetitum est) sui ipsorum pulsum nũquam pertentant (quod licitum.)

5. Propriæ conscientiæ fœditas hanc ipsis ad se introuersionem exosam reddit: in quo adulterantib⁹ persimiles sunt, qui idcirco alienas consectantur, quod propriæ vxores domi displiceant.

6. Lamiæ sunt, qui se introrsum non intuentes, semper exteriores aliorum mores & gestus carpunt.

7. Testudo sub sua cochlea securè delitescit, at vbi exerere caput cœperit, discrimini seipsam exponit.

manea-

maneamus apud nos ipsos, neve nos in aliorum gesta operaque effundamus. *Prou.* 11.

8. Tertium antidotum erit, *trutina* non mendaci ac *dolosa*, sed sincera sceleris huius adeò insolẽtis grauitatem põderare: *qui enim*, teste S. Iacobo, *Iacob.* 4.
iudicat fratrem suum, legem iudicat, & detrahit legi. Videte, ad quem non arrogantiæ apicem temerariũ hocce iudicium hominem extollat?

9. Qui temerè imprudẽterq; proximũ iudicat, in primũ charitatis præceptũ grauissimè offendit, *alteri faciens, quod* sibi *ab alio fieri nollet. Potissima hominum pars*, ait Augustinus, *ad alios temerè & leuiter dijudicandos procliuis est: quod manifesta quædam iniustitia est, dum ipse iudex sis, antequam in rem prudenter matureq; inquiras.* *Matt.* 7.

10. Quanta Senatoris illius foret ineptia, qui causas dijudicaret iuxta assuta sacco, quo causæ momẽta & argumẽta asseruantur, deforis epigrãmata? Quàm multi extimam rei speciem dumtaxat contẽplati, sententiam ilicò ferunt, qua aliorum honorem violant?

11. Si quis speciem exteriorem malam ac sceleratam præferat; statim eum vt furem aut veneficum suspicitis, ecquæ leuitas!

12. Quarto loco considerate exempla illorum, qui
cùm temerè de alijs censuissent, repentè suæ etiam *Num.* 12
pœnas temeritatis dederunt. Maria soror Mosis, quòd temerè ac sinistrè de fratre suo ob acceptam Æthiopissam vxorem iudicasset, lepra percussa fuit.

13. Heli Pontifex, quòd Annam Prophetidem vt
ebriam & mente captam existimasset, fractis cerui- 1. *Reg.* 1.
cibus è sella retrorsum prolapsus interijt. 1. *Reg.* 4.

14. Michol Dauidem coniugem, quòd coram arca 2. *Reg.* 6.
Domini exultans tripudiasset, vt stolidum irrisit. Hanc ob causam perpetuæ sterilitatis pœnas, quæ in lege veteri maxima mulierum erat maledictio, dedit.

15. *Ponamus* igitur fratres *custodiam* ori nostro, & *Psal.* 140

oſtium circumſtantiæ labÿs noſtris, ac caueamus, ne velut equi infrenes in temerariorum horum incertorumq; iudiciorũ pręcipitia procliues abripiamur.

III. 1. Si verò (vt ad paſſiuum veniamus iudiciũ) ſiniſtrè ac temerè noſtro à proximo videam⁹ dijudicari mores, magis illi è miſericordia compatiamur, quã idcirco ei ſuccenſeamus, ſcientes quàm ſit humani

Prou. 11. iudicij *bilanx* mendax & *doloſa*.

2. Nemo eas magni facit iniurias, vel vlciſcendas putat, quas inſanus quiſpiá aut phreneticus irrogat; quin potiùs eidẽ compatimur. Is, eheu! frater, qui temerarium quoddam de nobis fert iudicium, febriẽti eſt cerebro, palatum habet inſipidum & guſtus expers: cui proinde actiones noſtræ, tametſi optimæ, deſipiunt ac diſplicent.

3. Quis innocens non omnem libenter ferat calumniam, vbi illas in mentem reuocarit iniurias & opprobria, quæ Redẽptor Ieſus tam indignis pertulit modis? Vnde benè Chryſoſtomus, *Contumeliam*

Hom. 39 in Act. Apoſt. *pati, Dei proprium eſt; alios verò calũniari, diabolicũ*, διάβολος enim aliud non eſt quàm calumniator. Actiuã igitur fugiamus calumniã, ne huius filij efficiamur, & paſſiuã feram⁹, quò Deo ſimiles reddamur.

Pſal. 139. Horum declinemus conſortium, *qui acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*.

Virgil. *Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem*
Preſſit.

4. Linguæ bifidæ, quæ famam lædunt vnius, dum aurem intoxicant alterius.

5. *Venenum aſpidum ſub linguis eorum*. quarum mor-

Pſal. 13. ſus maligna quadam depaſtione & gangręna venenũ ſuffundunt.

6. Scorpio in puluerem comminutus ſui ipſius morſui antidotum eſt, vti & cantharis; ſic ſimilium contumeliarum temerariarum contemptus optimũ eſt aduerſus malũ, quod irrogare intẽdunt, remediũ.

7. Notemus quoque, ranas, maledicorum figuram, inter quos temerarij iudices omnium ſunt moleſtiſſimi

mi & importunissimi, vnam mysticæ AEgypti mundi huius plagarum esse. Exod. 8.

8. Fœda hęc animalia nõnisi nocte coaxāt, vel in cœno, vel dum tempus pluuium est; sole verò lucente tacent. veritas quippe has imposturas detegit.

9. Hi velut candelam suis emungentes digitis, proborum magis magisque relucere faciunt famam, seipsos verò fœtore, sordibus & confusione cõmaculāt.

10. Gallinæ quoque sunt, quæ sparsum in corte granum relinquunt, vt è fimario vermes vnguibus educant.

11. 12. Porci quoque, qui amœnos virtutum hortos repudiant, vt in fœtidis vitiorum cloacis voluten-tur, & se inquinent, adeoque omnes sibi esse credunt similes. *Porci*, inquit Bonauentura, *eò feruntur rictu, vbi figunt pedem; sic temerè iudicantes eò linguam dirigunt, quò primùm nasum intulere. Vti canes lanionum, quibus rostrum semper sanguine madet. Sepulcrum patens est guttur eorum linguis suis dolosè agebant.* In dicta Sal. c. 19. Psal. 13.

13. Hos itaque saccos carbonarios negligamus, semper tangentem īnficiētes. De quodam sibi detrahente aiebat Socrates, *Non assueuit hic bene loqui.*

IV.

1. Ecce, nihil minus cogitantes ad ipsa, dum de malo tractamus, media dilapsi sumus: quorum primum scilicet est, ipsius contemptus.

2. Cui secundo loco, vt monstrum hoc oppugnemus, addemus *gloriā testimonij conscientiæ nostræ. Etsi cōsistant aduersum nos castra, modò Deus pro nobis*, quid nostra interest? quid metuim⁹? *si fractus illaberetur orbis, impauidos ferirent ruinæ.* 2. Cor. 1. Psal. 26. Horat. l. 3. Odar.

3. *Mihi pro minimo est*, aiebat Apostolus, *vt ab humano die iudicer: qui autem iudicat me, Dominus est*, qui me nouit intus & in cute, qui nouit *abscondita tenebrarum* mearum, & *manifestat consilia cordis mei.* 1. Cor. 4. 1. Cor. 4.

----- Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Horat. l. 1. epist. 1.

Tertio loco numero nos consolemur eorum, qui eodem quo nos modo vexati & lacessiti sunt. Nullo

quippe non tempore iniquitas ac malignitas virtutẽ oppugnauit.

Gen. 4. 4. Videte, quàm temerè Cain de Abelis censuerit innocentia?

Gen. 27. 5. Quot sinistra Esau de Iacobo fratre suo iudicia formauerit?

Gen. 37. 6. Quot sinistras interpretationes fratres Iosephi de somnijs eiusdem procuderint?

1. Reg. 19. 7. An non prauè Saul omnia Dauidis opera, tametsi iusta, humilia, & amari digna, accipiebat?

Esth. 3. 8. Quàm malignam in partem Mardochæi sinceritatem accepit Aman Persa?

9. Quàm iniquè Hebræi de sanctissimis quibusque Prophetis iudicarunt?

Matt. 3. Marc. 1. 10. Quàm iniquam etiam de Ioanne Baptista, Messiæ præcursore, opinionem eidem conceperunt!

Matt. 11. 11. Ipse etiam mundi seruator Christus quot iudi-
Ioan. 7. ciorum opinionumque fuit iaculis impetitus? an nõ *arundini ventis agitatæ* fuisse persimilis videtur? modò quippe eum videas exaltatum, dum dicitur, *nũquam sic*, vt ipse, *homo locutus*, dum ab omnibus suspicitur, honore afficitur, & colitur; dum etiam in regẽ à suis eligitur. audite etiam honorifica illa laudũ præconia, & illustria osanna: modò verò incantatorem eum vocant, seductorem populi, agyrtam, pseu-
Ioan. 12. doprophetam, & *in principe dæmoniorum Beelzebub*
Matt. 12 *eijcere dæmonia* perhibetur: denique illi etiam occla-
Matt. 26 matur, *Tolle, crucifige*, quid demum non?
Ioan. 18. *O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!*

Nos autem discipuli supra magistrum nostrum eri-
Matt. 10. mus? *si patremfamilias Beelzebub vocauerunt* quid nõ famulis facient?

12. Quarto loco consideremus innoxios iniustè circumuentos. Exemplo sunt Susanna & Naboth.

Dan. 13. 3. Reg. 21. 13. Abbas Daniel, vt in Vitis Patrum legere est, adulterij iniquè insimulatus suam prodigio testatus est innocentiam, dum infantem lactentem loqui facit.

14. Idem

14. Idem propemodum de S. Brixio Turonensi Episcopo legimus. *Apud Surium.*

15. Nemini non notissimæ sunt imposturæ ac versutiæ, quibus Magni Athanasij impugnata fuit innocentia.

16. Vt quintum & vltimum antidotum fugiamus, amici, opera tenebrarum, & quæcumque suspicionẽ mouere nata, atque *induamur arma lucis, abijcientes opera tenebrosa.* *Rom. 13.*

17. Suam Cæsar vxorem non modò omni vacare volebat culpa & crimine, sed & minima criminis suspicione. Suspecta namque actio tametsi famam non destruat, eam tamen nonnihil denigrat. *Sueton. Casar. c. 7.*

18. Lysander dum in militem animaduerteret, qui nocte clanculum castris sese subduxerat, ac se ille negaret ad prædandum egressum; *Nolo*, inquit, *à te aliquam rei huius vel suspicionem dari.*

Hæc sunt itaque auditores, 1. iudicium temerariũ actiuum, 2. eius remedia, 3. iudicium passiuum, 4. etiã huius antidota.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE.

De cognitione Dei.

HOMILIA XXV.

Vidit Iesus hominem cæcum à natiuitate. Ioan. 9.

ROGAT Deum Moses, faciem ipsius sibi videre vt liceret; responsum illi fuit, *Non videbit me homo & viuet, sed videbis posteriora mea:* id est, in operibus me meis intueberis. Cæcus ab vtero præsenti in Euangelio, oculos sibi à Redemptore restitui flagitat; quos mirabili quodam recuperãs modo suis Deum in operibus cognoscit, Iesumque adorans *Exod. 33.*

rans illius diuinitatē è cognita humanitate agnoſcit. Hinc occaſione ipſi ſumpta de Deo ex *operibus manuum* ſuaruri, id eſt, creaturis, cognoſcendo agemus, declaratum cognitionem hanc 1. manifeſtam, 2. neceſſariam, 3. vtilem, 4. iucundam, 5. excellentem eſſe. Rem videamus.

I. 1. Adulterio Lycurgus Lacedæmone legem non condidit, quòd nullus ea in vrbe adulteraretur: ſic nullam in atheos legem in ſacro legum Codice latam legimus, non modò quòd rari ij ſint, verùm etiã fortaſſe nulli, ob irrefragabiles illos inſtinctus & motus, quos ad numen aliquod concipiendum omnibus natura nobis indidit.

2. Si qua verò huiuſmodi exſtiterint monſtra, *Rom.* 1. hos Apoſtolus futuros ait *inexcuſabiles*, quòd qui eorum eſt ſtupor, in tot admirandis operibus opificem & conditorem non agnoſcant. Deus ſiquidem vbique *Virgil. Eclog.* 3. *Act.* 17. eſt, etiam in ijs, qui ita ſunt cæci, eum vt negent. *Iouis omnia plena; in ipſo viuimus, ſumus, & mouemur*, in quo, per quem, & propter quem ſunt omnia,

3. Creaturæ & totius orbis fabrica patulum quoddam *Gen.* 28. *Plin. l.* 77. *c.* 10. theatrum eſt, in quo inuiſibili quadam ratione ſeſe Deus videndum exhibet; atque ipſe ſenſibilis mundi aſpectus myſtica Iacobi ſcala eſt, per quam ad Dominum eidem innixum aſcenditur.

4. 5. E linea quadam tenui ac ferè imperceptibili, quam Protogenis lineæ ſuperduxit, ſe cognoſcendũ illi Apelles dedit: Ipſe etiam Phidias ſcitè indelebiliterque ſuum Mineruæ clypeo nomẽ inſculpſit: ſic & *Plin l.* 36 *c.* 5. *Val l.* 8. *c.* 14. *Ariſt. de mundo c.* 6. ſuis Deus in operibus feciſſe comperitur, dum quẽdam diuinitatis ſuæ characterem ijſdem imprimit, ſed ita ſubtilem, vt nonniſi à perſpicaciſſimis perſpici oculis, atque in fidei doctrina verſatiſſimis agnoſci queat mentibus.

6. Si Herculei corporis ſtatura è certa veſtigij *Cic* 1 *Tuſcul. & 2. de Orat.* eius dimenſione erui potuit, pedem è greſſu, & corpus è pede dimetiendo: qualis quamque immenſus magnæ

magnæ illius & admirabilis molis, quam mundum
appellamus, conditor sit necesse est? & quis Dei in ea
non quodammodo superseminata, & vndiquaque
impressa agnoscat vestigia?

7. Creaturæ quippe, totidem quodammodo sunt
imagines duplices, & quasi Iani vultus: quarum fa-
cies vna corporis oculo ipsam creaturæ naturam, &
mentis oculo immensam creatoris potentiam mani-
festat.

8. Omnia ipsum opera, quæ fecit, intuentur, adque
ipsum velut ad centrum lineæ referuntur, ad truncũ
rami, ad solem radij, ad corpus membra, ad fontem
suum riuuli.

9. In omnibus, referente Plinio, videbatur Anti- *Ioan. 5.*
pheron. & Deus cùm sine quiete vlla (*semper quippe
operatur*) à laboribus suis non laboriosis in prima re-
rum creatione requieuisset, & ad opera sua oculos *Gen. 1.*
reflexisset, *vidit cuncta quæ fecerat & erãt valde bona*,
idq; tũ participatione bonitatis suæ, quam per eadẽ
diffuderat, dispensarat & communicarat; tum verò
ꝙ suam in ipsis videret imaginẽ. Cœcutire eum igi-
tur oportet, & quidem turpiter, qui ipsum in cun-
ctis quæ condidit Deum non agnoscit.

II.

1. Necessarium ad hæc est, ipsum nosse: nam vti *sine
fide*, quâ Dei notitia, quam naturale lumen nobis sug- *Heb. 11.*
gerit, perficitur, *impossibile est placere Deo*, ita &
ipsum amare, quod cognitionem ipsam præsuppo-
nit, ceterùm sine fide & charitate nulla haberi salus
potest.

2. Etsi verò difficilis hæc cognitio foret atque ar-
dua, eam tamen acquirere enitamur oportet, si non *Exod. 33.*
facie ad faciem, (quod alteri vitæ reseruatum est) *1. Cor. 13.*
saltem *per speculum & in ænigmate*. In corde sublimi
nos sustollamus necesse est, & magno, humili tamẽ
animo ad hanc Dei cognitionem aspirandum.

3. Qui enim profundè nimis hanc *maiesta-* *Prov. 25.*
tem scrutatur, opprimetur à gloria: atqui piè *Psal. 8.*

Pſal. 8. ardenterque eam inueſtigat, gloria coronabitur, & *ſuper opera manuum* ipſius *conſtituetur.*

Heb. 11. 4. *Credere oportet accedentem ad Deum, perq; fe-*
Cant. 2. *neſtras & cancellos* eum *conſpicere*, qui ſponſam in cāticis accendunt & ardere faciunt.

5. Fulgidus hic ſol interdum trans ſpiſſam operum ſuorum nubem tranſparet, quò ſe pijs ſanctiſque animabus per inſpirationum ſuarum, nec non viſionum aliquando radios manifeſtiùs retegat: ſicut in tot vtriuſque ſexus ſanctorum vitis legere eſt, quos familiariori quodam modo Redemptor Ieſus viſitauit & compellauit. Sed ſunt hæc dona gratuita admiranda potiùs, quàm optanda: & hæc qui poſtularit, niſi ad ſummam perfectionē peruenerit, temerarius fuerit
Cant. 1. & arrogans.

6. Sufficiat nobis dilectum hunc ſponſum in *ta-*
Cant. 4. *bernaculis Cedar*, in *pellibus Salomonis*, & in *fragminibus malorum punicorum*, id eſt, in operibus manuum ipſius, in quibus obſcurè & ænigmaticè ſeſe manife-
Pſal. 79. ſtat, contemplari, quoad venerit tempus, quo *oſtēdat*
III. *faciem* ſuam, *& ſalui erimus.*

1. Ex hac creaturarum contemplatione ingentem haurire vtilitatem poſſumus, dum ipſarum adminiculo ad magni ipſarum conditoris contemplationem
Pſal. 91. admirationemque viciſſim excitamur. *Quàm mirabilia opera tua, Domine! quā profundæ cogitationes tuæ! vir inſipiens non cognoſcet & ſtultus non intelliget hæc. In operibus tuis exulto Domine, & in operibus manuum tuarum te glorifico.*

2. Diuinitas pellucidum quoddam vitium eſt, ſed inuiſibile; cui ſi creaturarum hydrargyrum addideritis, quot, dilectiſſimi, hocce in ſpeculo mirabilia contemplabimini! quàm ipſum ad omnium cognitionem acquirendam conducet, cùm magnum illum Deum, qui eſt Omne, ſpectandum vobis det.

Pſal. 18. 3. Audite *cœlorum* harmoniam, qui *gloriam* condi-
toris

toris *Dei enarrant*, quique vnanimi voce clamant, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Psal 99. Dies simul & nox, veluti cõduplex quidam chorus alternando voces, illius congrua quadam symphonia laudes decantant. An igitur anima nostra, quæ interius *regnum cœlorum* est, hanc harmoniam non imitabitur?

4. Hæc scilicet sacra illa Philosophia est, quam è cœlo in animum suum Socrates attraxit, quæ eum tantum virtutis ac sapientiæ moraliter sectatorem reddidit.

5. Mihi credite, carissimi, non modò ipsum è nobis Psal. 138. ipsis Deum cognoscimus (*mirabilis facta est scientia tua ex me;*) verùm etiam longè faciliùs ad nostri ipsorum notitiam è Dei cognitione pertingimus. August. *Nouerim te, nouerim me.*

6. Ipsa quippe ceu horologij pondus est, quod directè & normiter interiorum nostrorum rotas & orbes progredi facit.

7. Quando Dei in nobis notitiam coangustamus, perinde facimus, ac si è monte Atho Alexandrum efformare vellemus; sicut, dum exiguus quidam oculus ingentem conspicit montem.

IV.

1. Verùm quàm insuper exercitium hoc delectabile est & iucundum, cùm Anaxagoras inter veteres Philosophos non postremus ad aliud se etiam natum, quàm ad cælos solemque contemplandum, id est, ad Creatoris pulchritudinem è duobus illis pulcherrimis totius vniuersi membris agnoscendam negaret!

2. Et sanctiori quadam ratione D. Antonius, eremi Athanas. in vita. decus, Philosopho cuidam sciolo respondit petenti obstupescentique, quomodo solus sine vllo librorum apparatu aut lectione agere posset. Cui vir sanctus, Habeo, inquit, omnium & præstantissimum & maximum librum ab incomparabili quodam auctore concinnatum, & eum duarum tantùm paginarum; sed earum adeò capacium, vt tametsi centum haberem hominum vitas continuas, eę ipsis euoluendis

non sufficerent, cælum scilicet ac terram, & quidquid ijsdem continetur. Quotidianum nempe eius studium erat, suis Creatorem in creatis singulis admirari & laudare.

3. Hinc, vt bene Ouidius obseruat, Deus,

1. Meta-morph.

Prona cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri iußit.

& de homine ait Seneca, *Sursum vocant illũ initia sua.*

Psal. 18.

4. Homo igitur aquila est, qui ipsum in sole solem debet intueri. *In sole* enim Deus *posuit tabernaculum suum*, & inde *procedit velut sponsus de thalamo.*

5. Ipse Paradisiaca quædam est auis; hinc continenter per aëra volitare, cælum inter ac terram suspensus, ac nonnisi rore cælico, & supremi vtriusque domicilij conditoris notitia viuere debet.

6. Si semel cordibus nostris sanctum hunc Dei amorē insereremus, in vniuersis operibus eius nomen illius insculptum legeremus, nosque vicissim omnibus sacrum & dulce Iesu nomen inscriberemus & incideremus.

7. Ad imitationem scilicet stolidorum sæculi huius amasiorum, qui quocumque locorum veniunt, fatuarum illarum creatarumque, quas adeò impotenter ardent & depereunt, pulchritudinum nomina describunt.

Eclog. 5.

Hæc sunt, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi.

Rursus,

Eclog. 1.

------Ipsæ te Tityre pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.
- --- Te nostræ care myricæ,
Te nemus omne canit:

Cantant Pastores illi rurales apud Maronem, non vsque eò tamen agrestes.

8. Si Deum bene diligeremus, ipsum in omnium & quorumlibet pingeremus & sculperemus cordibus; atque hæ nostræ forent deliciæ. Si verò tenellis paruulo-

uulorum mentibus hunc insculperemus, quàm hæc documenta vnà cum ætate excrescerent, non secùs ac characteres cucurbitæ incisi! Si autem senilibus, haud dubiè illæ has ad mortem vsque incisiones conseruarent. Si denique marmoreis, etiam diutiùs hæ in illis notæ perstarent. Quænam igitur deliciæ, ac quàm volupe, suum in omnibus Amorem perspicere!

1. At quænam excellentia est ac dignitas, tam sanctum diuinumque obiectum nosse! V. *Horat. li. 3. od. 2.*

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inq; domos superas scandere cura fuit.
Sic petitur cœlum.

Tam pulchro sanctoque correptum igne cor ad

Cælum negata tentat iter via
Cœtusq; vulgares & vdam
Spernit humum fugiente penna.

2. Si obiectum suum rei cuilibet dat esse, *Deum quodammodo est esse, ipsum diligere.* Amor porrò illius & dilectio eiusdem præsupponit cognitionem; ipseq; causarum omnium prima & originaria est. *August.*

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, luctusq; Acherontis auari.

3. Si Platonis ideæ Philosophiam adeò celebrem reddiderunt, atq; ad tantum dignitatis culmen euexerunt, ad quanto sublimius euehenda culmen notitia illius est, qui idearum ipsarum prototypon est, *qui fecit cælos in intellectu.* *Vide Diuersit.* *Psal. 135.*

4. Nullam vastus hic orbis frondem habet, nullum arenulæ granum, non stellam, nec minimum quidem lapillum, quin totidem sint linguæ, quæ factoris sui præconium nomenque quodammodo deprædicent, &

tot linguæ, totidem ora sonent; 4. *Aeneid.*

quod de fama Poëta magnus cecinit.

5. Quidquid mouet, mouetur, vt machinæ illæ veterum, quas automatas vocabant, idque occultis Spiri-

Spiritus diuini per omnem vniuerſi molem diffuſi motibus.

6. *Aenei.* *Spiritus intus alit, totamq́, infuſa per artus*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

6. Hunc verò ſpiritum & agnoſci & cognoſci, etſi non videatur, mirum non eſt: nam *multa ſunt, quæ comedimus, quæ qualia ſint, ignoramus*, ait Seneca de anima noſtra loquens, quam ſatis, etſi non viſam, percipimus.

7. Quid verò Salomonem adeò ſapientem reddidiſſe exiſtimatis, niſi eximiam illam & inſignem rerum naturalium ſcientiam, qua rerum omnium, *ab hyſſopo, quæ egreditur de pariete, vſque ad Libani cedrum*, naturam perſpectam habuit; cuius deinde ductu ipſe ad ſupernaturalium cognitionem peruenit? *3. Reg. 4.*

Exod. 31. 8. Beſeleel eiuſque collegæ fabri ad tabernaculi arcæque teſtamenti fabricam delecti ſpiritum Domini inhabitantem habuiſſe dicuntur; ſic per rerum creatarum arcana ad magni arcanorum omnium arcam, ipſius inquam Creatoris cognitionem homo pertingit.

9. Si enim tria mundorum genera, Archetypum, inquam, cæleſtem, & elementarem inter ſe conferre volumus (quam in Diuerſitatibus noſtris materiam pluribus perſecuti ſumus) ad oculum patebit, duos illos poſtremos ſub viſum cadentes nonniſi ad primi, qui inuiſibilis eſt, formam normamque efformatos eſſe. Sic etiam Moſi tabernaculi fabricam delineationemque paranti dictum fuit, vt in omnibus *exemplum, quod* illi *in monte monſtratum erat*, ſequeretur. *Li. 7. c. 2.* *Exod. 25.*

10. Militantem verò Eccleſiam in multis cum Triumphanti conuenire notiſſimum eſt ijs, qui illius norunt hierarchiam.

11. Ex hac porrò Dei in rebus omnibus cognitione reliquum eſt, vt eum etiã in omnib. amemus, intueamur, & admiremur: ad imitationem ſcilicet Arellij, qui *Plin. lib. 37. c. 10.*

qui quas pingebat mulieres, ad earum ipsas imaginem exprimebat, quas amabat.

12. Apelles Campaspen expingens, illius amore captus est. Quàm verò rarum & singulare opus foret, si ex attenta creaturarũ consideratione ad ipsum Creatorem amandum amorem nostrum ferremus! O artem verè diuinam! ô sanctum exercitium! ô sacrum elixir! Plin.lib. 35.c.10.

Animo vestro ex hactenus dictis insculpite, auditores, 1. cognitionem Dei claram esse, 2. pernecessariam, 3. perutilem, 4. iucundissimam, 5. excellentem; per eamque vos Deus ad sanctum amorem suum perducat.

FERIA V. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE:

De morte & amore.

HOMILIA XXVI.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

IMPAR mortis est cum amore certamen & lucta: quanta enim inter cranium carne nudatum, cadauer enerue ac putridum, & inter adolescentem adeò vegetum & potentem, vt (quemadmodum vana commenta est antiquitas) reliquos Deorum debellarit, & (vt Christiana docet veritas) Deum deorum è cælo in terram pertraxerit, disparitas est & dissimilitudo? Conflictus huius imaginem in hodierno Euangelio cernere est, in quo vnicus viduę Naimicæ filius à Saluatore ad vitam legitur resuscitatus, vbi ab amore mors expugnata victaque perhibetur, & vbi nos 1. de morte, 2. de amore, 3. demum de vtriusque agemus similitudine. Rem aggredior.

1. Mors

Emblem. 154. & 29. 1. Mors & amor, ambo cæci, vt docet in Emblematis Alciatus, suas inuicem fortè fortuna pharetras commutarunt; quare suâ vterque de propria educere pharetra tela ratus, dum eiaculatur,

En pereunt iuuenes, depereuntq; senes.

Commentum hoc ostendit, *duo hæc dissimillima naturâ, societate quadam nihilominùs inter se iungi*; vt de dolore ac voluptate è veteribus quidam scripsit. quod nos meliùs vberiusque in tertio puncto nostro disquiremus.

2. 3. In hoc igitur primo illud dumtaxat dico, mortem *transelementationem* quamdam esse, vt amor est *transanimatio*. Hanc ob rem dicere coactus est Plato, eum qui mutuo reciprocoque in amicum, à quo diligitur, amore non fertur, ipsum quodammodo enecare, dum animam illi aufert, nec in ablatæ locum suam reinserit.

Cant. 8. 4. *Fortis est*, inquit sacer ille sponsus, *vt mors dilectio* & amor; dicere meo iudicio debuisset, *fortior*, & *æmulatio*, quæ nimius quidam est amor, *dura, sicut*, aut potius, durior, quàm *infernus*.

5. Filiolum suum etiamnum puerum Themistocles omnium esse aiebat Atheniensium fortissimum, quòd hic matri, ipsa sibi, demum ipse Atheniensibus imperaret. Ipsum de amore viduæ huius erga filium suum dicamus: is enim Redemptorem Christum superauit (*misericordia motus*) Christus mortem, & hanc adolescentis animam ab inferis reuocauit. Amor igitur & Deo, & morte, & inferno potentior.

6. Amor excessus quidam est, mors verò decessus. quid dico? an non & amorosa Redemptoris Iesu mors

Luc. 9. à Moyse & Elia in transfiguratione *excessus* dicta nomine est?

Coloss. 3. 7. *Mortui estis*, aiebat Paulus neophytis mortificatis, *& vita vestra abscondita* & sepulta *est cum Christo in Deo*. Ignis amoris symbolum an non materiam omnem in cineres mortis redigit?

8. 9. 10.

8.9.10.11.12. Ipsi etiam veteres parœmiastæ vulgari nomine *mortem*, *Amantium deitatem* appellabant; tum quòd eam frequenter ipsi inuocent, sed inuocatione, quæ cum ardenti ipsorum desiderio non satis quadrat, vti defatigatus ille lignator, de quo in fabulis; tum quòd amor nonnisi morte demum finiatur. Dicebat Comicus,

Amorem sedat tempus; sin minùs, laqueus.

si modò extinguere amorem mors queat, vt cuius ignis etiam sub fauilla emortua & cineribus viuit.

-----amores

Ille meos habeat secum seruetq́; sepulcro, *4. Aenei.*

dicebat amans illa cõiux etiam compare demortuo; tum quòd amor animæ mors sit, vti corporis exitium mors est; tum etiam quòd sine vel cum amore viuere perpetua quædam mors sit. *Putas quòd viuis*, dicebat *Apoc. 3.* Sardensi Episcopo, qui charitate destitutus erat, *spiritus, & mortuus es*; vel denique, quòd qui amat, viuit moriendo, & moritur viuendo.

13. *Mors*, aiebat Plato, & vt, licèt id ille non doceret, norunt omnes, *Animæ & corporis ab inuicem separatio est*, quæ suam nonnisi à vita priore qualitatem mutuatur: nam, vt *mors peccatorum*, quibus charitas & amor deest, *pessima est*, ita *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* *Psal. 33.* *Psal. 115.*

14. Quo loco in Deuteronomio vulgata præfert, *Deut. 34.* Mosem *in terra Moab iubente Domino demortuum* esse, Hebræorum Rabini legunt, *in osculo* vel *inter brachia Domini. Beati* enim *mortui, qui in Domino moriuntur.* *Apoc. 14. 11.*

1. Vt igitur mors corpus terræ in gremio dèponit, sic animam amati pectori infodit amor.

2. Mors quidem ancipiti sua falce animam à corpore dissecat, sed amoris *gladius* longè *penetrabilior, ad* *Hebr. 4.* *vsque ipsam animæ ac spiritus diuisionem pertingit*, corpori animando nonnisi infimam, crassissimam, & brutalissimam animę partem relinquendo, & mentẽ, superiorem inquã illius partẽ, quæ delicatior, subtilior, ac purior, in rẽ amatã trãsferẽdo. Adeò vt amãs

non aliter suo in corpore viuat, quàm sicut in terra communiter mortales viuunt; in amato verò vitâ, qualem in cælo beati agunt, ac spiritus illi puriores; cùm nimirum *anima* eius *magis sit*, iuxta meliorem sui partem, *vbi amat, quàm vbi animat*, vt aiebat Augustinus vir ille in *scientia sanctorum*, in amoris scilicet diuini rebus versatissimus.

3. Mors fluxæ labilisque substantiæ nostræ, quæ nonnisi *figura*, *vmbra*, *imago*, & *transitoria* quædam *vanitas* & materia decidua est, annihilatio est: quid verò aliud amor est, quàm animæ, quæ corpore hoc nostro multò flexibilior & magis fluida est, effluxio & effusio?

4. Mirabilem quidem corporum metamorphosim mors causatur. at si mutationes, inuersiones, & variationes, quas in animis excitat Amor, nostris intueri oculis possemus, longè alias transformationes videremus.

5. Si mors ignis quidam est, qui in cineres omnia redigit & consumit; amor sanè excellentior longè ignis est, qui, ad ignis artificiosi & incendiarij similitudinem, etiam in ea ardet materia, à qua exstingui deberet. Angustiarum, aduersitatum & afflictionum
Cant. 8. *aquæ exstinguere charitatem non possunt.*

6. Ramus quidam caphuraceus ardens est, & velut accensum in naphtha incēdium, ac bitumen ipso sulphure sulphuratius, in quo ignem, quem semel concepit, numquam exstinguas: fortis enim & vehemens amor ne mortis quidem frigore exstinguitur, nec sepulchro includitur, ac ne quidem ferali demortuorum glacie illius ardor mitigatur aut sopitur.

7. Testimonio sit Artemisiæ Mausolæum, cuius amor etiam morte fuit potentior, dum mariti sui cineres admirabili ac stupenda hac mole quodammodo redanimauit.

Horat. *Felices ter & amplius,*
Quos irrupta tenet copula, nec malis

Auulſus querimoniis
Suprema citiùs ſoluit amor die.

8. Non aliter porrò amorem mors videtur exſtinguere, quàm acceptum ſemen terra, vt ſcilicet ipſum centuplicatum poſtea reproducat, ac rediuiuum proferat: nouit nimirum amor, adinſtar Antei, frendente nequidquam morte, nouas vires acquirere, & poſt proſtrationem reſurgere vegetior.

1. Iam ad amoris & mortis, quæ prima ſpecie adeò inter ſe diſcrepare ac diſtare videntur, ſimilitudines veniamus. Mors diſſoluit —— *atque in ventos vita receſſit.* Amor ſoluit, III. Virgil.

Et mihi dulce magis reſoluto viuere collo.

& alius quidam:

Quæ ſe carminibus promittit ſoluere mentes.

2. Mors ad ſuum eſt principium reditus,

Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit, Lucret.
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit antè.

Amor verò vnitio quædam eſt in deſiderij ſui centro. hoc vbi auditis, an non diceretis amorem & mortem gemellos eſſe vno editos partu;

Cedit item retro de terra, quod fuit antè,
In terras; & quod natum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli ſtellantia templa receptant.

3. 4. Videte eos vt conſanguineos & affines in ſacro hoc textu. *Maiorem hac nemo dilectionem habet, quàm vt animam quis ponat pro amicis ſuis.* etſi enim *omnem pro amore ſuam homo daret* ac prodigeret *ſubſtantiam, quaſi nihil eam deſpiciat* oportet. Ioan. 15. Cant. 8.

5. *Eamus & nos, vt cum ipſo moriamur*, aiebat generoſus ille Apoſtolus, cui poſtea, cùm mori data occaſione oportuiſſet, animus defuit. Ioan. 11.

6. Cui armorum amor eſt & belli, illi

----*pulchrum mori ſuccurrit in armis.* Virgil. 9. Aeneid.

Qui verò patriæ ſalutem & incolumitatem amat, dicet,

Dulce & decorum pro patria mori. Horat. li. 3. od. 2.

vt censeas, mox vt aliquis violento amore succenditur, hunc sibi mortem ob oculos ponere.

Ouid 8. 2. Metã. 7.8. Icari, Phaëthontis, & Promethei fabulæ euidenter ostendunt semper cum rerum sublimium amore ac cupiditate mortem coniunctam esse.

Cic. 3. offic. Ouid. 4. de trist 2. de Ponto. Ouid. 10. Metam. 9. Orestes pro Pilade amico suo mori paratus, nec non Orpheus ad inferos descendens Eurydicen vxorem inde reducturus, nec non Thesei eôdem descensus, vt Pyrithoum amicum recuperaret, & Herculis Theseum inde repetentis, clarissimæ quædam sunt imagines, in quibus easdem amor & mors in passionum theatro partes agunt ac repræsentant.

1. Reg. 12. 10. Ionathas mel (amoris id hieroglyphicum est) comedit, & ecce mors illi quamprimum intentatur.

Alciat. Emblem. 111.

---- *Pallas hunc vulnere, Pallas*
Immolat.

Gen. 4. Omni, qui nimio quodam amore peccat, mors *in foribus adest.*

Vide Diuersitat. 11. Qui prodigiosos tonitrui cadentis effectus examinabit, aliquot inter hos & extrauagantes amoris & mortis actiones similitudines, easque aptissimas inuenire poterit. Ossa comminuere illæsa cute, medullam exsugere non effracto osse, argentum liquidum ac fluidum reddere, intacta crumena vel arca, gladium frangere integra vagina, (quod tonitruo perfamiliare) totidem sunt impressionis, quam in anima, corpori tamen exteriùs parcendo, amor efficit, repræsentationes; at vaginam violare & non gladium, arcam succendere & non argentum, pellem non ossa, mortis sunt effecta, quæ suam in corpus, non in animam, quæ ab illius est iurisdictione & potentia immunis, exerit violentiam.

12. Amor quidem animæ ipsi quoddam mortis est genus, sed corpori vita: ipse enim, teste Platone, omnis elegantiæ atque vrbanitatis est pater, & quos occu-

occupauit, excitatos reddit: at mors quidam amor est, quem corpus habet erga terram, sed animæ vita, quæ ab hisce pedicis & vinculis expedita ad ortus sui locum liberiùs euolat.

13. Mors moriens quædam est vita. est enim dierum nostrorum terminus, & vitæ nostræ finis: est item viuens quædam mors, omnes quippe viuentes prosternit, & *sceptra ligonibus æquat*. Idem de amore dicamus. est enim hic vita moriens: quod in hisce sacris testimonijs videri licet: *Anima mea liquefacta est, defecit cor meum & caro mea*. Cant. 5. Psal. 72.
mors etiam quædam viuens est, excitat enim animi deliquia & spasmos. quid etiam aliud est spasmus, quàm quoddam vitæ mortisque interregnum, & crepusculum, quod nec diem dicere, nec noctem potes. fidem facient hæcce loca, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.* Cant. 2. Cant. 5.

14. Mors quidam obitus est, amor verò transitus. Vera ipse Pythagoræ metempsychosis est, ac vnitio quædam, qua ferrum igni, aqua vino, cera vna liquefacta alteri immiscetur, id est, quæ duas animas in vnam coniungit, vti terræ corpora immiscet mors.

15. En & alia amoris ac mortis parallela.

Hæc falcem gestat, gestat at ille facem.
Afficit hic animum, corpus sed conficit illa:
Hic oculos cœcat, cœcat & illa oculos.
Disce hinc humanæ quæ sint consortia vitæ,
Mors sternit tumulum, sternit amor thalamum.

16. Quis credidisset vnquam, duo adeò inter se disparata & dissimilia in idem recidere posse? sed non erit quod miremur, si consideremus in picturarũ vmbris colorem vnum semper in altero terminari, idq;

commiſtione tam ſcita, vt quamuis ſimilia ſint media, extrema tamen maximè inter ſe diſſimilia ſint.

Vſq; adeò quod tangit idem eſt, tamen vltima diſtant.
Sic in amore & morte res ſeſe habet, quæ quamuis in cauſa diſcrepent, in multis tamen effectis inter ſeſe conueniunt.

17. Videte in præſenti Euangelio vt adoleſcentis corpus proſtrauerit mors, & matris cor attriuerit amor. amor etiam & mors coniunctis cum Domino Ieſu Chriſto viribus luctantur; amor quippe hunc è cœlo in terram deuocauit, & morti tradidit; ſed hanc ipſe deinde à cruce ad inferos detulit. vnde de morte victor egreſſus eſt, ſed ab amore victus.

18. Matris huius itaque amor, & filij mors vno eodemque commiſerationis telo benignum benigni huius Domini animum petiuère. morti ergo ipſe imperat, vt cedat, amori, vt ſuccumbat, adoleſcens rediuiuus exſurgit, & vidua (quod de matribus aliquot Romanis legitur) præ gaudio propemodum emoritur. Ita ſcilicet hac in ſcena ſuas quiſque partes mors & amor agunt.

19. Diſcamus hinc inſuper, nulla re nobis dulcem adeò mortem reddi, quàm amore diuino, nullaq; re tantum hunc in nobis amorem accendi, quàm paſſione Redemptoris, qui pro nobis ex amore mortem oppetijt; vnde etiam die craſtina de amoris morte erit dicendi locus & occaſio.

Ex hodierna ſaltem concione diſcite, 1. quid ſit mors, 2. quid amor, 3. quænam ſit harum duarum prima ſpecie adeò diſſimilium ſimilitudo ac conuenientia.

FERIA

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QVADRAGESIMAE:

De morte amoris.

HOMILIA XXVII.

Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Ioan. 11.

GRATA recipientium beneuolentia ad nouum conferendum munus donatorem inuitat. Benigna, quam heri de morte & amore differens in vobis perspexi, plusquam dilectissimi, attẽtio spem mihi facit nouæ hodierna die, qua de morte amoris apud vos loqui cóstitui, inueniendæ. Ascititius & extimus ornatus idem propè erit; sed intimus diuersus: eadem penè erit materia, sed argumentum & subiectum discrepabunt. Audistis enim hodiè in sacro Missæ officio resuscitati Lazari, illustris illius viri, cui Redemptor & amicus, & magister, ac patronus erat, quique ob illius fortè absentiam mœrens præ dolore demortuus erat (quod è sororis ad Redemptorem iam reuersum verbis piè colligi posse videtur, *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*,) historiam recitari. circa quam nos 1. agemus de amore mortis, 2. de morte amoris: & vtrumque membrum tum testimonijs, tum exemplis confirmabimus. Rem auspicemur.

1. *Quis nos separabit*, quærit Apostolus, *à charitate Christi? an persecutio, an gladius, an nuditas an mors?* I. Rom.8. minimè gentium. *certus sum enim, quia* nihil huiusmodi *potest nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Lazari hæc imago sunt mortem cupientis melioris spe vitæ, & præ amore morientis, quòd affectus eius vim atque potentiam ferre haudquaquam posset.

Aristot. 2. 3. 4. Quid? Etsi verò *mors omnium terribilium sit terribilissimum*, nouumne tamen quid & mirum, eam amare & complecti? an non gaudet & cantat viator, vbi ad viæ peruenit terminum? an non operarius ad solis anhelat occasum, qui labori eius finem imponit? stadiodromus nonne exultat, postquã stadij attigit metam? solus homo, miseræ vitæ huius mortalis fruitioni tam perditè adhærescens & affixus, ægerrimè ad illius se fert finem peruenisse, & si fieri posset, eam perpetuam & interminabilem sibi esse vellet.

5. Mors reuera mala non est, at *vnicum vitæ nostræ*, vt Seneca docet, *bonum & solenne æternitatis animæ nostræ natale*: vti illa, qua materno egredimur vtero, dies mortalitatis corporis nostri natalis est.

6. Illa dies est, qua vinculis soluti in libertatem vindicamur, qua tetro mortalitatis carcere egredimur, qua è spiritualis Aegypti captiuitate ac seruitute mysticè asserimur.

7. Cycnus, auis illa candida & pulchra, in funere suo plaudit, suumque sibi viuens concinit epitaphium.

8. Turtur viduatus, cuius cantus nonnisi gemitus est, hoc vnum plangit & queritur, non licere sibi cõparem, quẽ mors abstulit, sequi. Quis vos impediat, animæ piæ, desiderare per cruenta sponsum vestrum vestigia sequi?

9. Veteri Deuotionis lege, cuius mentio apud Plutarchum est, moriente Domino serui omnes etiam mori cogebantur, seseque libenti animo in rogum feralem abijcere. Nos, *si* cum nostro *commorimur*, etiam cum eodem *conuiuemus*; *si compatimur, & corregnabimus*. *Rom.* 8.

10. Si amore illius saucij essemus, quàm nobis mors cara foret; ac tum dicere non immeritò possemus, *Hæret lateri letalis*, vel potius, *vitalis arundo*.

1. Cen-

1. Centum eoque ampliùs in locis (vt ad exempla veniamus) ad hanc dissolutionem adspirat Dauid. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? fuerunt mihi lacrymæ meæ die ac nocte,&c. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est? quamdiu incola erit anima mea? Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad Deum fontem viuum. Educ de custodia animam meam Domine.* II. Psal. 41. Psal. 119. Psal. 41. Psal. 141.

2. Idem ille rex Absalomi filij rebellis, talique indigni patre mortem amariori animo ferens, exclamat, *fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi det, vt ego moriar pro te, fili mi Absalom?* ô amorem mortis! 2. Reg. 19.

3. Tot etiam in locis dissolutioni liberationique ex hisce vitalibus vinculis inhiat Apostolus: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus.* & ad discipulos: *Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Phil. 1. Gal. 2. Phil. 1.

4. Non aliter ad crucem suam adibat Andreas Apostolus, quàm alius quislibet ad iucundissimum conuiuium, & verbis ardentem amorem spirantibus eamdem compellabat.

5. S. Hilarion anachoreta morti iam vicinus sic animam alloquebatur, *Egredere anima mea, merces tibi promissa in propinquo est, noli timere;* Apostolo Paulo succinens, qui post mortem *repositam* sibi *gloriæ coronam* aiebat; nec non Psalmographo, qui mentem suam turbatam hac consolatione serenat, *Spera in Deo, salutari vultus tui, & Deo tuo.* Hieron. in vita. 2. Tim. 4. Psal. 41.

6. Martinus, magnus ille Turonensium Præsul, mortem ceu præmium exoptans; viuere tamen, ceu supplicium promeritum, non recusabat, in diuinæ se dispositionis manus totum resignans.

7. Opuscula contemplatiua S. Augustini plena sunt id genus aspirationibus, votis, & gemitibus.

Inter alia hoc eſt, O *amare, ô ire, ô ſibi perire, ô ad Chriſtum peruenire!* quod alijs ruminandum & dilatandum do.

8. Ad hanc etiam liberationem aſpirabat Bernardus, cùm ſic ad Dominum è cordis intimo conuerſus precatur, *Fac, Domine, vt amoris tui incendio abſorbeatur anima mea, vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

Beata igitur terque quaterque mors, atque optanda foret, quæ à tam ſanćto nobis amore oriretur.

III. 1. Sed quid? anne amore quis emori poteſt? quid ni, cùm & aliæ ſæpè paſſiones mortis ſint cauſa? ſunt enim qui ira, qui gaudio, qui dolore, qui metu, qui deſperatione, qui odio, qui denique deſiderio emoriuntur: quidni ergo etiam amore? atque hic etiam paſſionum noſtrarum regina ac potentiſſima eſt.

2. Lampades quippe, cùm nimio oppletæ ſunt oleo, exſtinguuntur, & plantę plus æquo irrigatæ exareſcunt. quidni igitur & corpora ab exceſſu amoris ſuffocentur? Verumne id ſit, ſciſcitare à pallidis illis ſæculi huius amantibus, quos ſæpè mortalem aliquam creaturam depereuntes & ardentes, hoc amoris violentia modo excruciat: ecquæ igitur ſymptomata & conuulſiones eæ patiantur animæ oportet, quæ ſanćtiori quodam igne inardeſcunt?

4. Muſtum nimis coarćtatum, nec epiſtomio aërem ſubadmittens, dolium diffringit ac profluit.

5. Venti in terræ viſceribus recluſi, neve exitum reperientes, terræ motus cauſantur ac tremores.

6. Torrentes nimijs repleti aquis, aggeres ſuos ac repagula tranſiliunt, ſuoque ſtatim egrediuntur alueo, quò agros inundent.

7. Fornaces plus æquo concluſæ rimas agunt & diffinduntur. Quæ omnia de nimia in corpus hoc noſtrum violentia & exceſſibus amoris etiam dici queunt.

8. Calor

8. Calor materiam quam occupat, resoluit ac fundit; ignis quoque eamdem deuorat, consumit, & in cineres redigit. ingens ergo amoris ignis mortem causari non posset?

9. Flamma illa cœlestis, quæ Gedeonis victimam accendit & consumpsit, diuini amoris figura est corda accendentis, & corpora consumentis. *Iud. 6.*

10. Est ipse quippe oleum illud & vnguen incendiarium, quod Marcellinus ait nonnisi cinere posse exstingui.

11. Ilex in oleæ effossæ scrobe replantata exarescere fertur: vnde efficio, cordis duritiem in blandæ mansuetudinis dulcore emori.

12. An non etiam amoris currum à leonibus trahi finxêre veteres fabulatores, vt omnem ab eo edomari ferociam ac barbariem ostenderent?

13. Sol granum semenque in terra mori & putrescere facit, ipsum vt deinde renascatur: sic diuini amoris mors aliò non spectat, quàm vt per eamdem ad vitã meliorem resurgamus.

14. Ad solis exortum manna in terra iacens liquescebat, quod egregia quædam est mortis huius amoris, quam describimus, similitudo. *Num. 11.*

15. Tunc deliquium pati consueuit Luna, cùm Soli coniungitur: mirabimurne igitur, animas aliquot illustres ad sublimem quemdam vnionis cũ Deo gradum euectas exspirasse, quarum pòst paulò exempla plurima producemus?

16. 17. Dicuntur malefici & incantatores cereas quasdam parare icunculas, venefico quodam carmine incantatas, quibus enecare perhibentur eos, quos iactis ad id destinarunt sortibus, eos inauditis quibusdam torquentes & perimentes modis. Titio, quo Meleager tostus, cuius apud Poëtas mentio, an non egregiè rem hanc illustraret? vnde efficio, amoris impressionem etiam longè deteriorem & mortaliorem esse. *Ouid. Meta. 8.*

18. Palmæ arbores, vt docet Plinius, inter se amant, &

& mors vnius alterius mox est exarefactio.

19. *Purpureus veluti cùm flos succisus aratro,*
Languescit moriens, lassove papauera collo
Demisere caput, pluuia cùm fortè grauantur.

ÆEnei. 9 Descriptio hæc mortis est amantis Euryali apud principem Poëtarum.

Iam inscius in exemplis versor, quorum seruato ordine, primò è natura petita, deinde profana, demũ sacra depromam.

IV.

Claudia. 1. Phœnix, cuius renouatio nemini non exploratissima est, excellens est mortis huius amoris figura: amat.n. moriẽdo, & sibi *thalamum construit in tumulo.*

2. Imago item est pelicanus, cui amor morté adfert.

3. Non hic adduco canũ amantium exempla sæpe in dominorum tumulis præ dolore exspirantiũ: quæ exempla ipsis etiam sæpè oculis cernimus, vt taceã huiusmodi etiam in historijs plurima referri.

Lib. 10. c. 5. 4. Et aquila illa apud Plinium, quæ in pyram feralem, qua filiæ, à qua enutrita erat, cadauer cremabatur, sese viuam deiecit, viua est mortalis furoris quo furit amor imago.

5. Si qua Poëtis habenda est fides, & eorum figmẽta aliquo habenda loco, cùm fabularum suarum sub inuolucris maxima occultæ philosophiæ secreta eruerunt, quò aliò referri Echus & Narcissi fabulas putamus, quã ad mortales amores, & mortes amorosas nobis declarandas?

Metã. 3.

Ouid. 4. Metam. 6. Quid etiam aliud Clytiæ fabula docet in heliotropium conuersæ, quàm admirabiles cœlestis amoris effectus?

6. Metã. 7. Quid Niobes, quam fingunt liberorum iacturã parùm æquo ferentem animo, vt, quos ardenter diligebat, saxi instar *diriguisse malis?*

ÆEnei. 4 li. 1. Confess. c. 13. 8. Mors porrò præ amore furentis Didonis, cuius ampla apud inimitabilem Poëtam descriptio Augustino adolescenti commiserationis lacrymas excussit, etsi vel fabula historica, vel historia poëtica ac fabulosa sit, plus æquo tamen

men est potens ad declarandum, præ nimio quempiam posse emori amore.

9. Antiochus, referente Plutarcho, nouercam suam Stratonicem impotēter amans, amorem tumulo obruisset, nisi pater Seleucus, Medicorum occultum illius ignem detegentium iudicio, hanc illi vxorem cōcessisset, quò vitæ filij consuleret. *Valer. li. 5. c. 7. Plutarc. Demetr.*

10. Calpurnia, Cæsarem suum verè ex animo diligens, an non exspirasse legitur, visa illius in senatu à percussoribus & coniuratis interfecti subucula sanguine tincta? *Sueton. Iul. c. 81.*

11. Ipse etiam philosophiæ amor ac studium an nō Indorum sapientes, quos Brachmanas vocant, ad voluntariam, vltroneam, spōtaneam, præmeditatamq; mortem paulatim impellebat, vt Calanum gymnosophistam, qui Alexandro inspectante generosè vltrò mortem oppetijt, fecisse auctor est Plutarchus? *Cic. 2. Tuscu. 1. de Diui. Plutarc. Alexan.*

12. Sed ad Christianorum transeamus partes. Cōtemplatiuorum Doctorum, ac præsertim D. Bonauēturæ ea est sententia, ipsum Redemptorem mundi, Christū Iesum diuina hac amoris morte exspirasse, vnde volunt ei non flagrorum verbera, non confusiones, non spinas, non clauos, non crucem, non denique alia tormenta numero plurima quæ pertulit, necem intulisse; sed solo amore animam illum ac vitam posuisse. atque addunt, amorosam illam capitis inclinationem, & τὸ *emisit spiritum*, mortis vltrò & ex amore susceptę indicium esse. quid enim aliud amor est, quàm quidam spiritus emissio? spiritus inquam ter beati, quem in dilecti Patris sui manus tradidit.

Fabulosa Hylæ, filij Theodamantis, mors verè locum habet in illa Christi Domini exclamatione, *Heli, Heli lama sabathani?* *Matt. 27*

13. Beatissima virgo Deipara, dulcissimi huius Iesu mater, ipsum est quàm proximè tum in vita, tum

morte

morte secuta, vt enim spirituales ac mystici scriptores afferunt, amorem illi oculos occlusisse in morte verosimile fit.

14. Hoc item modo blandè diro in cruce sua, inuerso pendens capite, exspirasse creditur dilectus ille discipulus Petrus.

15. Maria Magdalena sancta illa peccatrix dulci hoc obitu ad superos in pœnitentiæ suæ latebra, cui à S. Balsamo nomen, euolasse traditur.

In vita. 16. Nec non primus Anachoretarum parens Paulus, quem, referente Hieronymo, genibus innixum, iunctis manibus, oculisque in cœlum sublatis in speciem orantis obijsse comperit beatus Antonius.

17. Sic etiam S. Franciscum tradunt nimio quodam amoris impetu, ac spiritus amantis violentia actum, corporea hæc vincula perfregisse.

Chronica Minorum. 18. Huius è primis ardentioribusque discipulis F. AEgidium, qui vel Iesu nomen, vel cœli à quopiam proferri audiens animi deliquium pati solebat, gloriosa hac etiam morte tandem occubuisse procliue creditu est.

19. Euoluite vitam S. Catharinæ Senensis, & nimia amoris, quo in Redemptorem ac Dominum rapiebatur, violentia atque impetu eam demortuam comperietis atque obrutam.

20. Idipsum de B. M. nostra Teresa de Iesu crediderim, & quodam interioris feruoris æstu sanctam hác animam abreptam mortali hoc carcere exijsse.

Ribadeneira in vita l. 1. 21. Beatus Pater Ignatius de Loiola, Societatis Iesu auctor & parens, conuersionis suæ excessu atque feruore satis indicabat, parem quoque mortem suã futuram.

22. Vti & B. P. Francisci Xauerij.

23. Communis & constans etiam opinio est, B. Aloisio Gonsagæ eiusdem Societatis Tironi solum amorem erga Deum, & flammas hasce sacras præproperam illam, etsi alioquin honorabilem ac desiderabilem, mortem attulisse.

24. Alius

24. Alius etiam vir, pietate illustris, cuius nomen, quamquam hominibus incognitum, aureis in libro vitæ characteribus exaratum est, qui quotidie insigni mentis ardore diuinissimas Eucharistiæ epulas inibat, cùm graui quodam morbo (qui ad alias eiusdem incommoditates, frequentes & insolitos quosdam vomitus afferebat) oppressus, pane hoc cœlesti necessariò diebus aliquot carere deberet, qui tamen vnicum illi erat solatium ac delectatio (quem quamquã vnicè esuriret, gustare prohibebatur, quia pari in morbo eum administrari sacra Iura vetant) Curionem suum rogauit, vt, cùm sumere vetaretur, sacrum hoc viaticum sibi, antequam de vita exiret, saltem spectandum, adorandum & odorandum afferret. Morem voluntati desiderioque pio gerit Pastor. Ecce, dum æger animi sui delicias videt & adorat, ardenti & seraphico quodam amore æstuans stomachus dissecatur, cordeq; aperto supersubstantialẽ hunc vir pius cibum intra sese attrahit, moxq; verè *in osculo Domini* intermoritur. *Fiant* obsecro, clementissime Deus, *nouissima* nostra *huius similia*. *In specu-lo spirit.* *Deut. 34. Num. 23.*

25. Quid porrò de sancto pioque illo per terram sanctam peregrinante dicemus milite, qui postquã loca omnia Saluatoris Iesu nobilitata vestigijs, in quibus nimirum vixit, mortuus ac passus est, ac resurrexit, pio quodam mentis ardore lustrasset; iãque ad montem Olıueti, vnde cœlos Redemptor gloriosus ascenderat, peruenisset, eum sequi sibi vt liceret, vlteriorem vitam pertæsus, rogauit. & ecce exauditus, in indelebilibus illis, quæ petræ eo in monte Saluator antè, quàm in cælos ferretur, & ad dextram Dei Patris sui sessum abiret, impressa sui reliquit, vestigijs, amoris vehemẽtia prædominãte, vitam posuit. Illustria sanè hæc exempla sunt eorum, qui pretiosam amoris mortem oppetierunt, quæ & ruminari sunt digna & debitè examinari.

26. Ipsum etiam Lazarum nostrum an non verosimile est eadem amoris morte esse demortuum, tolerabi-

rabilius ratus ac dulcius emori, quã dilectissimi Domini sui conspectu alloquioque diu posse carere? ô mortem saccaream, ô amorem sacrum! Hem nos beatos, si hoc mortis genere, quæ animas nostras reddere cœlestes ac diuinas queat, emori daretur!

Hæc sunt puncta illa bina, quæ deducenda proposueramus; in primo de amore mortis, in altero de amoris morte disseruimus, atq; vtrumque rationibus & exemplis varijs confirmauimus. Vtinam eos, quos ex animo vobis opto, carissimi, inde fructus Deo dante colligatis!

DOMINICA PASSIONIS:

De Pœnitentia.

HOMILIA XXVIII.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

Leuit. 12 QVAE in veteri lege immolandæ Domino erant victimæ, omnes esse expertes maculæ debebant; hinc antè quàm immolarentur, inspiciebantur examinabanturque, num macula carerent, aut saltem vt, si quam haberent, purificarentur. En vt hodie Redemptor noster, Agnus ille purissimus, & pro peccatis nostris post dies aliquot immolanda victima, innocentiam candoremque suum irreprehensibilem examinandum præbeat, palàm è Iudæis
Psal. 50. sciscitans, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* in hoc ipsum imitari nõ auderemus nos, qui in *peccato concepti* sumus: cœlum enim & terra delicta nostra coarguerent, nosque peccatores esse conuincerent. Verùm vt hunc innocentiæ, quem amisimus, candorem
Ibid. recuperemus, ad pœnitentiam cõfugiamus oportet, quæ amara illa futura *hyssopus* est, cuius *aspersione super*

per niuem dealbabimur. Vt, postquam hoc lixiuio eluti fuerimus, tunc tandem dicere, dæmonibus insultãdo, possimus, *Quis ex vobis arguet nos de peccato?* tunc enim *peccata* nostra Deus *obliuiscetur, abscondet, delebit*, irritabit, *annihilabit*, expiabit, *lauabit, remittet*, & *ignoscet*. Nos itaque impeccabilis innocentiæ, quæ in Saluatore nostro viguit, occasione de innocentia nostra peccabili, pœnitentia inquam, nonnulla tractabimus, dicturi, 1. quid sit pœnitentia, 2. quotnam eius partes, 3. de contritione, 4. confessione, 5. demum de satisfactione nonnulla adnectemus.

1. Vox *pœnitentia*, carissimi, à *pœna*, vel *punitio* deriuatur, quam quasi dicas voluntariam de peccato suo vindictam & castigationem. I.

2. Non magis corpori adnexa est vmbra, quàm culpæ pœna & supplicium. *Culpam pœna premit comes*. Nam vt alius quidam cecinit Poëta:

Ita comparatum est in ætate hominum, *Plautus Amphit.*
Ita dijs placitum, voluptati vt mœror omnes
Consequatur.

3. Pœnitere porrò interior quidam dolor est & remorsus, occultus & latẽs vermis, qui vti è ligno teredo, ex ipsa enascitur culpa; qui dolor omni alio est dolore & supplicio acerbior.

Pœnitet, & si quid miserorum creditur vlli, *Ouid. 1. de Ponto Eleg. 1.*
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumq; sit exilium, magis est mihi causa dolori,
Estq; pati pœnam quàm meruisse minùs.

4. Petum simplex quoddam medicamentum est, vti norunt omnes, cui id tamen à natura datum, vt cerebrum feliciter ab humoribus expurget: ita & pœnitentia diuinum quoddam Petum est ad cor ab omnibus vitiosis, corruptisque moribus spirituali quodam modo expurgandum. Hæc quidem de nomine.

5. Quod ad rẽ verò spectat, antequã ipsa quid sit, definiamus, necessariò eius præmittenda distinctio est. Distant ergo magno ab inuicem interuallo pœnitentia, quæ virtus est, & quæ Sacramentum. Illa namque

que moralis quædam est virtus, quæ etiam in infideles cadere potest; hæc verò fidelibus Christianis dumtaxat propria est.

6. Apta quædam similitudo rem ipsam vobis manifestius aperiet. Sua medici medicamenta, quæ de veteribus nonnemo *manus* appellabat *Dei*, in simplicia distinguũt & composita seu mixta. Illa non sunt alia, quã qualia natura ipsa gignit ac dat; hæc ex arte mixta sunt, & iuxta scientiæ medicæ præcepta adaptata ac tẽperata. Pœnitẽtia virtus illis prioribus similis est: at illa, quam Sacramentum dicimus, è plurimis constans. Ingredientibus, qualia sunt eiusdem partes, peccata nostra, & purificans Agni sanguis, posterioribus poterit accommodari.

Concil. Trident. sess. 14. c. 1.

Hieron. epist. ad Demetr. & in c. 3. Isaiæ.

Tertull. de pœnit.

7. De pœnitentia porrò, in quantum Sacramentum est, in præsens agere constitui, quamque iuxta sacrosancti Concilij Tridentini doctrinam sic definiemus, *Est institutum à Iesu Christo in Ecclesia Sacramentum, quo Sacerdotum opera lapsis post baptismum peccata remittuntur, diuinaq; eis gratia restituitur.*

Pacian. epist. 1. ad Simp

8. Hinc communi Patrum sententia non ineptè *secunda post naufragium tabula* nominatur, quam naufragus arripiens homo à peccati sese morte subducere ac tueri potest.

** Aug. epist. 180 & in Psal. 146*

Tertull. ibid.

9. Ab alijs nonnullis * *secundus* dicitur *baptismus*; vti ab Augustino, Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo.

Cyprian. de ablut. ped.

Ambros. l. 1. de pœni. c. 7

Hieron. l. 2 contra Pelag

Ioan. 20.

10. Quin ab Redemptore Iesu Christo institutum sit, nonnisi ab ipsis fidei aduersarijs negari potest; qui qua sunt peruicacia, gloriæ sibi ducunt manifestissimas etiam oppugnare veritates. Ecquod enim haberi aut exigi à quoquam solidius stabilimentum aut testimonium posset, quàm hæc ipsa Saluatoris verba, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt?*

11. Quod poni huius etiã fundamentũ posset immobilius & firmius, quàm hæc à Domino Apostolis fa-

ċta

ēta promiſſio, *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo?* *Matt.18*

12. Sacramenti huius materia pœnitentis ſunt cõmiſſa & delicta.

13. Illius verò forma, ſacramentalia illa à ſacerdote prolata verba, *Ego te abſoluo à peccatis tuis.* An non hoc ſenſibile & intelligibile eſt inuiſibilis gratiæ ſignum?

14. Admirabilis ergo ſacerdotum eſt dignitas ac prærogatiua, quorum ora ſacra ſunt organa, è quibus oracula & poteſtatiuæ quædam ſententiæ omni exceptione maiores egrediuntur, quæ prolatæ in terra, ratæ habentur in cœlo.

1. At quænam Sacramenti huius partes ſunt (ſecũdum id Homiliæ punctum ſtatueramus.) Tres præcipuas eas eſſe noſtis, & eas eſſentiales, Contritionẽ, Confeſſionem, & Satisfactionem. II.

2. Hæ, tres illæ ſunt lanceæ, quibus Ioab (pœnitẽtis imago) peccatum (cuius figura Abſalom eſt) confodit, interea dum è cæſarie dependet, id eſt, pijs de vita futura cogitationibus intendit, nouiſſimaq; conſiderat. 2. *Reg.* 18

3. Legiſlatorum illa regula eſt, *Pœna delicto reſpondeat oportet.* vti enim cogitatione, verbo, opere; vel corde, ore, manu delinquimus: ita prioris generis admiſſis reſpondet Contritio; ſecundi Confeſſio; poſtremi Satisfactio.

4. Tres vita functos ad eamdem reuocaſſe Redemptor Chriſtus ſcribitur, vnum in domo, alterum ad portas ciuitatis, tertium denique ex ipſo euocauit monumento: triplex illa diſtinctio triplicis illius peccatorum generis ac trium harum pœnitentiæ partium nota eſt. *Marc.* 5. *Luc.* 7. *Ioan.* 11.

5. Tres item ſunt Charites, ſolis ac memoriæ filiæ, quas vana finxit antiquitas, vt generis humani apud Iouem mediatrices: tres enim illæ partes à præueniente Dei gratia, nec non pœnitente præteritorum

delictorum memoria ortum habent, dũ illis nimirũ corde, ore & opere ipso renuntiamus, *recogitando annos nostros in amaritudine animæ nostræ.*

Isa. 38. 6. Commenti quoque Ethnici sunt

Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ, dum Proserpinam apud inferos, Lunam in cœlo, ac Dianam in siluis vnam & eamdem esse fingunt deam. Triplex hoc Dianæ simulacrum pœnitentiæ adaptemus, & dicamus, ex occulto contritionis remorsu, & mali per confessionem manifestatione, & mõstrorum peccati domitrice & effugatrice per satisfactionem vindicta, alexicacum hoc Sacramentum constitui.

7. Quin sanctiori quodam loquendi modo dicamus, animam pœnitentem, triplicem hunc actum exercentem, verè odoriferam esse velut *myrrham electam.* En contritio amara; sed suaueolens; deinde vt

Eccli. 24 *cinnamomum* dulce; en confessio; denique *balsamum aromatizans;* en satisfactio.

Exod. 5. 8. Denique via trium dierum est Israelitarum in solitudine, antequam Domino immolare sacrificiũ eos fas esset. Ita etiam par & æquum est, vt priùs, quàm ad sacram diuinissimæ communionis mensam (de qua crastina die locuturus sum) accedamus, per hoc trium horum pœnitentiæ actuum cribrum transeamus; quos iam in sequentibus obiter & velut à limine salutabimus. bene dico salutabimus: neque enim temporis finit angustia amplam hanc adeò materiam ampliori vberiorique prosequi disputatione.

III.

1. Contritio primum occupat locum, velut præambula, & face quodammodo prælata interiora cordis penetralia illustrans, vt scelera nostra ibi agnoscamus, cognitaque dolorosa quadam pœnitentia, & pœnitenti dolore conteramus ac cõtundamus.

2. Conteramus inquam & contundamus, id enim pro-

propriè sonat cõtritio, quod à *conterere* descẽdit vo-
cabulum, & quamdam confricationem, collisionem,
comminutionemque significat. *Contere brachium pec-* Psal. 10.
catoris & maligni. Arcum conteres Ipsa conteret caput Psal. 45.
tuum. Ab hac comminutione subtiliori per meta- Gen. 3.
phoram dicta est cordis Contritio. *Qui sanat contri-* Psal. 146
tos corde. Cor contritum & humiliatum non despi- Psal. 50.
cies.

3. Adamas nonnisi ægerrimè comminuitur, at cùm semel comminui cœpit, in minutos redigitur pulueres: offirmatissima peruicacissimorum sceleratorum corda, cùm semel à digito Dei tangi cœpêre, minutim extremeque conteruntur.

4. *Facta est velut mare contritio tua.* Vt enim Thren. 2.
vastum illud aquarum corpus, cùm ventis concitatur, in millenas diuiditur vndas: tales, & non aliæ cordis contriti sunt emotiones, & singultuum eius vndæ non minùs quàm marini fluctus amaræ sunt.

5. Cogitatione vobis fingite frumentum in molari lapide in farinam ac minutum candidumque puluisculum redactum: & huic similia esse cogitate corda pœnitentium, quæ ceu frumentum, cùm antea peccato dura & nigra essent, emollescunt, & alba redduntur.

6. Aureũ Moses vitulũ, cui sacrilego quodã Israelitę Exod. 32.
ritu diuinos attribuerãt honores, in puluerẽ redegit, quò infandi ac detestabilis huius sceleris horrorẽ ipsis imprimeret. Eosdẽ in anima effect⁹ operatur cõtritio, scelerum idola, quæ illa nequiter colebat, cõminuendo, & eorum horrorem detestationemque illi potenter imprimendo.

7. *Conuertit* ipsa *iudicium in absynthium*, & quæ Amos 5.
antè mellis instar sapidæ apparebant voluptates, pòst fellis in morem amarescunt: & cùm dulce illud saccarum digestum fuerit, quamdam in ore reproducit amaritiem.

8. Quæ deinde amaritudo peccato instar antidoti est: vti enim ex ingredientis pharmaci acredine & acerbitate quædam expurgandi catapotio instillatur virtus; sic quò maior est contritio, eò fortior & potentior est confessio.

IV. 1. Quæ secunda pœnitentiæ pars est, & quartum destinatorum punctum. Ipsa scalprum est, quo interiorum sordium nostrarum apostema inciditur, quas contritio præuia emollit, & incisioni adaptat.

2. Ipsa salutaris illa scopa est, quâ animam se suam expurgare asserit Psalmographus: *Tota die exercitabar, & scopabam spiritum meum.* Psal. 76. Iob 2.

3. Ipsa laterculus ille fractus, & testaceum ollæ, quam contritio confregit & contriuit, fragmen, quo purulentam vlcerum suorum saniem Iob ille patiēs abradebat.

4. Quàm, Deus bone, salutaris hic vomitus est, vt nostra à peccantibus humoribus hoc pacto consciētia expurgetur?

5. An non benignus & clemens Rex ille foret, qui subditum suum læsæ maiestatis regiæ reum suam in gratiam denuo restituere paratus esset, & omnem delicti prioris memoriam exuere, suum modò erratum ille, nulla alia adhibita patronorum intercessione, agnosceret? Quoties, eheu! quæ nostra in peccādo nequitia est, diuinæ maiestatis læsæ violatæque nos reos scelerate constituimus? infinita tamen illa supremæ bonitatis diuinæ clementia nudam simplicemque dumtaxat ab offendentibus declarationem exigit; qua, quidnam & quoties deliquerimus, aperiamus, vt hac peracta, extemplo in gratiam nos ille suam restitutos, & pristinum recuperasse honorem suo confirmet sanguine & consignet. An non hoc ipsū manifestè Psaltes declarat, dum ait, *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei?* Psal. 31.

6. Quis nostram non demiretur post tam prodigā Dei

Dei *misericordiã & copiosã* adeò *redẽptionẽ* ingratitudinẽ, & tot mutorũ pisciũ, pulmone ad spiritus sãcti aërem attrahendum carentium, in vasto deliciarum huius sæculi mari natantium & perambulantium inertiam? hoc animantium genus olim hanc ob causam sacrificari vetuerat Deus, vti & hodie sacrificij legis gratię spirituales illi pisces reddi participes nõ valẽt. *Psal. 129.*

7. Verùm, Domine, cur tetra peccati morte moriemur, cùm ipsum vitæ remedium, quod nonnulli *spiritualem* vocarunt *resurrectionem*, adeò obuium sit, & prope in manibus habeamus?

8. Cur medico turpe & probrosum, quo premimur, malum detegere veremur? quare puerum illum Spartanũ imitati, sinu fouemus vulpes, à quibus deuoremur?

9. Quomodo ardentes in pectore continebimus prunas, vt easdem non ilicò excutiamus?

10. Anne malumus in iniquitatib⁹ nostris cõputrescere, quàm ab eisdem sola nudaque ipsarum apertione liberari?

11. Audacter intima tua reuela, peccator, neque enim homini te aperis, sed Deo: & cuinam vnquam suprema illa Maiestas tua reuelauit arcana?

12. Dic liberè & sincerè: si enim mentiaris, *spiritui sancto mentieris.* *Act. 5.*

13. Dic item confidenter: non tortori te retegis, sed patri, sed medico, sed fratri, sed amico, sed Angelo Domini exercituum.

14. Da, quæso, frater operã, ne de te dici queat, *quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, corruptæ sunt cicatrices meæ.* *Psal. 37.*

V.

1. Postquã iã, ô amice, tua manifestata, examinata, & purgata sunt vulnera, satisfactionis malagmata, vt penitus ab ijsdẽ cureris & persaneris, applicãda sũt.

2. Triplex aũt est satisfaciendi ratio. oratio quippe mala spectat animi, ieiuniũ corporis persanat morbos, eleemosyna denique *mammonam iniquitatis* oppugnat. Hæc vniuersalia & efficacissima sunt ad pec-

cati regnum destruendum remedia. singula cùm paucis excusserimus, finem faciemus.

3. Aqua immobiles rupes, à quibus maris littora prætexuntur, cótinenter aduerberãs, eas tandẽ excauat, & æstuaria cauernosa efficit: quin imò continua per interuallũ guttarum deciduarũ destillatio saxa durissimaque marmora adedendo excauat, sic oratio paulatim peccatum excauat ac subruit, & lenem benigno Saluatoris Iesu animo vim facit.

4.5.6.7.8. Quid non, Deus bone, efficere potest oratio? quantarũ illa viriũ est? *Multum valet deprecatio*
Iacob. 5. *iusti assidua*. An nõ sol ad Iosuæ preces cursum inhibẽs
Iosu. 10. quiescit? an non orãte Elia ignis cœlo descẽdit? an nõ
3. Reg 18 per Elisæi deprecationẽ ferrũ repugnante naturâ a-
4. Reg. 6. quæ supernatat? quid? an nõ duobus hisce Prophetis
3. Reg. 17 in cœlum clamantibus Deoq; enixissimè supplican-
4. Reg. 4. tibus mortui ad vitã redeunt? Ipsa insuper cœlo misericordiã deuocat, in terram eam vt trãsferat, ac di-
Exod. 32. uinæ iustitiæ manus alligat (testis rei huius futurus Moses, quo orãte sæuire in Israelitas reos desijt De⁹.) Ab anima denique, cui eadem familiaris, omnem impuritatem sordesque pellit.

9. Qua in re miro ei auxilio est ieiunium: ipsum quippe corpus emacerat, & attenuat, quò suas animus functiones eò exerceat liberiùs.

10. Miles sine armis, aut arma sine milite nulli prorsus sunt vsui: sic & oratio & ieiunium inutile est, si alterum ab altero disiũgas, vt censet Chrysostomus.

11. Voluptates ac delicię sensuum, ait idem auctor, manus nobis quodammodo vinciunt, nosque ceu captiuos probrosè vinctos, post triũphalem voluptatis currum abripiunt: sed ouantem hanc victrice dextra ieiunium prosternit, nosque in libertatem asserit.

12. Ipsum indomitũ corporis nostri equum, vt auctor est Augustinus, frenis & lupatis coercet, ipsumque ritè suo fungi cogit officio.

13. Ipsum, medica quædam posis, vt volũt Basilius & Ambrosius, qua obbibita carnalium titillationum vermes in nobis emoriuntur. 14.

14. Eleemosyna porrò quàm potens vitiorum est exterminatrix! quàm liberalis captiuorum redemptrix? quàm præclarum peccantium lytrum!

15. Audite sacra testimonia, *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras: fiducia magna erit coram summo Deo, misericordia omnibus facientibus eam.* Iob 4.

16. Et rursus, *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.* Iob 12.

17. Apud Danielem leges, *peccata tua eleemosynis redime, & misericordijs pauperum iniquitates tuas: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Dan. 4.

18. Denique apud Lucã Redẽptor suadet, *Quod superest, date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11.

19. Aquæ stagnantes & stantes mortuæ dicuntur, ipsęq; nonnisi fœtorẽ & putrefactionẽ gignunt; fluẽtes verò & currentes viuæ appellari solent, suntque eæ limpidæ, nitidæ, puræ, & salubres. Opes & argentum, carissimi, præ auaritia tenacitateq; arcis inclusa variorum sunt malorum origo & parens; at quæ in sinum pauperũ eleemosynæ erogatione leniter fluũt, sunt *flumen* illud *lætificans* ac recreans *ciuitatem Dei.* Illæ quippe mortem, hæ vitam adferunt. Psal. 45.

Ex vniuersa dictorum serie retinete, 1. quid sit Pœnitentiæ Sacramentum, 2. ecquæ eius partes, scilicet, 3. contritio, 4. confessio, 5. satisfactio. Ite, & pax Domini sit semper vobiscum.

FERIA I. POST DOM. PASSIONIS.

De Sacra Communione.

HOMILIA XXIX.

Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Ioan. 7

QVo loco vulgata cõmunisque lectio præfert, *vbera tua*, alia habet, *amores tui, meliora sunt vino, fragantia vnguentis optimis, oleum effusum nomẽ tuum;* (vel aliter, *sanguis annihilatus*) *ideo adole-* Cant. 1.

sientulæ dilexerunt te. Tu ô sacra & saccarea Euchari-
Apoc. 5. stia, turgidum & inexhauribile amorũ vber es, *plenũ*
Zach. 9. *odoramentorũ*: tu *frumentum* illud *electorum*, *& vinũ germinans virgines*, & sanguis nunquam fluere desinens: tu ille viuus omnigenorum amorũ fons, ad quẽ nos hodie Saluator inuitat, cùm plena ad omnes voce intonat, *Qui sitit, veniat ad me & bibat*; qui esurit, me manducet, vt in me viuat & propter me, in me quoque maneat, & ego in eo. O sacramentum totum flammescens & ardens! de quo agere hodie valde mihi visum est opportunum, præsertim cùm heri de adaptando concinnandoque ei habitaculo egerimus; quæ aptè inuicem subnectuntur. Hic igitur audietis carissimi, quomodo omnigenos in Eucharistico epulo nobis amores affectusque Saluator Iesus communicet, 1. quidem patris, 2. matris, 3. fratris, 4. sponsi, 5. proci, 6. amici.

1. 1. Neque verò repugnat, auditores, omnes has qualitates & partes in vnum eumdemque coincidere; cũ & ipse phœnix suiipsius sit pater & mater, frater & spõsus, seru⁹ deniq; & amic⁹. Quidni igitur & Iesus, Phœnix ille vnigena, easdem habeat prærogatiuas? Ipsa quoque mater eius Maria nonne simul Altissimi *filia, sponsa, parensq́; nurusq́;*?

Sap. 16. 3. Omnia saporum in sese genera complectebatur manna: sic omnia amorum Eucharistia. Ab affectu & amore paterno, quem in eadem Dominus ad liquidũ manifestat, initium ducamus. Patris est de facultatũ suarum substantia prolem alere, at proprij corporis eum substantia nemo hactenus enutriuit: hoc quippe infinitæ charitati patris nostri cælestis reseruabatur.

Seneca Thyest. 5. Thyestæum hîc prandium est, sed vice versa; in quo nimirum fratrem manducat filius, idque nõ cruentè & dirè, sed amicè ac beneuolè.

2. Reg. 18 6. Dauid rex mœrore confectus, pro filio suo Absalomo interempto etiam mori optabat.

7. Leo intrepidè se, catulorũ saluti incolumitatique cõsulẽs, morti obijcit, vti & animalia propè omnia naturali ad hoc amore & instinctu impulsa. hinc nul-

lo ipsa parcūt labori, vt cōueniētē fœtui alendo prę-dā & escā inueniāt. At cū corpus & sanguinē propriū filijs in nutrimentum Dominus dat, supernaturale quoddam id opus est, inque ipso non minùs singulare, quàm reuera est & admirabile & adorabile.

8. Soli Pelicano nostro reseruabatur & proprium futurum erat, extraordinario & singulari hoc alimenti genere paruulos suos pascere.

9. Non iam hîc Abraham Isaacum filium immolare vult, sed Isaacus Abrahamum realiter offert & sacrificat. Gen. 22.

10. Hic quoque grauis ille & censorius Cato repuerascit, quò se cum filijs oblectet, & *cum filijs hominum* familiariter agendo *delicias* captet. Prou. 8.

11. Hic verus Helias, vel potiùs Heli pater puero emortuo, sese contrahendo, superincumbit, quò nouam illi vitam inspiret. 3. Reg. 17

12. An non reuera veri amoris paterni testimonium Dominus hîc declarauit, cùm ex asse & in solidum vniuersales nos corporis, animæ, diuinitatisque suæ hæredes constituit? quid desiderare aliud, quàm ipsum totum & integrum possemus? Pater æternus cùm filium nobis suum donauit, *quomodo non cum illo nobis omnia donarit?* Rom. 8.

13. An non ipsamet hora, qua pretiosum hoc amoris sui nobis reliquit pignus, cùm vitæ eius fuerit extrema, iamque passio eius in foribus esset & vicina, veluti per codicillum quemdam extremæ charitatis illius ratificationem nobis confirmet? *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Videns Iesus, quia appropinquasset hora*, &c. Ioan. 13. Matt. 26

II.

1. Constanti & forti huic amori paterno addit benignum ac tenerum matris. Hinc se apud Oseam velut *nutricium Ephraim* nominat, seque suos *portasse* ait *in brachijs*, ac *iugum à maxillis* eorum sustulisse, ac *declinasse ad eos, vt vescerentur*. Quibus in verbis triplicem notare amorem est, ac primò quidem matris, quin & matris nutrientis; secundò agricolæ de Osee 11.

bobus suis soliciti, in quib. eius facultates sitæ sunt; tertiò patris de familia sua alenda laborantis: sed amorum horum suauissimus ac tenerrimus primus est, benignitatem ac suauitatem omnigenam spirans.

2. Nam vt, quod res est, fatear, mater paruulũ suum lactans, euidentissima est charitatis & extremi amoris, quẽ in sacrosancto hoc conuiuio Dominus exhibet, imago; in quo suo ille nos pascit lacte in sanguinẽ conuerso, vti puppum suum mater sanguine lactis in
Cant. 1. formam transeunte. *Memores* erimus, Domine, illorũ
Psal. 115. *vberum tuorum super vinum*, & *calicis tui salutaris*, &
Psal. 22. *calicis tui præclari & inebriantis.*

3. Mater quò prolem à sordibus & terra vorandis
Psal. 43. auocet, saccareos illi præbet globulos. *Conglutinatus*
Mich. 7. *est in terra venter* vester, mũdani, & *lingitis terrã sicut*
Exod. 16. *serpẽtes*: En saccareum hîc manna vobis propinatur, quod alliorum Aegyptiorum vos faciet obliuisci.

4. Sed, quo brutali affectu estis, ad eadem etiamnũ aspiratis, & cum nauseabundis illis Israëlitis dicere audetis, desipere vobis deliciosum hoc ferculum, &
Num. 21. *animam* vestram *nauseare super cibo hoc leuissimo.*
Gal. 3. *Quis vos fascinauit* stolidi & insensati? Sanè animus & mens vestra pallet.

Prou. 31. 5. *Quid*, aiebat Samueli mater, *dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum* desiderare amplius potes? his te ô anima ingrata verbis Dominus Iesus compellat.

6. Tu, ô inhumane asine, calcibus & contemptu matrem, quæ te lacte pascit, compensas.

7. Non ita vos, ô animæ spirituales, sed matris hũc amorem agnoscentes, sub gallinæ huius vos vocantis alis colligimini.

Deut. 32. 8. Post *aquilam* hanc matrem vestram *vos ad volandum* in cælestia *prouocantem* properate. Eadem hæc auiũ regina nullos de fœtibus cõplectitur teneriùs, aut cariores habet, quàm quos cordi in excludendis ouis habuit viciniores. Cælesti huic cibo, animo & corde toto, accedite, & Iesu Christo, qui amor est noster, eritis dilectissimi.

1. No-

III.

1. Noster adhæc frater est: per adoptionem enim *hæredes* sumus *Dei* & *cohæredes Christi*: de illo, quod de Iosepho fratre suo olim Ruben, non immeritò dicere possumus; *Caro nostra*, & sanguis, *& frater noster est*, & carne vestitus, *in similitudinem hominum factus* est. *Verbum caro factum*. Rom. 8. Gen. 37. Phil. 2. Ioan. 1.

2. 3. En vt horum accidentium tectus pallio, suos in mundi huius deserto conquisitum abit *fratres*, sensualitatum suarum ac voluptatum *pascentes greges*. Gen. 37.

4. *Frater* dicitur, quasi *ferè alter*. an non ipse *habitu inuentus vt homo*? an non *ipse in nobis, & nos in ipso*? an non ipse alter nos, & nos alter ipse! Hem quanta est piè deuoteque sacras hasce dapes capessentium prærogatiua, cùm Deo conformes, deiformes, in Deum transformati, & vniformati reddũtur! Phil. 2. Ioan. 6.

5. Ipse amans ille Castor est, qui cum mortalibus Pollucibus, nobiscum inquam, suam diuidit immortalitatem. an non euidenter id ipse testatur: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die? qui manducat meam carnem, habet vitam in se*. Ioan. 6.

6. Quin tam arctè diuinæ huic humanitati, & humanæ diuinitati copulamur & incorporamur, vt, quod de Gerione trino, qui *in tribus vnus erat*, cōmenti fabulosè poëtæ sunt, in veritate ipsi exhibeamus.

7. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem* tam tenerè *vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & iam me nemo dispiciat*, dum amplector te! Hic scilicet, ô pia anima, amica hæc & casta reperitur fraternitas. per sacrum hoc donarium *à morte transferemur ad vitam, si fratrem* nostrum *dilexerimus*. Cant. 8. 1. Ioan 3.

IV.

1. *Quis mihi det*, frater, qui animæ etiam meæ coniux es, *vt osculeris me osculo oris* tui? Hic ego te complectar, & tu me vicissim igne complebis; hic te ego absorbebo, & à te vicissim absorbebor; hic ego te *manducabo*, & *viuam propter te*. Cant. 8. & 1.

2. In sacrosancta cōmunione scilicet, dilectissimi, B. Catharina Senēsis corā Beatiss. Virgine & Angelo suo custode,

custode, velut testibus, à Domino Iesu sponso suo & nostro in sponsā electa & assūpta fuit, visibiliter annulū ab eodem accipiens. O quanta benignitas & amor! Nobis saltem eum fas sit admirari, si vt ad eumdem aspiremus, indigni sumus.

Gen. 2. 3. In matrimonio sancta quædam peragitur *duorum in carne vna* coalescentium coniunctio: an non ad eumdem modum dicere possumus, sacra communione nos constitui ac fieri *os de ossibus, & carnem de carne* Christi (Mysticum sic animæ connubium contrahitur,) cùm *in nobis sit ipse*, nec minùs *nos in ipso*?

4. Ita profectò: quin etiam, tametsi adulterata illa
Ierem. 3. & *fornicata sit cū amatoribus multis*, ea tamen sponsi
Ezec. 18. huius est lenitas & bonitas, vt *Sunamitidem* hanc errantem benignè, vt *reuertatur*, cohortetur; simul etiam, modò pœnitere præteritorum, ac dolere sese
Luc. 15. ostendat, *omnium non recordaturum* se *amplius*, *stolam primam* redditurum, honorem pristinum redhibiturum, ardentiùs reuersam dilecturum, monilia gemmata, *annulum*, inaures & *calceamenta*, nec nō (quod præ alijs magni faciendū) pretiosum & inæstimabile illud monile, incredibilem inquam amorem suum restituturum polliceatur. O creatorem creaturis ipsis leniorem & reconciliabiliorem!

Exod. 20. 5. Quonam abijt, Deus bone, zelotypia illa tua, ob quam te *zelotem* appellitari voluisti, quæque te et-
Cant. 6. iam propter obliquum & incautum quemdam *oculorum* coniectum *auolare* compellit? Quis mihi det, amantissime coniux mi, vt ego tota sim tua, vt tu totus mihi es?

6. Legibus ac Iure ciuili cautum, ne maritum inter & vxorem, constante matrimonio, donationes reciprocæ fiant, ne fortè, vt ibidem traditur, præ nimio vtrimque amore inuicem exspolient & depauperent. sed in diuinis hisce nuptijs quædam est perfectio, amantem donare omnia & in solidum, nihil
Cant. 2. vt sibi reliquum faciat, vt dici ab vtroque queat, *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

7. Viuo

7. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Gal. 2.
Quod sum, quod habeo, est esse illius. Vtinam, dilectissime Iesu, totus sim tuus! id mihi, obsecro, concede. *Hanc mihi* cum Græco, sed Christiano quodam Philosopho dicam, *gratiam præsta, vt quo te complector, amor ardentissimis cordis tui æstibus permisceatur, atque inde, velut pristinum repetens domicilium, ad me reuertatur, secum etiam tuum attrahens, qui etiam ad suum vicissim fontem redire cupiens & meum secum rapiat: vt continuo hoc itu ac reditu, affluxu ac refluxu, amores, desideria, voluntates nostræ, ipsarumq́; effectus, nonnisi vnum quid sint.* Vtinã inquam, ô Amor meus, hoc fiat! neque verò temeraria hæc mea est obsecratio, cùm huius ipse mihi formulam præiuisti, dum viuens olim ita Patrem tuum *rogasti*, vt non aliter nos cum proximo charitate *vnum essemus*, quàm ipse *& Pater vnum estis*. An non præ gaudio, ô anima mea, exultas, cùm amantissimus ille coniux, cuius *caput plenum est rore, manus myrrham stillant, cincinni* delibati *vnguentis, mittit manum suam* ad *foramen* oris tui, vt inde vsque in cor tuum insinuando se permeet.

Athenag. li. 2. de vero amore. Ioan. 17. Cant. 5.

V.

1. Verùm quoniam nomen hoc mariti quoddam etiam maritale spirat frigus, videre eum vultis vt procum & amasium animas nostras vt dominas suas feruentissimè complectentem? Canticorum librum, quantus quantus est, à capite ad calcem euoluite, nõ aliud eiusdem ibi schema & imaginem, quàm casti cuiusdam proci videbitis.

2. Quanto, ô sapiens Moses, erga furuas hasce Aethiopissas amore inardescis? Num. 12. *quid est homo, quòd memor es eius, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Psal. 8. Iob 7.

3. Quid ita perfidas illas Dalilas, generose Sampson, deperis? Iud. 16.

4. Videte, vt potens ille Dominus, ad dominæ sibi suæ beneuolentiam conciliandam, aureum exuat amiculum & trabeam, quò vilem lacernam & semitritam rustici tuniculam induat. Videte vt canabinã huma-

humanitatem noſtram ſibi diuinitas circumdet. quis igitur huic cor ſuum viciſſim non tradat? is ſanè, cui nullum fuerit.

Gen. 3. 5. Numquid dicere fas ſit nouum hunc *Adamum quaſi vnum ex nobis factum* eſſe? Hem, *quàm difficile eſt*, vt de veteribus nonnemo ait, *& amare & ſapere*, ipſi etiam Deo!

1. Par. 16. 6. Quis in myſterio hoc Euchariſtico *notas faciat in populis adinuentiones eius*, quomodo ſcilicet hic aliud
Cant. 2. aſſumat ſchema, quomodo hic *per accidentium cancellos & feneſtras* nos *reſpiciat*?

7. Aeſchines cùm nihil haberet; nec in ſe agnoſceret, quo magiſtro ſuo Socrati ob eam, quam ab eo hauſerat, doctrinã gratias ageret; ſeipſum vltrò illi in ſeruum perpetuum addixit: ſic Redemptor Ieſus cùm nihil haberet ſeipſo pretioſius aut dignius, (eſt
Pſal. 68. Matt. 8. enim ipſe *pauper* alioquin, & *non habet, vbi caput ſuum reclinet*) animabus noſtris, cariſſimis inquam præceptricibus ſuis, ſeipſum in ſeruitutem addicit.

8. Videre eum vultis, amoris æſtu intus ardente, circa cordis noſtri oſtium moroſè obambulantem?
Cant. 5. Audite, vt in Canticis exclamet, *Aperi mihi ſoror mea*
Apoc. 3. *ſponſa; ego ſto ad oſtium & pulſo*: hic patienter exſpectat & crebrò ſuſpirat. quod de procis carnalibus Poëta ſic habet:

Iuuenal. *At lacrumans excluſus amator, limina ſæpe*
Floribus & ſertis operit, poſteſq; ſuperbos
Vngit amaranthino, & foribus miſer oſcula figit.

9. Videte etiam, vt circa ſigilla, notulas, characteres,
Cant. 8. & armillas velut nugax occupetur? *Pone me*, inquit, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.*

Plin. li. 9. c. 59. 10. Quòd Sargus piſcis capra oblectetur, hinc eidem inſidiaturus piſcator caprinas ſibi circumdat exuuias. Sic amoroſus piſcator noſter, cùm ex Adami protoplaſti comedentis lapſu delicatum naturæ noſtræ palatum atque appetitum notaſſet, in cibum ſeſe con-

conuertit, quò corda nostra inescaret, & amoris sui retibus includeret & illaquearet.

10. Si tam amans sit procus, multò etiam amicus fidelior est: & *qui fidelem inuenit amicum, inuenit thesaurum*. Quàm porrò locuples thesaurus est Eucharistia! margarita Euangelica, *manna absconditum*, amoris pignus. VI. *Eccl.6. Matt. 13. Apoc.2.*

2. Pilades, & Nisus celebrantur à veteribus, quòd ille Orestis, hic Euryali amicorum causâ in mortem sese vltrò obtulerint, sed fabulosa hæc sunt, & licèt alioquin vera forent, nullo essent pacto cum fidelissimi amici nostri Iesu prodigalitate comparanda. *Cic. 3. offic. Virgil. 9. Aeneid.*

3. Dicuntur *Ionathæ & Dauidis animæ* inuicem *conglutinatæ* fuisse. celebratur etiam Ionathæ amor, quòd sua se spoliarit tunica, quò Dauidem carissimum suum vestiret. Quæ tamen tenuia sunt & modica, si cum nimio amici nostri Iesu amore conferantur. *1. Reg. 18. Ibid.*

4.5.6. Verè dico, *amici nostri*: quænam in hoc latet arrogans præsumptio, cùm sanctam hanc fiduciã ipsemet nobis inspiret? *Iam non dicam vos seruos, vos dixi amicos meos. Vos amici mei estis, si feceritis*, &c. *Venite, amici, inebriamini carissimi.* Ipsum etiam Iudam, à quo tradebatur, blando *amici* compellat nomine: necnon Lazarum, cùm dicit; *Lazarus amicus noster dormit.* *Ioan.15. Cant.5. Matt.26 Ioan.11.*

7. Doctoris cuiusdam scientiâ eximij, sed vitæ probrosæ, à Domino conuersionem petens B. Teresa de Iesu, *Videtur*, inquit, *mi sponse, vir hic aptus futurus, qui amicus noster sit.* Cuius ipsam sanctæ fiduciæ cùm mox puderet, *Quænam mea*, inquit, *audacia, vt ego vilissima tam audacter loqui audeam?* Quàm porrò caræ Domino sunt humiles illæ amicorum suorum confidentiæ, illæ præsertim, quas sub ipsum sacræ communionis tempus apud illum depromunt ac proponunt! *Fr. Ribera lib.4. vitæ.*

Hic sermonem abrumpamus; simul etiam notate, carissimi, in Eucharistia amorem, 1. patris, 2. matris, 3. fra-

3. fratris, 4. mariti, 5. proci, 6. amici à Domino Iesu nobis exhiberi. Satagamus tanto amoris incendio ac flammis vel vnicam reciproci amoris scintillam rependere.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

De lucro ex hæresi eliciendo.

HOMILIA XXX.

Ambulabat Iesus in Galilæam. Ioan. 7.

SAGAX & fidus canis, lupi odoratus vestigia, suo hominem latratu excitat, sibi à cruenta illa vt bellua caueat. Cùm tot inter lupos per ouile Christi Iesu promiscuè dispersos nobis viuendum sit, retinere sanè me ipse non possum, quin omnes sibi vt
Isaiæ 62. caueant, admoneam. *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tota die ac nocte in perpetuum non tacebunt.* In locis contagione letifera infectis alia super alia quotidie nemo non depromit amuleta, suffitus, & malo pellendo suffumigationes. Ecquot remedia! Atque hinc toties etiam hæreseos nobis mentio facienda est, vtpote mali, quod maximè nos premit & affligit: *Et numquam satis dicitur, quod numquam satis discitur.* Equi ab lupo morsi sunt & generosi & meticulosi. Cùm Iudæorum in Euangelijs molimina lego, semper mihi hæreticorum cum simplicioribus machinationes & agendi modos videor legere: at,
Ioan. 7. sicut Redemptor, quæ eximia illius erat bonitas, vti è præsenti Euangelio manifestè patet, numquam non ex ipsorum aliquod malo eliciebat bonum, ita illius ad imitationem ostendemus, quomodo insigne ex hæresi, si modò prudentes simus, bonum eliciamus,

eximias

eximias nimirum illius occaſione exercendo virtutes, 1. patientiam, 2. ſimplicitatem, 3. prudentiam, 4. fortitudinem: vt feciſſe Redemptorem Ieſum è contextu Euangelico patebit.

1. Benedictus Deus & laudandus, cariſſimi, quòd nos ceu generoſos quoſdam bellatores belli & conflictus pro Eccleſiæ ſuæ defenſione ſuſcepti tempore in lucem produxerit. Certamen patientiæ eſt & elementum & alimentum. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* Eccl. 34. Periculum includens è virili molimine reſultans gloria ſemper animum generoſum & interritum manet. nunquam ille coronam vel lauream obtinebit miles, qui medijs in conflictibus trepidat.

Patientia neceſſaria eſt, vt reportemus promiſſionem Hebr. 10. ac retributionem, & *in* eadem quietè *animas* noſtras Luc. 21. *poſſidere* poſſimus.

2. Simus igitur ceu rupes in medio mari, quæ aſſiduo vndarum alliſu aſſultuque poliuntur, mollemque ipſarum impetum rident. Difficultate gaudet & paſcitur virtus; acredinem amat & amaritiem.

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito. Virgil. 6. Aeneid.

3. Zizanio ſimul excreſcenti triticum faciliùs agnoſcitur, ſic etiam ob adhæreſcentem ſpinam maius eſt roſæ decus & venuſtas.

4. Cos & lima ferrum & exacuunt & poliunt: ſic hæreſis ſtuporem noſtrum abradendo expoliuit.

5. Virgæ ſunt, quibus nos pater ſupremus cædit, quas haud multò pòſt concidet & abijcet.

6. Vt milites turmæ ac cohortis regiæ his in terris velut in acie verſamur: noſtra ſiquidem verè eſt militans Eccleſia; at quæ trans montes eſt, triumphans in terris eſt.

7. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam,* Matth 5. *præbe illi & alteram: & quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* hoc ſcilicet erit

Rom. 12. *vincere in bono malum*, & *carbones ardentes super* hæreseos, hydræ illius infernalis, *caput congerere*.

1. Cor. 11. 8. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant*. Effulgeamus sicut stellæ de nocte.

2. Cor. 10 9. *Armis* spiritualibus, *non carnalibus*, in stadio & arena, in qua constituti sumus, pugnemus. *Per ignem & aquam* difficultatum *transeamus ad refrigerium*.
Psal. 65.

10. Sustineamus malum pœnæ, & malo culpæ abstineamus: & cùm ab hæreticis circumsecùs cingamur, fidem ex aduerso nostram adaugeamus: quemadmodum rosæ iuxta cæpe consitæ fragrantia increscit, & muscum fit redolentius, cùm cloacis vicinius. Scientia & vitæ probitate hæresim expugnemus.

11. Iam dudum est, quòd contradictio illorum ac maledicentia scientiam nostram auxit & exacuit, illorum verò insidiæ ac pellaciæ nostram iam exornent conscientiam. ita fiet, vt bonorum nobis inimici occasio futuri sint.

12. Neque est, quòd ipsum naturæ auctorem culpemus, quòd serpentes, muscas, tempestates, & tonitrua in rerum vniuerso produxerit. omnia enim ad multa vtilia sunt, quæ ipsi ignoramus. Etsi morbus non ad alia, quàm ad augendam patientiam conduceret, non modicum sanè foret, per corporis imbecillitatem animi robur & generositatem nancisci, at-
2. Cor. 12. que, vt Apostolus loquitur, *cùm infirmamur, potentiores* reddi. *Bonum mihi Domine*, canit Psaltes, *quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*. Hanc igitur culpæ nostræ pœnam toleremus & nostra tolerantiæ iuncta suspiria tum misericordiam Dei, tum hæreticorum malitiam expugnent.
Psal. 118.

II.

Iob 1. 1. Viuamus etiam in simplicitate *in medio nationis prauæ*, non secùs ac Iob, Abraham, Loth in terra Hus, Chanaan, & Sodomis.
Gen. 13.
Gen. 19.

Gen. 30. 2. Atque vt Iacob in domo Labani, Moses apud Iethro, Israelitæ in Aegypto peregrinantes.
Exod. 2.
Exod. 5.

3. Qui

3. Qui tres pueros è fornace Babylonica, Danielem è leonum lacu, incolumes sospitesque eduxit, puros nos inquinatosque media in contagione conseruare poterit. *Dan. 3.* *Dan. 14.*

Ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior, dant tela locum, flammæq; recedunt. *Virgil. 2. Aeneid.*

Si Deus pro nobis, quis contra nos? si *in simplicitate cordis coram eo ambulemus*, nullus nobis præualere poterit aduersarius. *Rom. 8.* *3. Reg. 9.*

4. Probam exemplaremque vitam, palàm, apertè, ante omnium oculos, quasi domibus patentibus, & vndiquaque omnium visui expositis, vt Romanus ille, viuamus, & *abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma* schemataque *lucis*, & maligna ipsorum vigilantia sinceritatem nostram ad bene viuendum velut exstimulet, demusque operam, vt nigricans falteatur inuidia, se, quamuis coactam, impediri non posse, quin in nostras prorumpat laudes. *Simus igitur simplices sicut columbæ.* *Rom. 13.* *Matt. 10*

III.

1. Sed etiam *prudentes* (ad tertium deuenio punctum) *sicut serpentes*; qui cauti ac subdoli sunt, & ad solem, quas in cauernis terræ contraxêre humiditates, oportunè expurgare norunt: *Aenei. 2.*

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus
Iam positis nouus exuuijs, nitidusq; iuuenta
Arduus ad solem & linguis micat ore trisulcis.

2. Si ineuitabili quadam necessitate coacti cum hæreticis agere cogamur, magna cum prudentia illorum notemus errores, & tunc prudentiæ face accepta in manus, & *quasi per ignes*

Suppositos cineri doloso *Horat. li 2. od. 1.*

incedamus.

3. Sancta quædam diffidentia semper nos vigiles reddat, illorumque illices blanditiæ maiorem nobis, quàm minæ seueriores, timorem incutiant. canes timidiores magis allatrant, quàm mordeant: qui mali sunt, inter adulandum pungunt.

4. Si quā è suo Dei verbo reformato promulsidem ac specimen depromunt, vti suam balæna vmbram, ad te attrahendum, ac deinde illectum deuorandum id fieri scias. Procul ab hisce monstris fugite.

5. Sophisticum id aurum est fulgens quidem, sed nullius pretij: quod nimirum tandem ex ipso vel expositionis, vel interpretationis camino falsum esse patebit. nummus hic adulterinus est, nisi sensu expositioneque veræ Ecclesiæ ceu imagine signatus sit.

6. Hisce nimirum pallijs peruersas nouitates suas contegunt, & serpentes sub floribus occultant. *fugite hinc pueri, latet anguis in herba.* *Virgil. eclog. 3.*

7. Si specioso hoc, *verè reformatum est*, titulo sese insinuent, mementote, obsecro, ventos molliores ac fractos esse periculosissimos, grauiora causari mala, & plura rheumata, quàm austerissimos & acutissimos aquilonis turbines.

Leuit. 11. 8. Habent hi cycni verborum pennas candidas, at carnem nigricantem: quod animal à suis olim sacrificijs exclusit Deus.

1. Reg. 26. 9. Numquam Sauli Dauid voluit fidere, tametsi *filij* nomine ab illo diceretur; sed non aliter, quàm vt ipsum comprehenderet & insidiaretur.

2. Reg. 11. 10. Ipse etiam Dauid tum Vriam complectebatur amiciùs ac beneuolentiùs, cùm mortem illi machinabatur.

11. Piratæ, quò naues mercatorum incautas intercipiant, fallaces in littoribus excitare solent ignes, ad quos se mercatores imprudentes per noctem recipiant; quos deinde illi exspoliant. haud dissimilis hæreticorum insidiandi ratio est. quid?

2. Aenei. ----*putasne*
Dona carere dolis Danaûm?

2. Reg. 13. 12. Saul in tabernaculo semper aquiminale atque hastam habebat ad latus: ita numquam hæretico speciosi ingressus apparatusque deest aqua, sed iuxtà est etiam perniciosi intellectus lancea. Næ ille insignis,

gnis, qui adinstar Dauidis, sat habet scientiæ ad falsitatis illi hastam eripiendam, & propriæ confusionis ac turpitudinis aquam illi relinquendam.

13. Si fortè incautis vobis de pestilentibus illorum libris quispiam in manus incidat, maiori longè hîc opus est vigilantia, & cautela prudentiori ab insidiosa hac pedica fugiendum: quin imò Vulcano & in malam crucem detis, suadeo. ad quid enim spinosi illi sentes, serpentum cunabula, conducunt, quàm vt ignem foueant & alant?

14. Mementote illorum folia esse ceu Asphaltitica, quæ sub specioso quodam apparatu serpentes fouent: & tum

Improuisum aspris veluti qui sentibus anguem Aenei. 2.
Pressit humi nitens, trepidusq́; repentè refugit,

vipeream hanc scripturam in flammas abijcite.

15. Atque, vt in Melite Insula Apostolus Paulus, qui vos mordere conatus est, anguem in ignem decutite. *Quoddam pietatis est genus, hic crudelem esse.* Act. 28.

16. Si ignem hunc Græcum asseruetis, nullis is aquis (ita pertinax est) poterit exstingui: solus cinis hunc exstinguere ac sopire potest. *Montium fundamenta comburit.* Psal. 17.

An non Arrius, tum propria abreptus ambitione, tum libri cuiusdam Sophistici lectione in errorem ductus est, & mouere Ecclesiæ bellum cœpit?

17. Non pauci, dum Sublimatum componere conati sunt, sibi ipsis intulêre perniciem; & dum lucri & emolumenti spe inceperunt, detrimenti metu abstinuerunt.

18. Incidet fortè contemptus quidam libellulus, quem potiùs explodatis, quàm vt is nocere cuipiam queat. Parum refert, memineritis muris illius, qui Brasidam generosum illum Græcorum ducem mordere non dubitauit.

Ouid. *Parua necat morsu spatiosum vipera taurum,*
A cane non magno sæpè tenetur aper.

19. Hic muscæ fiunt elephantes; hic acini crescunt in arbores.

20. Sentina nauis guttatim oppletur, nauimque prægrauata demergit, nisi sæpiùs exhauriatur & vacuetur.

21. Vinum cicutæ antidotum est: sed illi immistum, virus est perniciosissimum. Veritas mendacij pestis & mors est, hæc vbi ab inuicem disiunxeris: sed inuicem commixta, vti in hæreticorum fit libris, (in quibus semper inter duo cruda & falsa aliud occurrit maturum ac verum) mors est.

22. Naturalis huius proprietatis causa est, quòd, cùm vinum cor dilatet, virus ipsum longiùs penetrare faciat: sic veritas nonnisi inter nebulas transparens erroribus admittendis viam aperit.

23. Si verò aliquatenus plus sapias quàm turba, adeò vt, solis in morem, sordes has intaminatus percurrere possis: obserua cum prudentia ac iudicio hocce hominum genus, vt optimè notat Tertullianus, Poëtis & Philosophis antiquis planè contrariari, veritatem nonnisi in vanitate docentibus. Quod enim de diluuio Deucalionis, de lapsu Phaëthontis, alijsque id genus rebus hi commenti sunt, quid sunt, obsecro, aliud, quàm veritates quædam è Pentateucho fabulosis inuolucris propositæ? sed Nouatores è contra *vanitatem in veritate docent*, verbo, vt quidem apparet, credentes, sed reipsa negantes, vel, verba falso contrariove sensu exponentes.

In Apolog.

Ouid. 1. & 2. Metam.

Matt. 26. 25. E verbis illis sole centuplo clarioribus, *Hoc est corpus meum*, hocce procudunt contradictorium, *Hoc non est corpus meum.* & quam ob rem? quia illis ita visum, in quo ictericis illos aio persimiles, non alios in re qualibet colores intuentibus, quàm quos malè affecti eorum oculi præferunt.

26. Ac

26. Ac, teste Hieronymo, Balthassarem regem imi- *Dan. 5.*
tantur, in sacris templi vasis concubinis suis ac me-
retricibus vinum porrigentem; dum prauas suas o-
piniones & affectus sinistros Scripturæ verbis osten-
dendo colorant.

27. Falsarum opinionum & errorum suorum, quos *1. Reg. 19.*
pertinaciter adorant, simulacra vestibus Dauidis
circumdant.

28. Ac diabolus, ipsorum magister, in *petram scan-
dali* & offensionis *lapidem* illis vertit *ædificationis*,
sacram inquam Scripturam, & longè alia in hac
eos videre facit, quàm reuera verba sonant, ad
hoc mendacem quandam adhibens dioptram, quæ
quod rectum est, obliquum & incuruum apparere
facit.

29. Sic per Solem, Lunam, aliasque creaturas, quæ *Basil. de*
ceu scalæ sunt, quibus ad creatorem colendum ho- *vera*
mo inuitetur, mortales ad idololatriam, vero Deo *virginit.*
neglecto, exercendam pellexit, has ipsas illis ceu
numina quædam adorandas proponens: sic dum
per sacram Scripturam ad Dei cognitionem homi-
nem perduci oporteret, is efficit, vt ex eadem erran-
tes ipsum discant non agnoscere, imò verò totis illi
viribus aduersentur.

30. Fraudem porrò & venenum librorum ipsorum
non aliter agnoscetis, quā virulentum Heracleensium
mel dignosci solet, quò ab eo sibi comedens caueat.
Prædulce siquidē id est, ob magnā apud Heracleam
aconiti frequentiam, à quo ipsum etiam mel viru-
lentiam attrahit: ad eumdem modum nihil adeò
adulterinum, fricatum, coloratum, quàm hæretico-
rum libri.

31. Mel hoc vbi quis comederit, vertigine capitis
laborare incipit: sic horum librorum lectio legen-
tem nutare in fide facit.

32. Ad hæc tumorem quemdam causatur: hæc le-
ctio proprij iudicij peruicaciam, præsumptionesque.

Psal. 37. 33. Visum turbat: sic hæresis occæcat. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecũ.* Demum in amaritiẽ transit: sic hæc phantasmata imbibita pœnitentiam & inquietem in hæreticorum mentibus pariunt.

34. Optimum est, eius farinæ scripta domo expellere, non enim visitari à Deo possumus, quamdiu inimicorum eius arma apud nos occultamus, vti olim Cyriacum Abbatem Nestorij libros clàm in cubiculo habentem Beatissima Virgo apparens in somnis admonuit; vti pluribus videre est (& est reuera historia digna quæ notetur) in Prato spirituali Sophronij. *Cap. 46.*

IV. 1. Si illos igitur fugere non fugiendo, & cum ijsdem viuere sine vllo tamen commercio intimo aut familiariori volumus; magna hîc hauddubiè fortitudine opus erit. *fortitudinem meam ad te custodiam.* *Psal. 58.*

2. In quo Monachum Pambonem imitari oportebit, nullam in facie mulierem, ne quidem matrem, vel sororem suam videre volentem.

3. Dices, Consanguineus est, vicinus est; ergone fugiam? respondeo, si modò contagione infectus est, omnia in tetra hac lue deserenda sunt. *Iusti assument pennas, sicut aquilæ; volabunt, & non deficient.* *Isaiæ 40.*

4. Solius Mezentij est

Aenei. 10 *Corpora corporibus coniungere mortua viuis.*

qui autem in fidei puritate & sinceritate viuunt, nihil commune aut commercij cum ijs habent, qui veritati fidei mortui sunt.

5. Vacillationis & Sophistices scabiosa prurigo contagione contrahitur.

6.7.8. Lilium nimis manu contrectatum marcescit; speculũ halitu afflatum inobscuratur; & aqua lympida, si bufo insederit, inficitur. hæc eò dico, vt ostẽdam fidei virorẽ nitoremq; si nõ penitus emoriatur,

com-

commercio & conuersatione cum hæreticis semper nonnihil emarcescere & languidiorem reddi.

9. Caper est, arbustum & fruticem, cuius gemmas depascitur, ob dentium virulentiam enecans.

10. Leo est, cuius dens si quam carnis partem tetigerit, eam ilicò computrescere facit. *Cane* igitur *peius & angue* fugiendi sunt.

11. Mandragoræ eminus odor perceptus nihil nocet; sed potiùs suaui quadam, quam spirat, fragrantia recreat: cominus verò si quis olfaciat, mirus odorantem sensuum stupor, & capitis grauedo quamprimùm corripit. Malum non est inter hæreticos, & apud eos agere, modò ad eosdem non accedamus propiùs: at frequentior & familiarior cum ijsdem conuersatio non nisi magnum afferre detrimentum & animæ perniciem potest.

12. Quatuor hasce perfectiones in hodierno nobis Euangelio Saluator proponit. Primò quidem patientiam, dum Iudæorum, sibi necem machinantium & ruinam, violentiam ęquanimiter tolerat. Secundò simplicitatem, dum placidè pacateque in Galilæa versatur. Tertiò etiam prudentiam, illorum se furori obijcere nolens, cùm haud dum sua venisset hora. Quartò denique fortitudinem, quòd nequidquam frendentibus & sæuientibus aduersarijs, ad festum ascenderet, illorumque se manibus subduceret. Quem si imitemur, *colligemus de spinis vuas, ac de tribulis ficus.* & *faciemus cum tentatione prouentum*, & ex hæreseos imperfectionibus nostræ perfectionem fidei educemus. *Matt. 7. 1. Cor. 10*

FERIA IV. POST DOMINICAM PASSIONIS:

De æternitate.

HOMILIA XXXI.

Et vitam æternam do eis. Ioan.10.

Cic.de diuin. QVOD de Deo rogatus reſpondit Simonides, id ipſi de æternitate dicere poſſumus; quò de eadem diutiùs cogito, eò mihi rem videri obſcuriorem, pluraque de eadem cogitanda occurrere. Quem enim in eo reperiamus exitũ, quod nec initiũ habet, nec finem? Circulus quippe eſt, cuius centrũ continuũ quoddam præſens eſt, & cuius illuminata circumferentia præteritum complectitur & futurũ. Quo videri queat oculo aut penetrari, quod terminum non habet, non limitem? Diuina tamen auxiliante gratia hãc nos abyſſum vrinare in hac homilia, quã ſuper hæc Euangelij noſtri verba, *Vitam æternã do ouibus meis, & non peribunt in æternum*, cõcinnabimus, quà poſſumus conabimur; declarãtes 1. quid ſit tempus, 2. quid æternitas, eamque in duplicem, 3. Beatam ſcilicet ac felicem, 4. infelicem diſtinguemus. Attentis arrectiſque auribus eſtote.

Ioan. 10.

I. 1.2. Vt Geographi exigua in charta vniuerſam terræ molem nobis deſcribunt, & Aſtrologi parua in ſphæra omnes cœlorum motus & orbes repræſentant: ſic nos æternitatis infinitaté per tempus ipſum vobis exprimere ac depingere ſtudebimus, per facilium & intelligibilium cognitionem de incognitorũ & incomprehenſibilium ſcientia argumentaturi.

3. Quomodo verò de tempore, quod quid imperceptibile prorſus eſt, loqui ipſi poterimus, cùm & Magn⁹ Auguſtinus ipsũ ſe exprimere & intelligendũ

dare

dare posse neget? nihilominus lubricum hunc anguẽ *Lib.* 11.
ficulneæ frondibus complectamur, philosophicis il- *confess.*
lum adminiculis subsidijsque declarantes. *c.* 14.

4. Naturæ genius ipsum sic tempus definit, *Est mẽ-*
sura motus. Nonnemo sic: *Est continuus & successiuè de-* *Lib.* 4.
currens momenti defluxus. Nonne hoc pacto ad De- *Physic.*
mocriticos descendimus atomos, cùm in rebus tem-
poraneis id sit momentum, quod in corporibus geo-
metricis punctum indiuisibile?

5. Diuisio illius communissima est, in præteritum,
præsens & futurum: quas partes per tres Chari-
tes, temporis filias & memoriæ, figurabant veteres.

6. Inane prorsus est Sophisticum illud Stratonis *Lib. ad-*
argumentum, quod & Sextus Empyricus resuscitat, *uers. Ma-*
quo, quidquid est in rerum natura, subuertit, scilicet *themat.* 5
nullum omnino esse tempus, nullum omnino motũ: *Arist.* 4.
quòd tempus præteritum, inquit, non amplius iam *Phys. c.* 11
supersit, præsens nonnisi instans quoddam sit momẽ- & 13.
taneum, quod exprimi penitus nequit, adinstar hy-
drargyri semper diffluens, vt non percipiatur; futu-
rum denique nondum sit: Nullum igitur tempus est.
Rursus sic argumentatur: Quidquid motum habet,
vel in eo, quo est, loco mouetur, vel in loco, vbi non
est: non quidem in illo, non mutando peripheriam:
nec etiam in hoc; nam reuera non est: ergo nullus om-
nino est motus. Sed hæc captiosa sunt dilemmata.
præsens enim tempus cum intensione quadam capi-
tur, & motus fit cum motione loci, in quo sumus, ad
eum, in quo non sumus. meræ itaque nugæ & telæ ara-
nearum sunt, quibus nonnisi simpliciores implican- *Lib.* 11.
tur & captantur. *Confess.*

7. Egregiè Augustinus: *Præteritum memoriâ conci-* *c.* 10.
pimus, præsens per apprehensionem, futurum verò per e- *Arist. l.* 4.
iusdem & videndi & habendi spem. *Phys. c.*

8. Bene etiam docent Magistri, propriam temporis 14
mensuram primi mobilis cursum esse: nam vltra hoc *D. Tho.*
non datur nisi æternitas. 1. *q.* 10.

9. Ipse etiam in Apocalypsi Angelus testatur, post *artic.* 6.
sæcu-

Apoc. 10 sæculorum consummationem, cœlorum motu iam desinente, *tempus non fore amplius.*

10. Tempus cursor est indesinenter currens, quique incessanter Esse nostri labilis fundamenta subruit.

Ezech. 1. 11. Animalibus id Ezechielis persimile est semper ambulans, *& non reuertens.* Et vetus Poëta canit, *volat irreuocabile tempus.*

Virgil. 3. *Georg.* 12. *Omnia* consumit & *edit*; non secùs ac lima, & il-
Ouid. 15. lisu quodam insensibiliter sensibili robustissimos
Metam. quosque subuertit.

13. Nulla auaritia laudabilis, præterquam tem-
Lib. 9. poris, ait Seneca: quòd *dum habemus*, scribit Aposto-
epist. lus, *bonum operemur: veniet* enim *nox, quando nemo po-*
Gal. 6. *terit operari.* ipsum *momentum* est, *vnde dependet æternitas*, vel beata illa vel infelix.

14. Næ ille miser, qui acceptum ad salutem suam operandam tempus, ad exitium sibi & damnationem
Psal 118. conciliandam impendit. *Tempus faciendi, Domine,*
II. *dissipauerunt legem tuam.*

1. Vt porrò à tempore ad æternitatem transeamus, notemus necesse est, omnia tam supernaturalia, quã naturalia triplicia esse: alia quippe nec principium habent, nec finem; alia principium, non finem; alia & principium & finẽ. In primã classem solus referẽdus Deus est; hinc fallitur Aristoteles, dum in eamdem etiam mundum refert. Secundi generis sunt Angeli, animæ, & corpora à morte resuscitanda. Tertij deni-
Lib. de que creata omnia interitui obnoxia.
mundo. 2. Dei esse semper præsens est. Nam, teste Philone Iudæo, *in æternitate non est præteritum, nec futurum.*
Psal. 101. *Ipse idem*, vt canit Psaltes, *est, & anni eius non deficiunt.* at creata omnia intereunt, *& sicut vestimentum veterascunt.* Quidquid enim sub cœlo est, suum *ha-*
Eccl. 3. *bet tempus, & spatijs suis transeunt vniuersa sub cœlo.*

3. Verùm, ne Androcidę pictoris imitemur ineptiã, qui cùm scyllæ voraginem effingere nõ poterat, maiori pisces & vicina littora exprimere arte satagebat,

bat, quàm abſorbentes horribilis huius abyſſi vndas;tempus eiuſque partes relinquamus, vt,quid ſit æternitas,propiùs inſpiciamus.

4.Quam dum intueor,oculi mihi caligãt;dum infinitatem hanc contemplor, viſus obſtupeſcit; hoc præcipitium dum conſidero, vertigine capitis mens emouetur: quam qui cogitatione comprehendere nititur,ille, iuxta viſionem S.Auguſtino de ſublimi SS.Trinitatis myſterio ſcribere volenti oblatam, Oceanum vniuerſum concha quaſi includere conabitur:ſiquidem abyſſus hæc inſcrutabilis nec fundum habet,nec littora: & eam qui rimari volet vel deſcribere,quaſi futili oceanum vorticoſum cymba cōſcendet, exiguo cœlum ſtramine metietur, & innumeras littoris Lybici arenas numerabit.

5. Qui medio in mari in ſublimi nauis reſidens carcheſio niſi cœlũ vndiq; & vndiq; pontũ cōſpicit, tãetſi omnia,quæcumque videre queat oculus, videat; maris tamen is nec profunditatem nec immenſam cæleſtium orbium vaſtitatem comprehendit: ſatis eſt,ſi vel perbreuem horum ſuperficiem videat. Vtrumque vt ſimul polum conſpicari nemo poteſt, ſic nec id,quod principio & fine caret.

6.Mentis conceptio, vti & corporis viſio,cùm limite certo non continetur,perditur.

7.A finito ipſum comprehendi infinitum nequit: ſic in hac materia ingenij noſtri acies;ſicut bubonum oculi ad radios ſolares caligat.

AEternitas, quaſi arithmeticorum *Zero* eſt, quod numeros in infinitum innumerabile poteſt extendere.

9. Ipſa vt orbitæ circulus & rotunditas,quæ nec initium habet, nec vſquam terminatur.

10.Vnde etiam AEgyptij deorum ſuorum æternitatem angue in orbem retorto, & caudam capiti inferente exprimebant; quo denotabant ſymbolo, vt nullum erat illis natiuitatis initium, ſic nullum interitus fore finem.

11.Multò

11. Multò minor est inter tempus & æternitatem proportio, quàm inter tempus, quo in vtero materno viuimus, & centum annorum vitam, quid dico? imò minor, quàm inter microcosmi & megalocosmi durationem, quid rursus dico? sed nondum dico totum. Quæcumque mente fingitur temporis duratio, quam habere illa cum ea, quæ comprehendi nequit, similitudinem potest?

12. Egregiè Theologi tempus & æternitatem ab inuicem distinguunt, aiunt enim, hominem primum in innocentiæ statu habuisse *posse mori, & posse non mori*; deinde verò tam ipsum quàm vniuersam eius posteritatem habuisse *posse mori & non posse non mori*; beatos demùm habituros, *posse non mori, & non posse mori*; damnatos; *non posse mori, & non posse non mori*. Quæ ponderari & examinari meretur distinctio.

Magister 2. dist. 19

13. Denique vt hanc de æternitate partem absoluamus, satis fuerit dixisse, eam durationem quamdã esse, quæ nullum habet principium, nec vnquam terminabitur.

AEternitate inquam, quæ tot animarum sanctarum conuertendarum fuit occasio ac causa, quas lõgum hic foret recensere; vt SS. Catharinarum Genuensis & Senensis, atque inprimis S. Augustini, quemadmodum eiusdem è Confessionibus legenti manifestum fit.

III. 1. At æternam animæ illæ, diuino amore incensæ, felicitatem sibi quàm maximè proponebant. Vnde Psalmistes, *Inclinaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas in æternũ propter retributionem.* quem etiam affectum spirat psalmus totus, cui initiũ, *Quàm dilecta.*

Psal. 118. *Psal. 83.*

2. Beata Mater Teresa de Iesu incredibili se in vita sua scribit gaudio perfundi solitam, quoties tremendo in sacrificio recitari audiret, *Et regni eius non erit finis.*

3. Tunc scilicet *mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, omnis abstergetur lacryma,*

Apoc. 21.

cryma, ibi *non esurient, neque sitient amplius, nec cadet* *Apoc.7.*
super illos sol, neque vllus æstus. omnia quippe vitę huius mala velut inanis & picta quædam vmbra præterierint.

4. *Mater nostra Ierusalem* cœlestis ab omnigena *Galat.4.*
miseria *libera* est; & ex æternæ durationis adamante ædificata est in *fundamentis* locatis *in montibus sanctis* *Psal. 36.*
& immobilibus.

5. Beatitudo quippe arca est fœderis ex incompu- *Exod.25.*
tibili ligno setim compacta.

6. Laquearia eius ex incorruptibili constant cedro. Est ibi, inquit Augustinus, *vita viuens*, cùm hic nonnisi vita sit moriens, aut mors viuens.

7. Beata hæc æternitas egregiè est in fonte illo viuo *Gen.2.*
& incessanter è terrestri paradiso prorumpente adũbrata; aqua scilicet perennis est nunquam intermoriens.

8. Nec non in lauro arbore illa triumphali, semper virenti, nec fulminis telo peti solita.

9. Nulla ibi temporis subducitur ratio, non anni distinguuntur, non variæ eorumdem tempestates, non dies, non horæ. Hæc etiam causa est, cur Angeli, cælestes illi incolæ, iuuenescente semper exprimuntur facie, quòd nunquam senescant, in vno permanẽtique indeficientis felicitatis esse perseuerantes; qui
& semper *cantant canticum nouum*. *Apoc.7.*

10. Hebe, vt fabulantur Poëtæ, deorum erat pocillatrix, hæcq; illis nectar, ambrosiam ac nepẽthes propinabat. Hæc ætatis semper vegetæ, virentis, & numquam senescentis deficientisque, quam inanib⁹ suis numinibus affingebant, imago erat.

11. Sanctiori veriorique quodam accentu Patrem æternum sic filio suo æterno loquentem inducit Psal-
tes, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Cõtinua hisce *Psal. 2.*
verbis Theologi declaratur generatio, qua in diui-
nis Pater filium generat, & illud *hodie est in principio*, *Isa.53.*
& nunc & semper. Quis tuam, Deus æterne, *generationem enarrabit?*

Anne,

Anne, ô optanda felicitas, dierum nostrorum momentum ad tuæ æternitatem durationis comparandam sufficiat? Ah infinita Creatoris mei bonitas!

IV. 1. Quid verò de miserabili illa & infelici æternitate dicemus?

AEneid. 2 *Quamquã animus meminisse horret, dictuq; refugit, Incipiam.*

Stolida & ab omnibus explosa est phantastica illa & erronea Origenis, cui sua fuit exitio ingenij sublimitas, sententia, qua diuina abutens misericordia, & magno vice versa iustitiæ illius præiudicio persuadere conatur, tandem post longa sæculorum multorũ spatia damnatorum animas & cacodæmonas infernalibus carceribus educendos, cælorumque gloriæ participes futuros. Quæ sententia & Extrauagans tũ sacris Litteris, tum Patribus orthodoxis & rationi directè repugnat.

Matt. 25. 2. Extremi iudicij sententia sic feretur, *Ite maledi-*
2. Thess. 1 *cti in ignem æternum.* Et Apostolus damnatos ait *pœ-*
Apoc. 14. *nas daturos in interitu æternas.* Et Ioannes, *Tormenta illorum* durabunt *in sæcula sæculorum.* S. Iudas dæmo-
Iud. v. 6. nes tradit *reseruandos in caligine vinculis æternis.* S.
Marc. 3. Marcus denique, eos qui in Spiritum sanctum peccaturi sunt, in æternum criminis sui veniam non consecuturos, sed in sempiternum reos futuros. Quid? Sunt & alia sexcenta id genus testimonia.

3. Prætereo hic innumeras Sanctorum Patrum sententias, qui vnanimi omnes consensu huic veritati subscribunt. Instar omnium erit S. Athanasij symbolum, in quo hoc epiphonema habemus, *Qui bene egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem sempiternum.*

Isa. 33. 4.5. Tunc scilicet damnati *habitabunt cũ ignibus deuorantibus*, & sine consumptione vlla penetrantibus, *& cum ardoribus sempiternis*: pares futuri perfuso Danaidum dolio; doloribus semper oppressi & oppleti, nullam verò miseriarum suarũ finẽ reperturi.

6. Cor-

6.Corporaque illorum fabuloſo Promethei ieci- *Propert.* nori in veritate haud diſſimilia erũt, ſemper corroſa, *lib. 2.* & ſemper denuò corroſioni nouæ renaſcentia; omni etiam bono mortua, at ſolummodo malo viuentia.

7. AEternæ quædam erunt & incombuſtibiles in terræ centro lampades, quæ hiſce in tormentis tamdiu viuent, quamdiu Deus futurus eſt Deus, id eſt, ſemper, ô longum ſemper!

8.9.Erunt item in fornacibus illis æternis ceu lapides asbeſti & inconſumptibiles; Salamandræ quoque & pyrauſtæ in flammis illis ſulphureis, ab ardẽti *faciei* diuinæ torrente *ſuccenſis*, perpetibus in do- *Thren. 1.* loribus viuentes.

10. Inceſſanter hic culparũ ſuarum fœnora & incrementa perſoluẽt, capitali ſumma ſemper integra nihilominùs perſtante. quin imò inſigne *diuinæ miſericordiæ* argumentum erit, *non conſumi*. Immenſa hæc bonitas eſt, quæ in ſeueriſſimis etiam iuſtitiæ illius ſupplicijs ſemper eluceſcit.

11. Non hîc minutim conſector ſpiritualium ſcriptorum, & imprimis pij viri L. Granatenſis, quibus terribilem hanc æternitatem exprimere ſtudent, cõceptus, quos concionator non ineptè pro concione proferat: 1. lacrymula vna ſingulis vel ſæculis effuſa antè mundum repleret vniuerſum, quàm ſuorũ tormentorum ſine fine finem damnati viderent, 2. antè auicula vniuerſum aquæ elementum conſumpſiſſet, nonniſi poſt annos millenos vnam inde educendo guttulam, quàm infiniti huius daretur finis. Quid *Pſal. 48.* ergò? *In inferno nulla redemptio. ſepulcra eorum domus illorum in æternum.*

Hactenus declarauimus, 1. quid ſit tempus, 2. quid æternitas, 3. beatæ felicitatem, 4. infelicis calamitatẽ deſcripſimus. Deo ſupplicemus, cariſſimi, vt adeò vtiliter vitæ noſtræ impendere valeamus tempus, vt hoc nos momentum ad æternitatem conducat, & è fructibus, quos fecimus pœnitentiæ, & gnauis villicationis operibus, magnus ille Paterfamilias nos *Ioan. 10.*

tales agnoſcat oues, quibus æternam præparauit vitam, & quæ in æternum perituræ non ſunt.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS:

De pœnitente peccatrice.

HOMILIA XXXII.

Erat mulier in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

PHRYNE ſcortum, feralis illa iuuentutis Atticæ peſtis, illecebris & lenocinijs ſuis tãtùm potuit, vt, quod aduerſus ipſam exilij decretum Areopagitæ tulerant, irritum fuerit & reuocatum. Videte hîc, vt Magdalene illa peccatrix, totius Ieroſolymæ, familiæ ſuæ, nec non vniuerſi Iſraelis opprobrium, ſancta ſua reſipiſcentia ſeueri illius Areopagitæ Ieſu Chriſti iuſtitiam inflectat, eamque in miſericordiam ac plenam peccatorum condonationem obliuionemque immutet. Hic diſertorum concionatorum campus eſt & ſtadium; ſed ab hac nos materia eloquentiam omnem excluſimus, in qua dicam, 1. non audere me de ſanctæ huius pœnitentis peccatis loqui, ne ſiniſtras fortè inſcius mentibus tenerioribꝰ impreſſiones inſtillem, 2. per modum deteſtationis dumtaxat, ſed 3. repentinam eiuſdem in genere conuerſionem, ac 4. eiuſdem ſingularia proſequar.

I. 1. Adeò lubrica & titillans materia eſt de carne ad concionẽ loqui, vt qui de eiuſdem imperfectionibus abolendis corrigendiſque agere velit, niſi id quàm aptiſſimè commodiſſimeque faciat, temerarij notam

Eccli. 13. vix effugiat. difficile *picem* eſt *tangere, & non inquinari ab ea.*

2. De hoc præſertim peccato qui loquitur, ſemper imbecilliorum & infirmiorum cerebro noxias & letales impreſſiones inſerit. hinc qui de eodem apud id hominum genus agit, lapides in aquam quietam conijcit, qui infinitos in ea circulos excitent.

3. Hac in materia concionatoris elucet prudentia, vti & confessarij discretio; ne scilicet noxiè ignaros doceant, quod salubriter ignorant, & chartæ illi virgini ac puræ fœdos inscribant characteres.

4. Hinc etiam orator antè dictus est *vir bonus*, quã *dicendi peritus*: nihil enim adeò *bonos corrumpit mores* quàm *colloquia praua*. 1. Cor. 15.

5. Ita hic se planè res habet, ac in fidei controuersijs; hæc quippe esca quidem sunt delicatior, vti castaneæ siluestres, sed ventosior, & quæ sæpè sinistrè accipitur, licèt dextrè porrigatur.

6. Numquam mihi se probarunt illi, qui candidam cathedræ huius veritatis (in qua loquor) simplicitatem abijciunt, vt fucum & mendacium eius loco inuehant: & qui sanctum Dei verbum sic conuestiendo adulterat, matronæ castæ meretricia circumdat schemata.

7. Institutis de pietate sermonibus tam parùm cõgruit verborum lumina, lenocinium & affectatiores illecebræ, quàm materiæ graui musica fractior & moduli Lydij.

8. Simplicitas hîc requiritur & modesta grauitas. adulterinarum & sæculariũ inuentionũ fuci profanis conueniunt sermonibus. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*: sacram Theologiam decent tantùm *quæcumque sancta, quæcumque casta, quæcumque pudica*. Matt. 11. Phil. 4.

9. An non sponsæ *labia vittâ coccineâ* redimita & reuincta sunt? quo schemate verborum illius pudor declaratur & modestia. Cant. 4.

10. Hæc idcircò visum est præmittere, fratres, vt, si fortasse exspectetis, vt peccantem Magdalenam fœdis suis depingam coloribus, (quales fortè alij Ecclesiastæ, me longè disertiores, vobis depromerent) vanam hanc vobis spem eripiam.

11. Nam præterquam, quòd simplex meum dicendi genus tam floridas affectatasq; descriptiones nõ ferat; equidem mihi persuadeo, nõ minimã hoc pacto

à me grauitati Dei verbi, quod *vobis annuntio, non in*
1. Cor. 2. *sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus & virtutis*, iniuriam irrogatum iri.

12. Denique adeò ipse imperitus sum chirurgus, vt forsitan, dum mederi vellem & curare, læderem potiùs & exulcerarem.

II. 1. Satius porrò est, tota animi corporisque contẽtione, omnibus viribus ac neruis in fœdũ hoc informeque carnis vitium, in firmum illum ab auerno &
Apoc. 9. puteo Apocalypseos euaporantem, cui Pœnitẽs nostra tam probrosè propudioseque vacabat, dicendo me inuehere.

2. Dolosa hæc & abominabilis voluptas per corporeas illecebras animæ abblanditur, tamque insolitis eam inescat modis, vt tandem hominem sui sectatorem, non secùs ac circæa pocula, in brutum ac pecudem transformet.

3. Ipsa, ceu fallax & noxia quædam Lothos veræ patriæ, cœli inquam, obliuionem menti ingerit.

Apoc. 9. 4. Et locustis Apocalypticis similis, speciosam præferens frontem, caudam contegit Scorpionis.

5. Atque, vt aspides, imperceptibili quodam morsu lethargicum quemdam soporem corpori vniuerso proserpendo instillat.

Virgil. 3. AEneid. 6. Harpyia est, quæ sub venusta blandaque facie fœdas egerit sordes, quibus honor omnis, fama, ac nomen honestum inquinatur & fœdatur.

7. Incantatrix Siren est, quæ illusorio suo cantu & præstigijs nonnisi nostrum molitur naufragium.

8. Ecquod verò funestius ac deplorabilius accidere naufragium, mulieri præsertim potest, quàm sanctum illud decus & honestatem, vnicum animarum honestarum elemẽtum amittere, sine quo illæ *viuen-*
Apoc. 16 *tes mortuæ sunt? quid* enim, vt ait quidam, *feminæ post pudoris sui iacturam reliquum est?*

9. Videte, quàm infame, odiosum & detestabile sit hoc vitium, quod ne nominari quidem meretur, cui contraria virtus vulgò *honor*, in sacris Litteris verò

san-

sanctitas nominatur. Hinc, *perficite sanctitatem*, id est, castitatem, scribit Apostolus, sine qua *Deum nemo videbit*. 2 Cor. 7.

10. Illorum & illarum, qui vitam amittere, quàm post decus illud vi amissum superstites esse maluerunt, exempla in historijs obuia sunt, & numero plurima.

11. Lucretia, Chiomara, Timoclea, Sophonisba, Spurina, Damocles, etiamsi in gẽtilitatis caligine vixerint, luculenta huius rei sunt testimonia futura. Liuius lib. 1. Plutarc. c. 21. de claris mulier.

S. Pelagia, mater itidem eius ac sorores, quas Sanctus celebrat Ambrosius, & Augustinus, in historia Christiana exemplo futuræ sunt, tam quidem planè admirabili, quàm parum imitabili, vti etiam S. Sophonia. Lib. de virg. 3. Lib. de ciu. c. 26. Euseb in hist. Eccles.

12. 13. Fugiamus igitur, fratres, probrosam hãc fœditatem, quæ quo omnis anima generosa decoratur decus & splendorem offuscat; fugiamus non facto solùm, sed & verbo, quin imò cogitatione. de cordis internaque animi puritate non minùs solicitè laboremus oportet, quàm de externa corporis. Neque enim sufficit corpore esse mundo, nisi simul *cor mundum* habeamus. Soli corui cadaueribus putiscẽtibus insident, sed columbæ interiora arcæ habitacula, nec non oliuam, cuius folia & fructus quamdã cordis repræsentant similitudinem, diligunt. Psal. 50. Gen. 8.

14. Deus bone, *qui stat, videat ne cadat*. Illustres illi viri è lubrico hoc lapsi præcipitio, Dauid, Salomon, Samson, Sichem, Amnon, Loth, euidentes infirmitatis nostræ sunt imagines, & certissima testimonia probatioque sententiæ illius Tullianæ, *Voluptas omnium malorum est esca*. 1. Cor. 10 2. Reg. 11. 3 Reg. 11. Iud. 14. Gen. 34. 2. Reg. 13 Gen. 19.

15. Ipsa quippe versutus architriclinus est, qui *vinũ quod deterius est, ponit*, cùm iam finis instat mensæ. *Vua eius, vua fellis, & botri amarissimi*. Ioan. 2. Deut. 32.

III. Pœnitens ergo Magdalis nostra, probri sui fœditatem horroremque ob oculos sibi ponens, tandem aliquando derepentè resipiscit, ac subita illa sui immu-

tatione vniuersos in admirationem rapit.

1. Hîc itaque verum esse comprobatur Stoicorũ illud paradoxon, *vno quempiam momẽto à vitio ad virtutem posse transire.* Si naturam spectemus, certè paradoxon est; at si gratiam, cuius actiones, vti & lucis vno effulgent momento; facillimum. *Deus* quoque, *qui dixit de tenebris lucem splendescere,* quique in ictu
2.Cor.4. oculi ex inuisibilibus nihili & non Esse cauernis creaturas quaslibet producere potest, & cuius *dicere*
Psal.32. *& facere,* posse & velle sororiant atque idem sunt, cùm vel aliquantulo temporis spatio pœnitentis huius cor tetigisset, subitò ac repentè eam immutat.

2. Si primi mobilis miremini velocitatẽ rapacitatẽque, cogitate ipsũ ab intelligẽtia quadã motrice tã celeriter impelli moueriqúe: si subitam Magdalenes mutationem obstupescitis, transcendentes diuinæ attractionis effectus animo simul voluite.

3. Iã igitur tota alia est, dicereq; cũ Poëta poterat,

Hinc procul esto Venus, procul hinc damnose Cupido,
Non sum, quæ soleo: nam mihi mens alia est.
Nam mihi iam crux est, quod delectare solebat:
AEternum vobis (cedite) dico Vale.

4. Ecce, vt velut alter Moses, affectuum, vel potiùs
Exod.32 infectionum suarum inordinatarum idola comminuat, eaque per pœnitentiæ cineres comminuta, vnà cum oculorum suorum lacrymis obbibat, *cinerẽ tã-*
Psal.101 *quam panem manducans, & potũ suũ cum fletu miscẽs.*
4.Reg.22 5. Ecce vt, quasi zelotes quidam Iosias, omnem corde suo idololatriam radicitus exterminet, & hoc Spiritus sancti templum adeò quidem profanatum à sordibus & abominatione omni expurget.

Exod.10. 6. 7. *Ne vngulam* quidem desiderij in peccati *AE-*
Ios.7. *gypto* relinquit; sciens, quàm Achani reculæ cuiusdam tenuis reseruatio carò stetisset.

8. Amorrhæum, Hethæum, & Iebusæum, &c. funditus delet; septem inquam illa peccata capitalia, in septem illis dæmonijs corpori illius insidẽtibus præsignata, omninò exstinguit & necat; & quæ pium illius ad terram promissam tendendi retardare desi-

derium poterant obstacula, abrumpit.

9. In Cilicia siquando dominorum cremabantur cadauera, vnà cum ijsdem & serui ad vnum omnes, & quidquid in vita vt carum possederant, in rogum injciebatur: seruorum porrò cremandorum mirus erat plausus & exultatio. Si ergò in Magdalenæ corde mundus sit mortuus, mirumne cuipiam videatur, si omnia seruitutis & obsequij, quo illi obsecuta est, argumenta amoris sui igne simul absumat?

10. *Effundit se velut aqua, cuius cùm præterierit non est inuenire vestigium.* Optabilis sanè aqua, quæ illius eluìt sordes, & abradit næuos. Gen. 49. Sap. 5.

11. Notate naturæ miraculum. terra, & quoddam luti genus, ab igne simul excocta, pellucidum clarūque fiunt vitrum: gratiæ verò miraculum est, peccatricis nostræ lutum ac sordes in purissimum notæ pœnitentiæ speculum conuerti.

12. Artis miraculū est, per pistillos & aquā affluētē panniculos nigros & sordidulos in chartā candidam transire: gratiæ diuinæ prodigium est, mulieris huius *peccata rubra sicut coccinum, super niuem dealbari*, & in niualem candorem commutari. Isa. 1. Psal. 50.

13. Sed videte simul, vt, quantum delinquendo offendit, tantùm se purgando puniat, *per ea* sese corrigēs, *per quæ peccauit*, & *exhibens membra seruire iustitiæ in sanctificationem, sicut exhibuerat seruire iniquitati ad iniquitatem.* Sap. 11. Rom. 6.

IV.

1. Nā (vt ad cōuersionis illius veniamus particularia) videte vt lasciuas oculorū suorum flāmas in pias cōuertat lacrymas, vt capillos tā vanè tortos & crispātes in lintea & manutergia, deniq; aromatica sua vnguenta in pietatis obsequia. Hæc ordine excutiamus.

2. Quàm, ô oculi superbi & sublimes, qui sex habetis cartilagines, quibus in altū efferamini, duas dūtaxat, quibus deprimamini, immutati estis! quid? à terra iam dimouere vos ipsos non audetis.

3. Oculi, qui antè omnia videbatis, vos ipsos verò minimè, iam ita ad vestri ipsorum considerationem

introrſum cõuerſi eſtis, vt iam nihil externorum deforis videatis.

4. Quomodo, ô oculi, ardentes adeò paulò antè pleyades, humidæ factæ eſtis hyades? quique omniũ cordibus ac ſinibus ignem antè laſciuum inijciebatis, quomodo in veſtri ipſorum tot lacrymarũ torrẽtes gremium iam effunditis?

5. Mali hi ignes, Deus bone, haſce produxerunt aquas, & bonæ hæ aquæ ſanctiores ſalubrioreſque excitabunt flammas, tuque, ô græce ſancti amoris ignis,
Cant. 8. medijs hiſce in profluuijs inardeſces. *Aquæ* enim *non poſſunt exſtinguere charitatis* ardorem.

6. Oculis, perhibent anatomici, duo hæc elementa adeò inter ſe contraria, ignem & aquam, inſidere: ille radiorum cauſatur emiſſionem, hæc ſpecierum receptionem: ex illo flamma, ex hac lacrymæ enaſcuntur.

7. Radij ſolares, dum plus æquo æſtuant, herbas adurunt & torrent, quas deinde ros recreat & refrigerat: En, vt hîc lacrymarum pluuiæ in pœnitentis noſtræ anima, quæ æſtuantiſſimis concupiſcentiarũ ſuarum caloribus emortua erat, gratiam rediuiuam exhibeant.

8. Videte, vt ignes & aquæ in eodem hîc concurrãt ſubiecto: ſic Venerem ſuam flammeam ex aquis maris prodire & naſci finxit antiquitas.

9. Admirabilis ſanè ſanctarum lacrymarũ eſt aqua, quæ hinc impuri amoris æſtum exſtinguit; illinc ve-
Cant. 1. rò velut *oleum effuſum* ſanctum amorem accendit.

10. Si pauca de vobis, ô generoſæ lacrymæ, dicerẽ, iniurius in vos exiſterem; ſi multa exiguo hoc di-
Lib. 17. cerem tempore, æquo prolixior. Dilatate eas, ſi pla-
Diuerſ. cuerit, ex illo, quem margo indicat, Diuerſitatum
c. 3. & l. loco.
29. c. 1.

11. Ad crines venio, feralia animarum parum cautarum vincula, prauorũ deſideriorũ cunabula, impudicitiæ nidos, Adonidis ſigna, vanitatis vexilla,

carnis

carnis venalis hederam. Olim quidem animas in captiuitatem abripiebatis, iam verò vndans, inculta, passa, & neglecta coma vestra sacros Iesu Christi pedes capit, irretit, & stringit.

12. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Qui* Prou. 1.
tamen *ambulat super pennas ventorum*, hunc ipsum Psal. 103.
vos irretitis & capitis.

13. 14. Lanuginem & detonsæ filiorum suorum comæ primitias Apollini offerebant Ethnici. Id dæmō scilicet per imitationem quamdam simicam sibi fieri volebat, quod veteres Mosaicæ legis Nazaræi Deo Num. 6.
optimo maximo: nam illi huic cæsariem alebant, & hanc si quando primò detonderent, eidem dedicabant.

15. Videte vt Nazaræa nostra Euangelica conuersionis suæ primitias à suarum auspicetur comarum oblatione? quod quidem obsequium prima specie vile & tenue apparet, sed reuera regia longè est dignitate excellentius.

16. Sancti sunt amoris peniculi, ac dignum plantis illis sacris, in animarum saluandarum ergô vltrò citroque commeando susceptis itineribus adeò eheu! defatigatis & defessis, abstergendis linteum.

17. Non eritis etiam ingrati, ô pedes: quæ enim suis vos modò irrigat lacrymis, non multis pòst diebus vestro irrigabitur sanguine, & gratiosa illa tergia pretiosum illud aroma imbibent ac redolebunt, quod mille redimendis mundis sufficiat in pretium.

18. Aroma inquam, quod pretiosorum illorum mihi memoriam refricat vnguentorum, quibus amans hæc pœnitens diuinos illos pedes, certissimū refugium suum, & omnis misericordiæ azylum, affluentissimè etiam hic perfundit.

19. Nunc scilicet reconciliata illa sponsa dicere
verè potest, *cùm esset rex in accubitu suo, nardum* suā Cant. 1.
odorem dedisse suauitatis. Nardus, humilis & odorifer quidam frutex, illius signum est humilitatis; quæ

cùm nonnisi comminuta fragrantiam suam edat, simplicem quoque illius indicat contritionem; quòd sit calida simul & humida, charitatem eius & lacrymas repræsentat; subobscurus eiusdem color verecundiæ & pudoris illius est nota; purgatiua denique virtus animæ eius emundationem purgationemque designat.

20. Videte hîc itaque, vt omnes illius fuci, cerussę, aquæ Angelicæ (diabolicæ potiùs) aquæ naphtheæ, ardentes, purpurissum, stibium, aliaque colorandi pingendique vultus artificia, quæ diserti hîc concionatores longa fastidiosaque serie ceu colores quosdam recensent, in sacras, misericordes & sepulcrales vnctiones transierint.

21. Sacras inquam: ipse enim corporis Iesu Christi contactus omnigenam causatur sanctificationem.

22. Misericordes etiam: hæc enim effusio opum in pauperes, qui propriè Saluatoris sunt pedes, elargitionem mysticè denotat.

23. Sepulcrales denique. Nam veteres Iudæi, & aliæ etiam gentes, mortuorum cadauera vnguentis & aromatibus condita in terra condere solebant. Hinc de hac ipsa Magdalenæ vnctione sic Dominus
Matt. 26. aiebat, *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*

Hæc sufficiant. E quibus, auditores, colligite, 1. noxium imprimis esse malas imbecillis mentibus impressiones dare, insculptasque relinquere, 2. quàm sit luxuriæ atque impudicitiæ carnalis vitium detestandum, 3. pœnitentis nostræ conuersionem in genere, 4. denique eiusdem partes singillatim examinatas.

FERIA

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS:

De hæreſeos malitia.

HOMILIA XXXIII.

Collegerunt Phariſæi concilium aduerſus Ieſum. Ioan. 11.

Et quoniam variant morbi, variabimus artes: Ouid. de remed.
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

VBI malum increſcit, duplicanda etiam remedia: vbi abundant ſcorpiones, abundant & antidota: nonniſi ægrè quis, graſſante contagio, ſine amuletis quibuſdam à peſtifera lue ſoſpes maneat. Iam antè de hæreticorum fuga diſſeruimus, hîc de hæreſeos malitia loquamur neceſſe eſt, quæ cùm 1. in fraudulenta vafraque conuerſatione, tum 2. in Scripturæ lectione ac tractatione, tum maximè 3. in falſorum ſcriptorum ſuorum productione elucet; quæ 4. ob ingentia, quæ ipſa gignit incommoda & damna, 5. ob euidentiſſimam, quæ nobis ex illorum, qui peſtilenti hæreſeos infecti ſunt lue, conſortij fuga accedit, vtilitatem remis veliſque fugienda eſt. Quorum omnium perfectiſſima imago Ioan. 11. eſt, quod in Miſſæ ſacrificio legi audiſtis, dilectiſſimi, Euangelium, in quo, *mutato nomine*, vafra hæreticorum aduerſus orthodoxos molimina, ſub Iudæorum in Saluatorem Ieſum conſpirantium nequitia ac malignitate manifeſtè deteguntur. Materiam auſpicor.

1. Malitia, quædam eſt animæ corruptio & per- I.
uerſio, quæ ceu deprauatus quidam & cachexicus *Vide Diuerſit.*
ſtomachus ſapidiſſimos quoſque cibos in prauos *li. 62. c. 7.*
humores conuertit.

2. 3. Har-

3. Aenei. 2. 3. Harpyia eſt, exquiſitiſſima etiam fercula inficiens. *Venenum* illa *aſpidis ſub* lingua habet, & *oua aſpidis* fouet. Omnes hæ qualitates hæreſi inſunt, vt cui cùm ſatis non ſit plenam ſe eſſe veneno, mirè etiam geſtit, quotquot ad ſe accedunt, quà poteſt, inficere.
Pſal. 13.
Iſaiæ 59.

4. Hyæna eſt, humanam effingens vocem, vt quoſcumque eiulatu mendaci ad ſe pertrahit, deinde deuoret.

5. Siren eſt, quæ nonniſi in exitium noſtrum cantillat.

6. Perſimilis ciconijs Niloticis, quarum ſuauis anhelitus inficit.

7. 8. Riſus illius Sardonius eſt, lacrymæ eius lacrymæ crocodili; illius amicitia par familiarum illarum Africanarum, quæ ſub amico beneuoloque vultu hoſpites ſuos incantabant.

9. Tum Iudæi mellitis Redemptorem verbis demulcebant, cùm mortem illi moliebantur: ita, dum hæreticus nobis adulatur, tunc nos decipere & in perniciem trahere connititur.

Pſal. 54. 10. *Sermones* illius vt *oleum* lenes; ſed *iacula* ſunt, quæ cuſpidem ferream in plaga relinquunt; & tela amentata, quorum acies ſpecioſa quadam, ſed fallaci ratione obarmatæ ſunt.

11. Illicia ſunt aucupum, quibus incautam volucrem in caſſes ſuos allicit.

12. Latrones illi, quos Seneca Philetas, vel alij Oſculatores vocant, viatores inter amplexendum & amicè oſculandum iugulabant.

13. Amplexus ſunt ſimiarum, paruulos ſuos nimis arcto complexu offocantium.

Matt. 26 14. *Quemcumq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*, dicebat ſceleſtus ille proditor Iudæis. quibus in verbis hæretici agendi modum contemplamini.

Ioan. 11. 15. Audiſtiſne ex Euangelio, *collegerunt* Iudæi *concilium aduerſus Ieſum?* Videtiſne vt lupi, etſi inuicem deuorent, & ægerrimè inter eos conueniat, inter

ſe

se tamen conspirent, vt miseram ouiculam discerpant ac lanient.

16. Videte scelestos illos senes, qui vt Susannæ pudori insidias struant, vel ipsius corpori necem moliantur, conspirant: sic summa connituntur opum vi hæretici, vt quamdam animam comprehendant, vt *circumueniant iustum*, vt denique infelicem aliquem, qui incantatorijs ipsorum carminibus aurem præbeat, suos in laqueos ac pedicas inuoluant. Dan. 14 Sap. 2.

II.

1. Vt verò faciliùs quod spectant consequantur, falsæ & erroneæ interpretationis viscus haud procul à speciosa bonæ scripturæ perperam intellectæ esca illicioque collocant, quæ, ex S. Augustini opinione, omnis erroris origo est.

2. Eaque ceu decipula ac laqueo abutuntur, ad deinde aues incautas captandas, aut excæcandas.

3. Vel vt speculo, ad auiculas, vocem mentiendo veram, decipiendas: *& per dulces sermones & benedictiones corda seducunt innocentium.* Rom. 16.

4. Adinstar Pseudoprophetæ Balaami, qui postquam Israeli benedixisset, Balaco Regi suasor & auctor fuit, vt ad fornicandum, Moabitidas immittendo, ipsum pelliceret. Non secùs agunt Nouatores, qui sanctam continentiam in fornicationem commutarunt, idque falso Euangelicæ libertatis camino & prætextu, & scriptura vna alteram oppugnantes; ac *scandalum in domum Israel mittunt*, inducentes ad crapulam & fornicationem. Num. 22. Num. 24 Apoc. 2.

5. Verum id, quod dico, esse exemplo vno illustrabo, & *crimine ab vno disce omnes*; obijciunt ex Apostolo, *Melius est nubere quàm vri.* nec aduertunt toto illo Apostolum capite perpetuum castitatis encomiasten & suasorem agere, matrimonium nonnisi *per indulgentiam* ob infirmitatem nonnullorum tolerando: quod te, carissime Lector, velim aduertere, & ruminare, tum tui consolandi, tum ministrorum, 1. Cor. 7.

rum, aut potiùs carnificum verbi Dei confundendorum gratiâ.

6. Addamus & hoc; Ven. Eucharistiam oppugnaturi statim illa S. Ioannis verba depromunt: *Verba mea spiritus & vita sunt.* In centum tamen & amplius illius capitis locis illorum errores iugulantur; ad quæ lectorem malim remittere, quàm huc ipsa afferendo hanc pagellam onerare. *Ioan. 6.*

7. Interim tamen, si sententiæ hæ malè intellectæ ad indoctorum aures accidant, statim multiplices in imaginatione ipsorum scrupuli orientur & dubitationes; non secùs atque in aqua stagnanti lapidis iniectu circuli.

8. Cantharidum & serpentium in morem, ex odoratissimis quibusque S. Scripturæ rosis venenum conficiunt.

9. Atque vt statuarij ex eodem ære, quod Regis antè imaginem referebat, turpissimi cuiusdam animalis effigiem efformabunt.

10. Sapia, piscis versutus, arena se condit, solamq; caudam exerit, qua, velut esca, paruos pisciculos attrahat: sic sub Scripturarum latibulo sese occultant hæretici, vt imprudētiores minusq; cautos decipiāt.

11. Amaras Doctrinæ suæ erroneæ pilulas verbis ipsarum speciosis inaurant, hoc scilicet vehiculo virus suum in stomachum legentium audientiumve traijcientes:

Lucret. lib. 6.

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Perfundunt suaui mellis flauoq; liquore.

12. Vel, vt S. Gregorius Nazianzenus ait, sicut venenata pocula cum suauitate quadam & dulcore temperantur; sic auribus se mendacium sub speciosa fallaciæ specie insinuat. *Lib. de fide.*

13. Sartores calcearij, fili sui spissioris extremum cuspide quadam solidiori obarmant, sed tenui; sic vt se ingerat falsitas, verisimilitudine quadam primum introitum suum communit, sed occultiori.

14. Meretrix illa Apocalyptica, hæreſeos imago, an non toxicum ſuum in aureo quodam poculo propinat? *Apoc. 17.*

15. Scriptura, quam allegat hæreticus, non iam ampliùs Scriptura eſt, ſed quoddam falſo malignæ ipſius interpretationis ſpiritu animatum corpus; nam ſcriptura quoad corpus & animam, quoad litteram & intellectum in ſola Eccleſia orthodoxa reperitur; qui ab alio quopiam eam accipit, panis loco ſerpentibus ſe paſcit.

16. Virga Moſis, extra manum illius, ſerpens erat. *Exod. 7.* vnde etiam profitetur Auguſtinus, ſe *ſcripturæ minimè crediturum eſſe, niſi ad hoc ſe Eccleſiæ compelleret auctoritas.* *Contra epiſt. fundam. c. 5.*

17. Manus omnis, quæ ſacrum & ſaccareum diuini verbi panem extra Eccleſiæ ſinum porrigit, leproſa eſt; intra quem vbi ſe recondiderit, vti factum manui Moſis, ab omni ſorde libera apparebit. *Exod. 4.*

18. Maſſa quidem bona eſt ſcriptura, ſed hæreticæ expoſitionis fermentum eam inficit & corrumpit.

19. Nec verò mirari eos oportet, cùm plenis buccis Scripturam crepant, Scripturam ſonant, multò etiam minùs cùm eamdem producunt. Auſus namque & cacodæmon eſt ad Redemptorem ipſum oppugnandum eamdem adhibere. *Matt. 4.*

20. Hoc quoque in Euangelio nefarius Pontifex Caiphas etiam paricidale & ſanguinarium ſuum propoſitum ſub Scripturæ cuiuſdam veritate occultat, dum velut vaticinans ait, *Oportet, vt vnus homo moriatur pro populo.* *Ioan. 11.* *Cyprian. epiſt. 40.*

1. Quid porrò de Scriptis hæreticorum dicemus? non ſecùs ea fugienda & deteſtanda quàm veſtes & domus peſtifera lue vel lepra infectorum. *Theod. in Pſal. 1. Aug. l. 2. q. in c. 40. Greg. l. 18 Moral. c. 9.*

2. Alioquin enim *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Atque excommunicationis latæ ſententiæ reus eſt, non qui eas legit modò, verùm etiam domi aſſeruans. *Eccl. 13.*

3. Tutum

3. *Tutum non est*, inquit D. Hieronymus, *apud serpentem dormire*: fieri potest, vt *te non mordeat, sed etiam fieri potest, vt mordeat.*

4. Maleficij ille nomine suspectus foret, qui virus aliquod apud se asseruaret; pharmacopæorum iuratorum quippe id proprium est. Soli doctores, & quotquot sufficientibus ad hoc doctrinæ instructi præsidijs sunt, sine vllo contagio, vt medici, hasce tractare sordes & maleolentes foricas possunt, ad easdem confutandas.

5. Ille ardentem quodammodo prunam sinu gestat, qui hæreticum aliquem librum in museio asser-
Eccl. 3. uat. *Qui amat periculum, peribit in eo.*

6. Rusticus ille, de quo in fabulis, serpentis frigore rigentis commiseratione tactus ipsum sinui imponit, quo frigida membra aliquantulum refoueret: vt primùm calere coluber cœpit, suo benefactori gratiam rependens, eum momordit & enecauit. Multi hæreticorum libros quoscumque occurrentes coëmunt, vt eos deinde flammis tradant, satis sibi esse
Exod. 7. constantiæ in fide rati ad ceu virga Mosaica alios serpentes deuorandos; sed, eheu! sæpè illaqueantur, aut saltem, iam illos flammis abolituri, vacillāt, tepent, excæcantur, scrupulisque quibusdam, quos vana ijs ingenerat curiositas, angi incipiunt.

8. 9. 10. Non omnium est serpētium dentes euellere, & cum ijsdem colludere: non omnes pharmacopæi theriacæ bene componendæ artem callent. Satius est nodum illum Gordium vno ictu præsecare, quàm incuolubiles illius & inexplicabiles nexus dissoluere conari.

Thren. 3. 11. Hoc in facto, non minùs quàm in peccato carnali, *oculus deprædatur animam nostram.*

Vt vidi, vt perij, sic me malus abstulit error.

12. 13. *In ipsis etiam libris hæreticorum quædam*, in-
Epist. 93. quit S. Leo, *hinc inde pietatis ac doctrinæ imago appareat: numquam tamen hæ viperæ veneno vacant.* Locu-
Apoc. 9. stæ sunt Apocalypseos, quæ speciosum renidentemque

temque præferunt vultum, retrò virulentam exerunt caudam.

14. *Miscent*, inquit Pontifex Gregorius, *hæretici bonum cum malo, vt hoc ostendentes alliciant, illud instillantes inficiant.* Illi persimiles, qui vna manu panem cani ostendit, & altera saxum tenet, eumdem obruturus. *Moral. l. 5. c. 11.*

Rumpunt, ædificant, mutant quadrata rotundis.

15. In horum chamæleontum scriptis omnigenos notabitis colores, præterquam candidum, qui veritatis proprius est. Sexcentis ab hoc scopo vijs aberratur, vna dumtaxat huc conducit.

16. Quando vatiniano aliquem odio prosequimur, hæc auersio ad vsque exosi etiam imaginem effigiemque se extendit: quare si errorem, prout oportet, detestamur, malè ominata etiam, quibus is continetur, folia detestabimur, nec antè quiescemus, quàm Vulcano consecremus, qui nobis ex infortunatis illis arboribus fructus nascentur: alioquin, si *dentes* in præcoces illas *vuas* conijciamus, ipsi *obstupescent.* *Eccl. 30. Ierem. 31.*

17. Si pestilentes mandragoras propiùs olfaciatis, ipsæ vos hauddubiè incautos nihilque minùs opinantes consopient, inque medullas vestras erroris lethargum ac veternum instillabunt.

18. 19. Quod librorũ genus, aiebat Isaias Abbas, qui legerit, seipse vltrò intoxicat. Statim ac volumina hæc gustaueritis, intellectus vestri *venter amaritudinem* præ stupore quodam & cœcitate sentiet. *Orat. 4. ad Monach. Apoc. 10.*

20. S. Ephrem cùm librũ hæreticum commodato accepisset, eiusdem folia ita conglutinauit, vt postea is nulli vsui fuerit; atque ita mulieri, à qua eum mutuo acceperat, nihil dicens reddidit.

21. Τῶν ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, dicitur adagio Græco, id est, hostilia dona, dona non sunt, aut saltem semper suspecta:

-----*Timeo Danaos vel dona ferentes.* *Aenei. 2.*

22. Quicumque vel vnum hæreseos labe infectum

Ibid. apud se librum admittit, equum Troianum quodammodo ad se introducit.

Tacitus. 23. Equus Seianius est, qui suos possessores etiam quoscumque infortunatos reddebat.

IV. 1. Atque vt veræ apiculæ, fœtores hos tum animatos, tum inanimatos fugiamus: aranearum quippè harum proprium est, fidei nostræ œconomiam sua intertexta tela interturbare, ac deuotionis mel, quod in animæ nostræ alueari ex odoratissimarum virtutum floribus colligendum est, suis fœtoribus corrumpere.

2. A scriptis eorum oculos, & ab importunis eorum clamoribus aures auertamus: per aurem siquidem anima intoxicatur & oculos, vti corpus per oris anhelitum.

3. Similes scilicet fumus capellis illis, de quibus Alcmæon loquitur, quæ per aures odorabantur.

Gen.24. 4. Rebecca Isaaci inaures per manum Eliezer accepit, vt hinc discamus, animę fideli aurem imprimis esse conseruandam, per quam cælestis ad illam

1.Reg.15. sponsi fides allabitur, cui aures & parentia sacrificio omni cariores sunt.

Psal.54. 5. *Obturemus* igitur *aures* nostras *incantantibus*

Psal.1. hæreticorum *fœnum in cornu habentium* verbis. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via pec-*

Psal.25. *catorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, Ecclesiam* fugiens *malignantium.*

6. Olea consita in scrobe, vnde eruta sit ilex, emoritur. Catholicus animæ vitam amittit, si in hæretici foueam inciderit.

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

V. 1. Hoc igitur pacto fugiendus hæreticus, idque ob damnum & noxam, quam afferre solet: porrò *damnum cessans est lucrum emergens.*

2. Vt enim lupus non alijs voce erepta rauim inijcit, quàm quos incautos occupat, & basiliscus alios non enecat, quàm quos primò videt; sic hæreticus

illos solùm lædit, qui ad eius incursum euitandum sese non disposuerunt.

3. In fabulis narratur petijsse ab auiculis ardea, cur se conspecta semper præ metu fugerent; Ne, intulerunt illæ, tu tandem accipiter fias; deinde nolumus ipsæ, te imitantes, tenebris assuescere.

4. Elementum quodque sua in sphæra commodè est, hinc si quando commiscentur, quædam in meteoris oritur confusio. singula separata vbi fuerint, omnia quieta sunt. ægrè nigro album admoueas vel affrices, quin inquines.

5. Ad castitatis tuitionem conseruationemque satius fuerit cum virorum agere nequissimo, quàm cum mulierum optima: nemo enim cum sexu simili conuersans tentatur. Vt verò quis puram intaminatamque custodiat fidem, longè magis profuerit, cum dissolutissimo colloqui Catholico, quàm cum hæretico moraliter bono: ille enim, tametsi malæ deprauatæque sit voluntatis, intellectu tamen sano est: at hic voluntatem habere rectam sinceramque nequit, cùm intellectu corrupto sit.

6. Anytus & Melitus, duo Socratis accusatores, vbi primùm iniqua ipsorum patuit insimulatio, adeò Atheniensibus facti exosi sunt, vt laqueo sibi vitam eripuerint. Si ab vnoquoque desereretur hæreticus, tum conscientiæ suæ rebus consulere inciperet, metueretque, ne *sepultura asini* sepeliretur. *Iere.22.*

7. Qui in magni pretij vase pretiosum electumque balsami gestaret liquorem, quàm is cautè gressum figeret, ne fortè incauto aliquo posito vestigio, collabens & vasis & liquoris simul iacturam faceret? Gestamus ipsi cœlestem fidei liquorem in fragili cordis vasculo; caueamus, ne hæreticorum impulsu & collisione ipsum confringatur, aut saltem collidatur.

8. Erat Redemptor hauddubiè non minùs in fide firmus ac constans quàm nos; è fine tamen Euangelij
Ioan. 11. colligere est, quomodo non ampliùs cum Iudæis agere voluerit, sed cũ discipulis in desertum Ephraim concedat.

Didicistis à me, 1. quàm versutè vafreque agant hæretici, 2. quàm fœdè Scripturam interpolent & corrumpant, 3. quantopere eorum sint scripta cauenda, 4. quàm noxia illorum colloquia fugienda, 5. denique quod è fuga ipsorum bonum sequatur.

9. Beatus porrò ille, carissimi, qui in terra Gessen
Gen 47. ita inter Aegyptios vixerit, vt nullum cum eorum abominationibus habeat commercium.

DOMINICA IN PALMIS:

De Palma perfectionis.

HOMILIA XXXIV.

Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis. Matth. 21.

PALMA sine vlla controuersia arborum omnium regina est, & perfectionis symbolum. Videte, vt hodie *Regum Rex, & Dominus dominantium*, & perfectissimum omnis perfectionis exemplum de humanis cordibus, cum festis acclamationibus, magnam meritorum dignitatisque eius cognitionem testantibus triumphet. Dies hæc à pal-
Ioan. 12. mis nomen habet, quòd, Domino Hierosolymam ingrediente, turbæ, vt quidem Ioannes ait, ramis palmarum præcisis viam consternerent. Harum, carissimi, palmarum, ac perfectionum, quas illæ includunt, occasione de perfectionis palma pauca dicere apud vos constitui; declaraturus, 1. in quo sita sit Chri-

Christiana perfectio, 2. quæ gloria, 3. quæ commoda
afferat, 4. quas delicias, adeo vt ne latum quidem
vnguem à palma & perfectionis parallelis compa-
ratione que ad finem vsque discessurus sim. Vos be-
neuolis auribus dicentem excipite.

1. Sacræ litteræ, carissimi auditores, in diuersis I.
virtutibus, quarum omnium aliquam in palmæ pro-
prietatibus imaginem contemplor, perfectionem
volunt consistere.

2. Primò, in patientia: *Patientia opus perfectum ha-* *Iac.* 1.
bet. Patientiam tribulatio operatur. Tribulatio au- *Rom.*5.
tem vtilis est. Quò patiens affligitur ac deprimitur
magis, eò fit indies perfectior: sic palma ramorum
amputatione redditur feracior.

3. Secundò, in linguæ custodia ac moderamine:
Si quis in lingua *non offendit, hic perfectus est vir.* *Iacob.*3.
Palma rectas habet frondes, & in linguæ modum
proiectas. quod sermonum verborumque rectifican-
dorum figura est.

4. Adhæc, in fidei firmitate: *Perfectorum est soli-* *Hebr.*5.
dus cibus. Sapientiam loquimur inter perfectos. Resistite 1.*Cor.*2.
fortes in fide. Sic palmæ truncus durissimus, fortis- 1.*Pet.*5.
simus, & solidus est. Talis & fidelis est, quem meri-
tò dicere possumus *Horat.*

Iustum & tenacem propositi virum, &c. *od.*3. *li.*3.

5. In humilitate. *Discite à me, quia mitis sum, &* *Matt.*11.
humilis corde. Palmæ lignum, aliorum instar, aquæ
non supernatat, sed fundum petit; quod virtutis
huius proprium est. Si & in mansuetudine perfe-
ctionem consistere velitis, notetis simul oportet,
palmam ventis resistere, ramos suos leniter ad eo-
rum flabrum inflectendo, & summo cacumine leui-
ter annutando; at radicem & truncum firmum im-
mobilemque in terra consistere.

6. Quin etiam in paupertate Euangelica, quæ ter- *Matt.*19.
renis renuntiat, vt ad cælestia aspiret. *Si vis perfe-*
ctus esse, vade, vende omnia quæ habes. Palmæ fructus,
adinstar cordis humani efformatus, supernè latior
est

est, & patet, & punctulo dumtaxat infernè terram respicit.

7. Sexto loco, nimis quàm manifestum cuiuis & certum est, perfectionis Christianæ apicem in charitate consistere, quæ amorem erga Deum, nos ipsos,

Coloss. 3. Iacob. 1. & proximum complectitur. *Charitas est vinculum perfectionis. Sitis perfecti in eodem sensu, & non sint in vobis schismata.* An non dilectionem hanc palmæ repræsentant, quæ vt fructum ferant, coniungi combinarique solent, & nonnisi in calidis regionibus nascuntur.

Ezec. 41. 8. Vidit Ezechiel *palmam inter Cherub & Cherub.* est hoc symbolum animæ inter charitatem Dei & proximi mediæ constitutæ.

II. 1. Quàm porrò perfectio hæc excellens & gloriosa sit, hinc colligi facilè queat, quod omnigenas in se ipsa virtutes complectatur & comprehendat, omniúmque vitiorum sit domitrix.

2. Commune victoriæ symbolum palma est. Hinc,

Apoc. 7. 1. Ioan. 5. *Et palmæ in manibus eorum*, de triumphantibus Martyribus in Apocalypsi legitur: & perfectio *victoria est, quæ vincit mundum.*

3. Semper palma viret; & τὸ *virtus* à *viriditate*; vel, vt alij volunt, à *virilitate*, deriuatur.

4. Corticem habet asperum ac rudem, gratum tamen aspectu: ita perfectio tam est ad videndum pulchra, quàm ad acquirendum difficilis.

5. 6. 7. Cortex hic ceu squammis & gradibus scabrosis riget; sic nemo ad perfectionem quàm per

Psal. 83. Cant. 3. difficiles *in corde suo ascensiones* peruenit. Ad *reclinatorium* Salomonis non ascenditur nisi per gradus *purpura* constratos. Ipsa verè est, quod de Parnasso suo vanè fingunt Poëtæ, in aspero, arduo, & ad ascendendum peroperoso sita cliuo.

8. Palma infernè rudis est, supernè mollis & pulchra. Perfectionis initia spinosa sunt, sed si in illa progressus fueris vlteriùs, in rosas incides. Hoc in

Matt. 5. Euangelicis notabis Beatitudinibus; in quibus primò

primò lacrymas, ac deinde promissam consolationem leges.

9. Lignum illius putredinem nescit. Nonne sic perfecti *immarcessibilem gloriæ coronam* acquirunt? 1. Pet. 5.

10. Palma rara est & pretiosa: rarior est perfectio.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vnum Virgil. opuscul.
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Atque hoc ipsa nomine magis commendari laudarique meretur.

11. Tardè crescit, & centum antè creuisse oportet annis, quàm fructum ferat: mirabili opus est longanimitate ei, qui ad perfectionem aspirat.

12. Frondes illius gladij imaginem referunt: sic perfectio *gladius anceps* est, *pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Hebr. 4.

13. In altum pyramidis in morem excrescit: ita perfectio per charitatis ignem hominem è terra ad cælum sustollit.

14. Recta est & elata. *Statura tua assimilata est palmæ*, ait sponsæ sponsus, vt hinc euidens fiat, illustres illas animas, quarum *in cœlis conuersatio* est, aliud, nisi sublime, non cogitare. *Sicut elatæ palmarum*; nihil mortale ac terrestre spirare. *Oculos suos non statuerunt declinare in terram.* Cant. 7. Phil. 3. Cant. 5. Psal. 16.

15. Et quamuis arboris huius fastigium nubes contingat, non idcirco minùs altas intra terram radices agit.

-----quantumq; ascendit ad auras Virgil.
Aethereas, tantum radice ad tartara tendit.

Vnde etiam S. Augustinus, *quò exstruere quis*, inquit, *perfectionis ædificium voluerit altiùs, tantò altiùs in terra ipsum ponendum est fundamentum.* De verbis Domini.

16. Ipsa aduersus pondus obluctatur: sic quoque perfecti symbolum est,

Plut. Sympos. Agell. l. 3. c. 6. Virgil. 6. Aenei.

Tu ne cede malis, sed contrà ardentior ito.

Vnde etiam perfecta sponsa dicta est, *quasi palma exaltata in Cades.*

Eccl. 24. Iud. 4. 1. Cor. 2.

17. Debora sub palma iudicia sua exercebat; sic perfectè spiritualis viri gloria est, sanè *de omnibus iudicare, & ipsum à nemine iudicari.*

Ezec. 41. 1. Cor. 3.

18. Palmæ denique illæ in parietibus templi Salomonici exsculptæ quid aliud designabant, quàm perfectarum animarum, qui *templa Dei sancta* sunt, gloriam?

III.

1. Post excellentiam sequuntur commoda. anne dari quid optabilius potest, quàm perpetua propè quædam duratio? quanta porrò ipsa palmæ duratio est, quæ ideò Græcè *Phœnix* dicitur, quemadmodum è loco illo Iob, quem prima huius quadragesimæ homilia exposuimus, liquet! An non sectatorem suum perfectio æternum reddit & perpetuò victurum? *In memoria æterna erit iustus. Recipietur in æterna tabernacula. Sedebit in tabernaculis fiduciæ. Non peribit in æternum. Iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Iob 29. Psal. 111. Luc. 16. Osee 12. Ioan. 10. Psal. 110.

2. Imo verò, quò illa antiquior, eò etiam feracior, & dactyli dulciores. Ita etiam perfectus eos quos nouitij feruores semper, quamdiu viuit, præfert. Vnde fratres suos sic compellabat S. Franciscus, *Quando tandem, fratres, bene agere incipiemus?* & iam ad virtutis perfectionem culmenque ipse peruenerat.

Psal. 102.

3. Palma reiuuenescit & renouatur quodammodo, cùm veterascentes illi præciduntur rami. Et perfecti vita *aquilæ reiuuenescentiæ* in sacris scriptis comparatur.

Psal. 111.

4. Rami hi ad sportulas & canistra contexenda percommodi sunt; quibus texendis veteres illi in Oriente Anachoretæ tædium orationis per diem leuabant. Sportulæ hæ perfectorum mihi eleemosynas denotant, qui *dispergunt, & dant pauperibus.*

5. Per-

5. Perfectorum inquam, qui inopia paſcuntur & delectantur, vt palmæ ſolo arenoſo & arido. *Multis,* ait Seneca, *ad philoſophandum obſtitêre diuitiæ, aut ergo pauper ſis, aut pauperi ſimilis, ſi animo vacare vis.* Epiſt. 17

Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum Virgil. 8.
Finge Deo. AEneid.

Terrenorum bonorum adeps negligendus, *pro nihilo habenda terra deſiderabilis.* Mutanda *terra fructifera in ſalſuginem,* atque ita *ſterilis pariet plurimos.* Pſal. 105. Pſal. 106 1. Reg. 2.

6. Palma ſtercorationem, quam aliæ deſiderant arbores, odit: ſic perfectus diuitiarum ſtercora proculcat. Atque *eæ demum veræ diuitiæ ſunt,* aiebat olim quidam, *diuitias contemnere* Seneca lib. de moribus.

7. 8. Non feret palma fructum, niſi compari coniuncta, vel niſi palmæ maſculæ flores circumſecus femininam ſpargantur. Sine Dei gratia perfectionem acquiri non poſſe nimis quàm certiſſimum eſt; conferet ad hanc tamen non modicum aſſidua cum perfectis conuerſatio. *Cum bonis* enim *bonus eris.* Hinc Pſal. 27.
Ioas rex Iſrael, & vniuerſi ſubditi *bonum fecerunt in* 4. Reg.
conſpectu Domini, quamdiu Ioiadæ Sacerdotis ſe- 12.
quebantur imperium & monita.

9. Flores porrò illi maſculini quid, obſecro, aliud deſignant quàm diuinas gratias & inſpirationes? Per *gratiam Dei,* aiebat Apoſtolus, *ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Notum etiam eſt, *ſine ipſo nihil nos poſſe facere.* 1. Cor. 15. Ioan. 15.

10. Ad radices palmarum ſi ſalem, arenam vel ſaxa ſparſeris, lætè proueniet: hîc virtutum imaginem notate, quæ duris & aduerſis tandem perficiuntur.

11. Palma fructus ſemper habet aut flores: ſic etiã nunquam non in viro perfecto aut pia pullulant deſideria, aut in opus erumpunt.

12. Fructus porrò eius vbi maturuerint, ſapidiſſimi ſunt, ac ſtomacho ſalutares; at præcoces & immaturi, inſipidi & ſanitati noxij: plures vt referat Lib. 12.
Plinius de Alexandri militibus crudos dactylos c. 8.

comedendo offocatos. Sic perfecta virtus ita bona
1.Cor. 8. est, quàm dimidiata perfectio periculosa. Hæc scilicet *scientia* illa *inflans* est, & *charitas ædificans*, de quibus loquitur Apostolus: *Si quis enim se existimat scire aliquid*, & nihil scit, *nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire.*

13. Palma ad omnia vtilis est, & confert. Ita Anachoreta Onufrius in vitis Patrum cibum sibi & vestem parabat ex ijs, quæ suum circa tugurium excrescebant. Quid porrò est perfectum esse, quam in omnibus consummatum, & omnibus absolutum numeris esse?

Plin. l. 7. c. 7. 14. Hanc denique arborem, vti & laurum, nunquã afflat fulmen: ita nec perfectio diuinæ indignationis flagello obnoxia est.

IV. Si verò perfectorum recensere delicias ac voluptates voluerimus, eas & infinitas reperiemus, & eò solidiores, quò iustiores.

1. Neque enim tam sapidi palmei sunt fructus, quã
Cant. 7. ipsa iucunda ac deliciosa perfectio. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*

2. Fructus hi ab elephantibus quæruntur; qui animarum generosarum ac fortium imago sunt.

3. Fructus adhæc vnguinosi sunt; quibus abundantia gratiæ in perfectos *in misericordia vberi* effundi solitæ denotatur. *Inebriabuntur ab vbertate do-*
Psal. 35. *mus Dei, & torrente voluptatis eius potantur.*

4. Est aliud quoddam dactylorum genus, quos myrobalanos vulgò vocant; quibus eadem quidem, quæ dactylorum palmeorum, est forma, sed sapor diuersus. Tales sunt hypocritæ, qui perfectos quidẽ effingunt & mentiuntur, sed nõ eo, quo hi, introrsum gaudio perfunduntur.

5. Est quoddam inter palmas velut connubium; est & inter animas spirituales & Deum. quotnã hîc spiritus deliciç occurrũt? ita quidem, carissimi, frequẽtes, vt dilecta illa in Canticis ad singula propè verba in deliquium incidat ac defectum.

6. Arbo-

6. Arbores hæ se inuicem constringunt, & ramos supernè intertexunt: in hoc expressa sunt sacra perfectæ illius columbæ oscula.

7. Concipiunt illæ à vento & afflatis odoribus; sic animæ perfectæ à diuinis impraegnantur inspirationibus. *A timore tuo concepimus & parturiuimus spiritũ* *Isa.* 26. *salutis. Os meum aperui, & attraxi spiritum. Emitte spi-* *Psal.* 118. *ritum tuum, & creabuntur.* *Psal.* 103

8. Expressum è dactylis palmaribus vinum pellẽdis præstigijs & illusionibus conducit, daturque ijs, qui turbata sunt mente: ita perfectione omnes aduersariorum tentationes & inania dissipantur terricula.

9. Dactylorum vsus vocem clariorem reddit. Et *Cant.* 2. sponsę *vox* nonne *dulcis* est? *aures Domini in preces iu-* *Psal.* 33. *storum, deprecationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos.*

10. Dicuntur palmæ, vtrimque in ripis fluuialibus consitæ, ramos inuicem per aquam declinare, quasi *Psal.* 17. se mutuò contingere vellent. Ita *Deus inclinat* *Psal.* 85. *cœlos suos, & descendit, & inclinat aurem suam iustis.*

11. Hæc mutua ramorum demissio interdum pontiũ aquam transeuntibus vsum præbet: perfectio tutissimus quidam est, quo ex hoc mundo in cœlum ad æternam nostram beatitudinem transeamus, pons.

12. Ex omnibus Israelitarum in deserto mansionibus nulla fuit eâ, quâ in Elim castrametati sunt, de- *Exod.* 15. liciosior aut iucundior, in qua nimirum & fontes & *Ioan.* 4. palmæ abundabant in eo, qui perfectus est, *fit fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.*

13. Est quoddam in Africa palmarum genus, cui adipsos impositum nomen est; quòd eiusdem fructus siti pellendæ mirificè seruiant. sic perfectio à sæculi hominem auocat delicijs; ipsa nimirum est aqua illa *Ibid.* sitim omnem pellens, quam Samaritanæ Redemptor tantopere commendabat.

14. Denique in palma florida omnia sunt & deliciosa: sic & in perfectione flores inuenire est. *Iu-* *Psal.* 91. *stus vt palma florebit. Lectulus noster floridus.*

Fulci-

Cant.1. Cant.2. Eccli.24. *Fulcite me floribus.* & quidem flores, quos nulla enecat bruma, nec gelu; flores odoriferi, flores fructuosi, & fructus floridi. *Flores mei fructus honoris.*

15. Flos est, quem *palmam Christi* herbarij nominãt, quem, quia asper est & mordicãs, nullum tangere animal audet; medicus tamen est & salutaris. Solus asinus, humilibus se pascens carduis, illius vsum habet. Ad eumdem modum *homines* carnales, &, vt Apostolus loquitur, 1. Cor. 2. *animales, non sapiunt ea quæ spiritus sunt*, multò etiam minùs superbi & arrogantes, qui vt volucres cœli sublimè euolant, & *ambulant* Psal. 130. *in magnis, & mirabilibus supra se.* Soli humiles & asinorum instar abiecti ac mortificationi deditì, huius Matt. 11. reddi gratiæ participes queunt; hancque *Deus abscondit à sapientibus. & reuelat paruulis.*

Hodie igitur humilitatis triumphus est, & magnę Vide diuersit. li. 17. c. 1. *palmæ Christi.* Vos porrò nostra è concione retinere velim, 1. quid sit perfectio, 2. quanta eius gloria, 3. quæ ab eadem promanent commoda, 4. quas includat delicias. Ad eamdem aspirandi animum, & ad eã pertingendi robur nobis concedat perfectorum speculum Deus.

FERIA II. IN HEBDOMADA MAIORE:

Dominicæ Paßionis præludium.

HOMILIA XXXV.

Paßio Domini nostri Iesu Christi.

Num. 20 CVM primus veteris Legis Pontifex, & summus Sacerdotum princeps Aaron in monte Hor exspirasset, mensem integrum vniuersus Israel

Iſrael mortem eius pláxit. Ieſu Chriſto porrò, qui *eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech,* Pſal. 109.
& ſupremus noui teſtamẽti Pontifex, in monte Caluariæ demoriente, an non par eſt, imò rationi maximè conſentaneum diram illam nos toto vitæ tempore, ac præſertim lugubri hac hebdomade, quam Eccleſia, *ſponſa* illius *ſanguinis*, funeſti huius anniuerſarij memoriæ quotannis recolendæ conſecrat, pro ſceleribus noſtris obitam mortem deplorare? Argumentum id eſt inter omnia argumenta & ampliſſimũ ac fœcundiſſimũ, in quo deducendo me tempus antè quàm materia deficiat. Hinc illius ob amplitudinem quatriduo antè anticipare diẽ illũ cogor, quo funeſta illa tragœdia, cui⁹ ſimpliciter ipſe ſtatui vobis feriẽ deducere, peracta eſt. Iter ſanè longum eſt, nauigatio diuturna, ſtadium extenſum, & foſſa hæc ſanguinolenta, quæ tranſilienda eſt, largior; hanc ob cauſam retrocedimus nonnihil, & velut ſummo mane diſcedimus, nauem conſcendimus, ſurgimus, vt ſeptimanâ hac, quam propter ſanguinis huius ſancti conſecrationem & effuſionem, *ſanctam* appellamus, Deo fauente & aſpirãte, ad finem vſque feliciter iter hoc, curſum, nauigationem, ſaltum decurramus. Et quoniam horribilis huius tragœdiæ, quam ſequentibus pòſt diebus repræſentaturi ſumus, actus & ſcenæ neceſſariò prologum ac præludium quoddam, quo animi ſpectantium præparentur, requirunt, hodie me 1. de figuris, 2. de ſtupore & honore, 3. de ordine, 4. de inductione & iſagoge feralis ac lamentabilis huius paſſionis proloquentem audite; ſed in hac animos vos velim veſtros ad compaſſionem commouere.

I.
1. Iam, dilectiſſimi, æternus Abraham innoxium ſuum filium Iſaacum iuſtitię ſuæ rigoribus immolat, Gen. 22.
proprio filio non parcens. Rom. 8.

2. Iam rigidus & implacabilis Iephthe vnigenam ſuum immutabili æternæ prouidentiæ ſuæ decreto cõſecrat, vt mortem morte ſua, & ſanguine infernum expugnet. Iud. 11.

3. Iam

Leuit. 16 3. Iam caper Emiſſarius diris execrationibus & peccatis populi onuſtus in Caluariæ deſertum emittitur.

Leuit. 14 *Pſal.* 101 4. Iam leproſi peccatores per aſperſionem ſanguinis *paſſeris* illius *ſolitarij* emundantur.

5. Iam verus Ionas in ſanguinis ſui pelagus, quò
Ion. 1. nauis noſtra naufragio eriperetur, abijcitur.

Iud. 16. 6. Iam Samſon Philiſtæorum atrium euertit, & morte ſua noſtras iniquitates opprimit & collidit.

Gen. 37. 7. Iam innocens Ioſeph à fratribus ſuis peſſimè habetur. Quot verò hac in figura ſimilia occurrunt!

4. *Reg.* 3. 8. Iam Iſraelitarum rex demoritur ad populo ſuo
Epheſ. 2. *Herodot.* pacem impetrandam. *Ipſe eſt pax noſtra.* quod profanæ hiſtoriæ de Codro Rege tradunt, vltrò per confertiſſimas hoſtium acies in mortem ruente, quò penes ſuos victoria, prout oraculo acceperat, ſtaret.

Gen. 4. 9. Iam verus Abel paricidali Cainorum efferatorũ inuidiæ ſuccumbit.

Gen. 32. 10. Iam Iacob *baculo* crucis ſuæ *Iordanem*, qui hebraicè flumen iudicij ſonat, *pertranſit.*

Num. 21 11. Iam id reuera adimpletum eſt, cuius ſerpens æneus nonniſi figura fuit & imago.

Gen. 35. 12. Iam peccatorum & ſcelerum noſtrorum idola ſubtus crucis terebinthum defodiuntur.

Exod. 12. 13. Iam verus agnus Paſchalis non florido redimitus ſerto, ſed ſpinis pungentibus horrido, in noſtri ex AEgypto & ſeruitute peccati, in pœnitentiæ deſertũ, & promiſſam gratiæ iuſtificantis terram trãſitus memoriam immolatur.

2. *Reg.* 18 14. Iam formoſus Abſalom & ſpecioſus humanitatis ſuæ crinibus ex arbore crucis pendens vndiquaque configitur.

2. *Reg.* 1. 15. Iam vero Ionatha in conflictu dirè interempto noſtrum eſt planctus & lugubres Dauidis lamentationes, quà poſſumus, imitari.

2. *Paral.* 16. Iã quoque veros omnes Iſraelitas, bonos inquã
35. Chriſtianos, optimi Regis ſui Ioſiæ, benigniſſimi ſcilicet

licet Iesu, mortem planctu magno deplorare par est. Prædixit id olim Zacharias Propheta, *Effundam super domum Dauid, &c.* Zach. 12.

17. Eia igitur, *Contemplemur & vocemus lamentatrices*, vt nos plangentes adiuuẽt, *deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis, quia iam vox lamentationis audita est de Sion. Quis* porrò *dabit capiti nostro aquam* hanc, *& oculis nostris fontes* illos æternos, *vt ploremus die ac nocte* tam diram necem? Neque enim aliud in compensationem à vobis, carissimi, cruci confixus Dominus pro tanto, quem pro redemptione nostra effundit, sanguine exigit, quàm tantundem compassionis lacrymarum. Equidem vereor, Deus bone, ne etiam tanta nostra futura sit durities & inclementia, vt vel tam iniquam ei denegemus permutationem. Ierem. 9. Ibid.

II. Credo equidem: dirus quippe horror hosce lacrymarum fontes exsiccat, hos torrentes arefacit, & liquores hos conglaciat.

Obstupui steteruntq́, comæ, & vox faucibus hæsit. AEnei. 2

His Poetæ verbis noster designatus est stupor. Parui dolores foras facilè prorũpunt, & fletibus pascuntur & mitigantur: sed in intensis & immanibus sensus penitus obstupescunt, mens lapidescit, & si quæ fortè inanes prosiliunt lacrymæ, violenter illæ expressæ sunt & coactæ.

Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes,

1. Quis filius tenerè patrem diligens, eum non dico emori, sed illi vel venam aperiri læto æquoque vultu videat? & nos sicco pede ac siccis oculis, Patris, Domini, amoris, nostri etiam Omnis sanguine rubricans mare pertransibimus? AEnei. 4

2. Si Cherubim in arca constituti maximo cum stupore eidem inclusas figuras contemplantur: huc vos adeste, spiritus amore ardentes, & præ stupore veritatem arcæ crucis considerantes viribus deficite. Exod. 25.

3. Fru-

Plin. l. 35 c. 8. 3. Fruſtra Timanthes Iphigeniæ patri, dum illius immolationi adſtantem pinxit, oculos velo tegit, quòd ceruam loco virginis Diana immolandam ſuppoſuerit.

Iud. 11. 4. Fruſtra virgines Sion quotannis filiæ Iephtes anniuerſaria plangendo perſoluebant; cùm ipſa, ex aliquorum interpretum ſentẽtia, nonniſi ciuili morte demoreretur, toto vitæ ſuæ tempore concluſa, & ſterilis permanens.

Ezech. 8. 6. Incaſſum Gentes, magno quotannis planctu, Adonia ſua anniuerſaria celebrabant, Adonidis ſolenni hoc ritu mortem recolentes, cùm gentili ipſarum ſuperſtitione inter ſemideos & heroas iam conſtitutus ad vitam meliorem tranſijſſet.

Ioſ. 10. 4. Reg. 20 Seneca Thyeſt. 7. In vanum ſuum ſol currum (vt Poëtarum veras hiſtorias commentitijs inuolucris inobſcurantium, vnam quidem, qua tempore Ioſue ſidus hoc ſtetiſſe; alteram verò, qua Ezechiæ regis ætate retroceſſiſſe legitur, fabulis proditũ eſt) egit, ne paricidale Thyeſtæ epulum intueri cogeretur: nam fabuloſus hic horror cum eo, quem funeſta hæc, quam adoramus, tragœdia includit, ne conferri quidem meretur.

Sueton. Cæſar. c. 81. 8. Iam Calpurnia, viſâ cruentâ cariſſimi ſui Cæſaris ſubuculâ, animo linquitur.

Gen. 37. 9. Hodie Iacob ſuas dilacerat veſtes, plangit, eiulat, & lamentatur, & quidem *multo tempore*, vbi dilectiſſimi ſui Ioſephi tunicam ſanguineis reſperſam maculis contuetur.

Ierem. 31 10. Denique iam *vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus. Rachel plorat filios ſuos*. & nullũ ad ámari doloris ſui materni plagas leniendas conſolationis cuiuſdam ſuauioris vult vnguen adhiberi.

11. Hic, cariſſimi, apparet

AEnei. 2 - - - - - - - - - *crudelis vbique*
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

III. 1. At quemnam in tragicæ huius hiſtoriæ confu-

ſione

ſione & inordinatione ſeruare poſſemus ordinem? Dolores confusè & promiſcuè tractari amant: hinc omnis ordo & ex arte diſpoſitio eos grauat & moleſta eſt. Locum id quidem habere hîc poſſet, niſi iam planè ipſi conſtitutum haberemus & propoſitum, nihil cum oratorijs coloribus commune habere. Si Theſeus vnquam Ariadneo opus habuit filo ad implexas Labyrinthi Cretenſis vias inueniendas, ipſum *Ouid. 8.* ſanè certæ Methodi filum nobis etiam multò magis *Metam.* hoc loco neceſſarium eſt, vt in vario implicatoque hoc fluctuum & procellarum mœandro exitũ aliquem reperiamus.

2. Iſraelitis in agni Paſchalis immolatione præceptum erat, vt eum, antequam comederent, tam ſcitè *Exod. 12.* membratim articulatimque diuiderent, nullum vt illius os comminuerent. Is Domini, veri Agni immolati, prout oportet, paſſionem meditatur, qui ordine & certa ſerie omnes dolorum & cruciatuum illius articulos ſingillatim examinat, nullum eius per digreſſiones nimias os confringendo.

3. Cũ patientia glomus hoc intricatũ & fuſum cõfuſum extricandum eſt; multaque eiuſdem membra diuiſioneſque conſtituendæ.

4. Quod enim in ædificio fundamentum, quod in arbore radix, in corpore anima, in fabrica ſymmetria, ſcita in areolis hortorum diſpoſitio, in naui gubernaculum, quod denique in naucleri manu eſt geographica mappa & acus nautica, hoc in graui ſerioque ſermone & oratione ipſe eſt ordo.

5. Vniuerſæ igitur ſtructuræ noſtræ ſeptem erunt partes; vel potiùs ſcenæ noſtræ tragicæ actus futuri ſunt ſeptem, iuxta ſeptem illas, in quas contemplatiui omnes vniuerſam Domini paſſionem diſpertiuntur, ſtationes. In vnaquaque porrò ſtatione aliquot membra examinanda proponemus, quæ deinde in particulas & articulos ſubdiuidemus.

6. Sunt hæc nimirum ſeptem illæ, quibus domus ſapientiæ nititur, columnæ.

7. Septem planetæ ſunt in diuinæ miſericordiæ cœlo rutilantes & ardentes.

Exod. 25. 8. Nec non candelabrum cum ſeptem lucernis, quod in cordis noſtri tabernaculo perpetuò colluceat oportet.

Apoc. 5. 9. Liber eſt ſeptem ſigillis clauſus, quem vnicus aperire agnus poteſt, cùm *ſcriptus* ſit *intus ac foris*, in corpore ſcilicet & corde.

10. Septem ſunt quoque fontes, è quibus, ceu ſeptem Nili oſtijs, ſeptem Eccleſiæ Sacramenta profluunt.

Apoc. 1. 11. Septem ſtellæ ſunt, quæ thronum filij hominis circumfulgent.

Apoc. 10. 12. Septem tonitrua ſunt, quæ reprobis terrori, pijs & electis conſolationi ſunt.

13. Septem ſunt ictus, quibus verus noſter Hercules ſeptem hydræ peccati capita reſecuit.

Gen. 1. 14. Sunt denique ſeptem recreationis vel redemptionis mundi dies. Sed, eheu! quodnam hîc diſcrimen! in creatione nihil patitur, ſed totus agit: hîc patitur multa, & quieſcens nihil omnino agit, nec in ferreos illos ſeſe torquentium & crucifigentium animos inſurgit.

IV. Ceterùm, antequam ad primam ſtationem deueniam, neceſſarium, quin etiam conſentaneum mihi viſum eſt, paucis præambula aliqua narratione ceu prologo præparatoriam ipſam connexionem, vel introductionem proceſſumque ad cruentos hoſce actus referre.

1. Redemptor igitur Ieſus, cùm diſcipulorum lauiſſet pedes, & vnà cum ipſis legalem peregiſſet cœnam, atque in ſuprema illa cœna tam magna diuinaque & dixiſſet, & feciſſet, quæ nemo verbis complecti, ſed cogitatione dumtaxat, imò ne cogitatione quidem poteſt; ſacer contextus, quo loco Euangeliſtæ funebrem hãc narrationẽ exordiũtur, ſic incipit, *Hymno dicto, egreſſus Ieſus trans torrentẽ Cedrõ, venit in villam, vbi erat hortus.* Quæ verba (vltimũ homiliæ huius id punctũ futurũ eſt) põderemus & exponam.

2. *Hymno dicto.* Primò videte, vt cycnus noster nuptiale suum epitaphium, & mortale suum epithalamium auspicetur.

3. Secundò, vt delphin noster plaudat & ludat, tẽpestates imminere præsagiens; quomodo, ad instar delphinorũ, musicam amet; aut quomodo, Lacones imitatus, ad tibiarum harmoniæq; cantum ad bella & conflictus abeat.

4. Tertiò, *benedicat Deum in omni tempore*, tã in Psal. 33.
prosperis quàm aduersis, tam in morte quàm vita, de præteritis ærumnis malisque gratias agens, ad futura verò generosè se viriliterque disponens; simul etiam exemplo nobis præiens, vt *gaudeamus*, si quãdo *in varias tribulationes inciderimus*, cùm iisdem sa- Iac. 1.
lutem nostram operari possimus.

5. *Egressus Iesus* tum cœnaculo, tum vrbe Ierusalem: vt primò discamus, quales sint illius egres- Psal. 18.
siones. *A summo cœlo egressio eius.* è cœlo quippe egressus in terram est incarnationis tempore; è Bethleem in AEgyptum statim à natiuitate exiuit; toto etiam vitæ tempore, ad- Gen. 37.
instar Iosephi, fratres suos conquisiuit, etiam Ioan. 4. Cant. 2. 8
ad defatigationem vsque. Testis sit Samaritana illa mulier. Vnde eum etiam sponsa *capreæ hinnuloq́; ceruorum* comparat *salienti super montes Bethel, & colles transilienti*: iam verò AEnei. 4

-------- siluas saltusq́; pererrat
Hebræos, hæret lateri lethalis arundo.

Suis quippe Apostolis ipsemet ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: nec dictamnũ inuenire vspiam potest, vt letale hoc, quo viscera eius transadacta sunt, & cor sauciatum, agonis telum eijciat.

6. Ierusalem porrò exiuit, vt doceat nos relinquẽdas esse nobis mundi delicias, si modò passionis suæ potiri fructibus velimus.

7. *Trans torrentem.* Ita suam testatur Psalmista Psal. 123.
animam afflictionum *torrentem* & *aquas* in-

tolerabiles, turgidas & vorticosas *pertransisse.*

1. Reg. 17 8. Videte, vt Dauid de torrente saxa colligat, quibus Goliam prosternat. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Et haud ita multo pòst suo Redemptor noster sanguine spinarum hunc torrentem perfundet.

Iosu. 3. 9. En, vt verus Iosue mare pertranseat, ac Iordanem, vt nos in promissionis terram introducat. Iam quidem *aquam pertransit,* non multò pòst *ignem,* vt

Psal. 65. *ad refrigerium* nos perducat.

Ezec. 17. 10. *Torrentem Cedron.* Videte vt magna illa *aquila* nonnisi *cedri medulla* pascatur.

11. Cedrus incomputribilis, impeccabilitatis illius, & infractæ & impenetrabilis in diris cruciatibus, quos propediem illum subiturum videbimus, patientiæ figura est.

Eccli. 24 12. Erit ipse *Cedrus* illa *exaltata* non *in Libano,* sed in monte Caluariæ, & feralis *cupressus* erecta *in* mõte *Sion.* Hinc & suam in crucem actionem eleuatio-

Ioan. 3. nemque exaltationis vocat nomine.

Inde *venit in villam, vbi erat hortus.* Hic filum & sermonem abrumpamus, vt crastina eum die denuò resumamus; & è præambula hac concione discite, 1. passionis Dominicæ figuras, 2. quem ipsa in omnibus ad commiserandum tenerè flexibilibus animabus excitare horrorem debeat, 3. methodicum, quem proposuimus, ordinem, & 4. egressum è cœnaculo in hortum. Vbi quid contigerit, in prima cras statione visuri sumus.

FERIA

FERIA III. IN HEBDOMADE MAIORE.

Prima statio in Horto.

HOMILIA XXXVI.

INFANDVM *pia turba iubes narrare dolorem,* *AEnei. 2*
Christiadas vt opes,&c.
Sed si tantus amor casus cognoscere duros,
Et breuiter Christi supremum audire dolorem,
Quamquam animus meminisse horret, dictuq; refugit,
Incipiam:

Redeũdo scilicet, peritos imitatus venatores, ad re-
tia relicta, quibus heri ceruum nostrum anhelum,
capream nostram subsultantem, leonem nostrum a-
mãtem, *filium nostrum vnicornis* conclusimus, in hor- *Psal. 28.*
to nimirum Gethsemani, quæ prima mortalis illius
venationis statio & mansio futura est. Hic eum qua-
tuor diuersis in schematibus considerabimus, 1. o-
rantem, 2. proditum, 3. orantem, 4. derelictum à suis.
1. Antidoto malum & virus dispellitur. Primus A- I.
dam in horto labitur, secundus prioris lapsum in *Gen. 3.*
horto reparat. In horto illo voluptatis enascitur
peccatum; hic dolorũ gratiã germinat: in illo spinas,
à quibus terra maledicta destruatur, proferunt rosæ;
hic verò spinæ benedictionis producunt rosas.
2. *Hortus hic nucum est.* Tritum illud est, fratres, *Cant. 6.*
Nux ego iuncta viæ. hortus angorum, contusionum ac *Ouid. de*
verberum. *nuce.*
3. Hortus, in quo Susanna nostra nequiter inter- *Dan. 13.*
cepta est, ac nullus, qui eam protegat, adest Da-
niel. *Cant. 4.*
4. Hortus conclusus, in quo *flos campi* auulsus, *Cant. 2.*

ablatus, conculcatus, protritus, oppressus & emarcidus iacet.

Cant. 4. 5. *Emissiones eius* sicut *paradisus*: qui enim in eo cōprehenditur, ipse paradisus est. *Hæc est vita æterna,*
Ioan. 17. *vt videamus Iesum Christum.*

6. Mundus hic hortus quidam est, in quem *cœlis*
Psal. 17. *descendens* & se *inclinans* Redemptor, ingressus est. Hanc, docti, propositionem vobiscum expendite.

7. Animæ, pœnitens, peccatrix, & spiritualis, totidem quodammodo horti sunt, in quibus Christus reperitur. Sed, eheu! quanto cum discrimine in singulis? in primo myrrham pluit, in secundo sanguinem exsudat, in vltimo fuluorum cincinnorum suorum rorem destillat, diuinis eum gratijs suis irrigans.

8. Sed hortus est oliuarum: hæ pacis quidem sunt symbola; hic tamen aliud non videas quàm bellum, arma, crudelitatem & sanguinem. Hæccine *vinea*
Esa. 5. illa est *plantata in cornu* oliuarum, quæ vuas profert amore pingues & vnguinosas; aut potiùs maligna illa vinea, quæ omnigeno exculta labore, non nisi
Mat. 7. *spinas pro vuis* & labruscas producit? Hæc vltima scilicet est; *quomodo versa es in amaritudinem vitis mea?*

9. In hunc ingressus hortum, ab aliorū se segregat consortio, orationi in quiete vacaturus: quo facto docemur; siquando orationi insistendum, solitudinē mentis captare. Deus noster, potens quidam est Dominus, qui coopertis seruiri sibi vult lancibus, ac
Isa. 45. *Deus abscōditus*, quem in abditis locis orare & cole-
Matt. 6. re oportet.

10. Exclamantem audite sacram illam & saccaream sponsam, *Quis mihi det te fratrem meum, & inueniam*
Cant. 8. *te foris, & deosculer te!* hunc deinde non in molli le-
Cant. 7. ctulo inuenit, sed soliuagè *per vicos & plateas*, per montium accliuia & vallium decliuia, & in solitudinibus errando.

11.12. Agar nonnisi in solitudine ab Angelo consolationem accipere meruit; nec Deum Moses videre nisi in deserto Sinai. *Gen. 21. Exod. 3.*

13. Elias, cùm solus ageret, abreptus in cœlum est. *4 Reg. 2. Ibid.*

14. In eadem solitudine Elisæus vnà cum pallio huius duplicem accipere spiritum meruit.

15. Ioannes in desertam insulam Pathmon relegatus, admirabiles reuelationes suas cœlitus suscepit. *Apoc. 1.*

16.17 Nonnisi in solitarijs arenis manna Israelitis pluit, nec Eliæ *datum vas aquæ* antè, nec panis subcineritius, quàm dum à facie Iesabelis fugeret. *Exod. 16. 3 Reg. 19.*

18. In deserto Iacob mysticam suam videre scalam dignus redditus est. *Gen. 28.*

19. Omnia sua mirabilia Ioannes Baptista in deserto & eremo patrauit. *Factum est verbum Domini ad Ioannem in deserto.* *Luc. 3.*

20. Dauid *elongatur fugiens, & manet in solitudine,* quo meliùs commodiusque Deum precetur, seque comparat *pelicano, nycticoraci, & passeri solitario.* *Psal. 54.*

21. Apud Osee non alijs *loquitur* Deus *ad cor* quàm hominibus *in solitudinem ductis*, & in hac homo tacens, vt loquitur Propheta, *leuat se super se.* Hæ igitur circumstantiæ sunt orationis Christi, quòd 1. facta sit in horto, 2. in solitudine. *Psal. 101. Osee 2. Thren. 3.*

22. Notandus tertiò eiusdem feruor, qui tum in eiusdem interrupta repetitione, tum in prodigioso illo supernaturalique sudore, quem pretioso hoc corpore exprimit, elucescit. Mirabilis sanè conuersio! symptoma hactenus nec visum, nec lectum, nec auditum! Sanguinem quidem aliquando pluisse in historijs legimus; sed prodigij huius causas, qui nulla non naturaliter contingere prodigia volunt, secretas arcanasque Physici etiam inuenerunt.

24. Quotidie videre est mustũ ita intus agẽte spiritu exspumare, vt dolij, quo arctè nimis continetur, orbes & compagines diffringat.

25.26. Olla feruens supereffluit, & fluuius aquis accrescentibus inflatus, aggeres suos transcendit, alueoque egressus, ad agrorum vicinorum perniciem, longè latéque restagnat. Anne vel ardentis excessus amoris, vel apprehensio potiùs nimia sanguineum hunc sudorem Dominico corpori expresserit?

27. Videte vt verus noster Demophoon paternæ iustitiæ sole fulgente contremiscat, & frigidæ noctis vmbra terram opacante sudet. Quo me porrò modo vestra, ô peccata mea, causa contremiscere & sudare par est, si expiatorem vestrum ita opprimitis & coangustatis?

Ouid. 3. 28. Narcissus, vt in fabulis, suijpsius amore captus,
Metam. in fontem diffluxit, & in florem cognominem mutatus est. Videte vt Nazarenus, quod floridum sonat, præ nimio amore emoriendo, *fiat fons aquæ viuæ: si*
Ioan. 4. *quis sitit, veniat ad eum, & bibat, hauriat aquas cum*
Isa. 12. *gaudio de fontibus Saluatoris*; nec non flos, *Ego flos cā-*
Cant. 2. *pi, & lilium conuallium.*

29. Vidistis vnquam agricolam in caniculæ æstu prono & inclinato corpore, eoque vnde vndique sudore perfuso nutritiuas curua falce Cereris flauescētis comas demetentem? talem fingite vobis Redemptorem Iesum, aquam & sanguinem hic exsudantē,
Cant. 5. ac *myrrham cum aromatibus metentem*. Nonne verè
Gen. 49. dicere se potest esse *sicut aqua effusum*, ac *nomen* suum
Cant. 1. esse ceu *oleum effusum*, & prout alia habet interpre-
Psal. 21. tatio, *sanguinem annihilatum*? Numquid dicere ei licet: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*?

30. 31. Orationis huius agonizantis feruor cœlo consolationem deuocat (quartum id membrum est.) nā, ecce eū Angelus consolaturus & corroboraturus
Gen. 32. adest. Sic Iacob cū Angelo colluctans vicit, etsi victus, & claudicans ab antagonista benedici meruit.
Gen. 3. 32. Prima nostra parens Eua, cùm à malo dæmone in horto decepta fuisset, criminis huius reparator & vindex ab Angelo bono in horto confortatur.

33. En, vt Tobias noster in itinere suo versus Rages, in quo innumera passurus est mala, & malignos Saræ dæmonas, id est, Synagogam sanguinariam, quæ illius in necem conspirarat, expugnaturus, Angeli comitatum accipiat. *Tob. 5.*

34. Verè hic contigit, quod olim tentans diabolus illum illaqueaturus fraudulenter produxit, *Angelis suis Deus mandauit de te.* *Matt. 4. Psal. 90.*

35. Hic Agar in maximis cordis angustijs Angelicam consolationem accipit. *Gen. 23.*

36. At nec exteriori hac consolatione delinitus, neve interna desolatione vlla deterritus bonus hic Pastor ouium suarum, incautè lupis rabidis & famelicis aduenientibus dormitantium curam omittit. hæc quinta orationis est circumstantia, solicitæ scilicet, anxiæ, & amore erga Deum & proximum plenæ.

37. *Dormitis*, ô Apostoli, *somno luctuq; sepulti*, interim dum Iesus, *cor* vestrum *vigilat* super vos! Itane parum vigilans Pastor, Petre, *tui rerumq; oblite tuarum*, thesaurum tuum Iesum, qui iam iam à furibus surripiendus est, & gregem, directioni imperioque tuo concreditum, mox dispergendum, & vbi *pastor percussus* fuerit, dissipandum custodis? filij tenebrarum, malum patraturi, vigilant; filij lucis ne quidem vt bene agant, vigilare queunt. *Cant. 5.* *Zach. 13.*

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones, *Horat.*
Vt teipsum serues, non expergisceris. *li. 1. epi. 2.*

38. An non metuis, ne idem tibi, quod somnolento Samsoni, Noëo, Sauli, Holoferni, Isbosetho, Tobiæ factum est, eueniat? *Iud. 16. Gen. 9. 1. Reg. 26. Iud. 13. 2. Reg. 4. Tob. 2.*

39. Leo & lepus, animalia ita inter se dissimilia, palpebris dormitant apertis; ille quidem præ animosa & intrepida securitate, hic verò præ timore: quo symbolo denotatur, qua super gregem suum vigilantia excubare pastorem necesse sit, vel illum amando, vel illi malum timendo.

Matt. 13. 40. Episcopi, quamdiu dormistis, *venit inimicus homo, & hæreseos superseminauit zizania.*

41. Fugiamus itaque, obsecro, otiositatem omnium vitiorum matrem. Aper Cromnius non tot noxijs vmquam siluam Erimanthiam compleuit nefrendibus, quot vecordia inertiaque animam imperfectionibus.

42. Aqua stagnans & putiscens nonnisi colubros & bufones gignit.

43. Ferrum, cuius non est vsus, ab ærugine consumitur.

44. Corpus, quod nullo exercetur motu, nonnisi biliosos & noxios colligit humores.

1. Remed. 45. Quærite ab Aegistho, canit Poëta, *quare sit factus adulter.* Mox respondebit, *desidiosus eram.*

46. Crocodilus cùm in sole apricatus patulis hiat faucibus, ichneumonem in viscera traijcit nescius, à quo eadem corroduntur.

47. In corpore mortuo vermes enascuntur. quid verò *otium* est nisi *viuens* quædam *mors*; vel, vt ille, *viui hominis sepulcrum*? Quamobrem, fratres in Domino dilectissimi, *vigilate, &* semper agite, *ne intretis in tentationem*, ac tentationis vermes vos occupent, cordaque vestra depascant. E primo hoc puncto colligamus quinque orationis, quam Redemptor in horto fudit, circumstantias, 1. quòd in horto orarit, 2. loco secreto, 3. maximo cum feruore spiritus, 4. omnis fuerit consolationis expers; & 5. quòd de Apostolis dormitantibus sollicitus fuerit. Vnde etiā vicissim quinque hæc documenta eliciemus, 1. efficacem illam orationem esse, quæ in Ecclesiæ fit viridario, 2. loco abdito & quieto, 3. quæ magna cum attentione, zelo & lacrymis accedentibus, 4. iucundè in eadem à Domino orantem visitari, & voluptate incredibili perfundi, 5. non adeò ei nos intendere mentem ac dedere debere, vt proximi salutis immemores simus. Ex omnibus verò his simul discamus, orationem optimum ac tutissimum esse in grauissimis,

mis, maximiſque afflictionibus aſylum.

Iam ad alterum punctum delabamur, Chriſti inquam traditionem. hiſtoricæ autem narrationis filum & contextum hîc non recenſeo, quem veſtro iudicio relinquo. II.

1. Accedit igitur proditor, & Ieſum oſculatur. Vah, brute Brute, qui Cæſarem hunc patrem tuum ſic contrucidas! *Sueton. Cæſar. c.82.*

2. Vah, rebellis Abſalom, qui aduerſus patrem tuum ac Regem inſurgis, ac ſubditos eius mendacibus quibuſdam promiſſis ad ſeditionem concitas! *2. Reg.15.*

3. Vah, ſceleſte ſimie, qui ſuffocare conaris, quem tam arctè complecteris!

4. Non meminiſtis, auditores, ſicariorum illorum Africanorum, qui Philetæ vel Oſculatores apud Senecam nominantur, qui blando viatores per ſpeciem amicitiæ oſculo excipientes, eos interim nequiter perimebant?

5. 6. Videtis hîc Ioab, qui Amaſam fratrem ſuum, dum fraternè compellat ac ſalutat, proditoriè transfigit. Prô infidam perfidiam, ac numquam ſatis exaggeratam! Vnde bene, mea ſententia, aiebat vetus ille, qui tot in corde humano dicebat eſſe latibula, receſſus, reflexus, mœandros, ac voragines, vt inter omnia animalia nullum ſit homine tectius, nullum perfidius. Quare etiam bene rogat Sapiens, Quis *abyſſum & cor hominis inueſtigabit?* *2. Reg. 20*

7. Domus antequam concidant, vt bene obſeruat Seneca, rimas agendo fragorem edunt; animalia minantur, antequam petant; leones rugiunt, antequam lædant; ſed hominis ſceleſti ac perfidi antè malum reipſa experiris & ſentis, quàm id inſtare præuideris.

8. Sed, ô Iuda, ante lyncei illius, quem prodis, oculos ars hæc & occulta proditio fruſtra ſunt: ipſi enim cordis tui intima & renes interiores peruident.

9. An

9. An te hæc amoris indicia, quæ in te euibrat, non flectunt? Nequaquam, ô immanis tigris, nequaquam, auditâ quippe musicâ efferascis, & molle hoc oleum nequitiæ tuæ ac proditionis vlcus magis intoxicat.

10. Si amore non molliris, terrore saltem flectere. An non coràm vides, illo dicente: *Ego sum*, satellites ac lictores, quos conducis, retrorsum prolabi?

Exod.3. 11. Moyses consternatur expauescens, dicente Deo, *Ego sum, qui sum.*

12. Ioannes animo delinquitur, cùm vocem filij
Apoc.1. hominis audit velut *vocem aquarum multarum.*
Psal.28. 13. Hæc *vox* est *confringens cedros, vox virtutis, vox*
Iosue 6. *magnificentiæ*; vox potens & destruere (testis Iericho) & rursum ædificare.

Ioan.1. 14. Hæc vox Verbi est, *per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil.* Hæc vox est, quæ dicit &
Psal.32. simul dicta exequitur. *Dixit, & facta sunt.*

15. Tantæ maiestatis vox est, vt hanc audientes
Exod.20. Israelitæ Mosi inclamarent, *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.*

III. 1. Hi Antæi, post terræ contactum, rabidiores ac truculentiores, vt primùm in pedes constitêre, manus in Dominum, ipso permittente, inijciunt. Tertium id nostrum punctum est.

2.Reg.4. 2. En arca nostra captiua abducitur: qua amissâ omnia amissa.

3. En, vt rabidi ac furibundi illi canes miserum ceruum nostrum discerpant ac depascant.

Seneca Hippolyto. 4. En, vt Hippolytus noster ab equis ferocientibus violenter abripiatur ac dilaceretur, quò nouercæ atque impudicæ illius Phædræ, Synagogæ inquam, effræni sanguinolentæque cupiditati fieret satis.

5. En, vt bacchantes venti magno quodam impetu in constantiæ rupem insurgant, &

Aenei.1. ----*velut agmine facto*
Qua data porta ruant.

6. Non

6. Non tam densa in flores ingruit crepitans grando, quàm in sacrum Domini caput pugni & verbera; nam certatim omnes
-----certant illudere capto. Aenei. 2.

7. Petrus porrò, lethargo suo excitatus, cùm animo plenus, insolentiam hanc & violentiam ferre nequit,
Arma amens capit, at non sat rationis in armis; Ibid.
Sed glomerare manum bello, &c. hinc auriculam vni lictorum amputat: quem porrò ruentem mitissimus Agnus Christus corripiens inhibet.
Ipsum autem sumptis Petrum furialibus armis Ibid.
Vt vidit, quæ mens tam dira, miserrime Petre,
Impulit his cingi telis, aut quò ruis, inquit:
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

8. Atque vt olim Satanæ eum appellarat nomine, cùm passioni sese opponeret, ita modò illi minas intentat, nisi in vaginam gladium suum recondat; suam illi simul voluntatem, potentiam ac prouidentiam indicans. Matt. 4.
----Si Pergama dextrâ Aenei. 2.
Defendi possent, saltem hac defensa fuissent.

9. Quid hoc rerum est, Domine? ecquæ hæc agendi ratio? vt eos, qui te tuentur ac propugnant, impugnes, atque impugnantes te defendas ac protegas? ac miraculosè summaque cum humanitate aurem restituas carnifici huic Malcho, qui haud multò pòst colaphos tibi infringet. Qui te, ô inscrutabilis bonitatis abysse, tacitus admiratur, satis loquitur; te admiratur, qui tacet, quin imò adorat.

IV.

1. Vt primùm Petrum Dominus corripuit, reliqui discipuli relicto magistro in fugam se coniecerunt, herumque deseruêre. Hoc quartum nobis est membrum. hîc igitur dicere cum Poëta possum:
Excessere omnes adytis, arisq; relictis, 2. Aenei.
Dÿ, quibus imperium hoc steterat, &c.

2. Tales hauddubiè sunt amici sæculi huius, qui in prospe-

prosperis frequentes ingruunt, in aduersis porrò procul recedunt. Muscæ siquidem sunt, nonnisi in æstate viuentes, ac popinam & mensam consectantes, in hyeme verò emorientes.

3. Hirundines sunt, nonnisi calorem consectantes.

4. Columbæ sunt, nonnisi ad candida volutantes columbaria, & esca redundantia.

5. Vmbræ sunt, non aliter corpus comitantes, quàm dum sol lucet.

6. Amici sunt, nonnisi Orientem adorantes solem, vt Imperator ille olim aiebat, occidenti verò tergum obuertunt.

7. Heliotropia sunt, quæ sole oriente aperiuntur, & ad eumdem se conuertunt; vbi is occubuerit, occluduntur.

8. Pediculi sunt, nonnisi viuentia depascentes corpora, at nullum cum cadaueribus inanimis habentes commercium.

9. Aurum adulterinum sunt & obscurum, quod vbi primùm ingruerit aduersitas, pallescit.

10. Torrentes denique niuibus diffluentibus accrescentes, his verò fluere desinentibus, aridi.

Thren. 1. 11. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius,*
Psal. 37. *omnes amici de longè steterunt*: præter adolescentem illum, qui in Euangelio dicitur *sindone amictus super nudo* Dominum à longè secutus esse (quem nonnullorum opinio est, Ioannem fuisse dilectum Domino discipulum.) Nisum memini apud magnum Poëtam, dilecto suo Euryalo sublato sic inclamasse:

Virgil. 9. *Euryale infelix qua te regione reliqui,*
Aeneid. *Quave sequar?*

E prima hac statione retinete, dilectissimi, 1. quinque circumstantias orationis Domini in funesto hoc horto orantis, 2. quàm ipse nequiter ac scelerate à Iuda sit proditus, 3. à Iudæis comprehensus, 4. ab Apostolis desertus fugientibus.

(∵)

FERIA IV. IN HEBDOMADE MAIORE.

Secunda & tertia statio apud Annam & Caipham.

HOMILIA XXXVII.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando 2. *Aenei.*
Explicet ? &c.

EX horto *victores* illi *exultantes capta præda* *Isaiæ* 9.
per densas obscuræ noctis tenebras, quas tamē gemina suauissimi illius Agni lumina, eaq; fulgentissima, velut gemina quædam Castoris ac Pollucis sidera, vel sicut ardentes per noctem in amœnis pratis flammulæ illustrabant, Redemptorem raptāt atque abducunt. nisi aut hos fingere fortè malitis habuisse oculos, quales immani illi atque sanguinario *Sueton.* Tiberio Imp. fuisse proditur, rutilātibus rabiei suæ *c.* 68. furiantis radijs nocturnam caliginem dispellentes: *Tiber. vita.* aut columnæ illi igneæ, postridiè adeò obscurandæ, pseudo-Israelitas per spissas noctis & cæcutientis *Exod.* 14. furoris tenebras illuminanti Redemptorem comparare. An non videtis, quomodo eos furor transuersos agat? ad Annam primò contendunt iam exauctoratum, & Pontificatu defunctum, ab illo ad Caipham Pontificem anni illius mittuntur. Hæ duæ sunt stationes, quas hac homilia prosequemur, & vtramq; quadrimembrem. Prioris pars, 1. futura est Redemptoris raptatio, 2. eiusdem accusatio, 3. examen, 4. denique colaphizatio.

1. Quid? tot lupi in vnum sæuiunt agnum? 1.

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis, ô Iudæi. Nolite adeò raptare, satis vltrò sequetur: volūtaria illius & *spontanea oblatio* est; & nouus ipse *Deut.* 16. Curtius, vltrò se libenterq; ad mortē pro genere hu- *Val. lib.* 5. mano oppetendam exponens. *Venit hora*, quâ vestra *c.* 6. per opprobria & contumelias *clarificandus* est. *Ioan.* 12.

3. Si

Lib. 3. 3. Si legiſtis vnquam apud Poëtas Penthei à
Metam. bacchantibus Mœnadibus diſcerptionem; illius ſanè in Chriſto Ieſu imaginem videbitis.

4. Omnes etiam quas in Helenæ à Paride raptu contigiſſe indignitates ſcribunt, verè locum hic habuêre.

Thren. 5. *Poſitus eſt quaſi ſignum ad ſagittas* ab ardenti ipſorum ira ſuccenſas.

Aenei. 2. ---*Incenſa Danai dominantur in vrbe.*
Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

Gen. 37. 6. Ecce, vt omnes Ioſephi fratres auxiliarias præbeant manus ad eum in ciſternam demittendum; quiſque eum cædit, nemo non ſuam in innocuum hunc exonerat rabiem: hic eum percutit, ille ſubſannat; vnus fuſtigat, alter raptat, eſt & alius, qui funibus vincit: non ſatis ipſius in corpore loci eſt, in quo ſuam ſæuitiem exerceant; ac locus percuſſoribus deeſt, ſuper quo percutiant.

II. 1. Sic ergo malè habitum ac tractatum Annæ eum ſiſtunt, & ab horrendis quibuſdam vlulatibus, inconditis ſonis, velut abſonis mugitibus, accuſatio-
Pſal. 21. num ſuarum telam ordiuntur. *Circumdant illum vituli multi, tauri pingues obſident* eum, *circumdant*
Pſal. 117. eum *ſicut apes, exardent ſicut ignis in ſpina.*

2. Producunt itaque calumnias & impoſturas mendaces. ſed quid? ſi accuſare liceat, quis erit innocens? ſi fingere ſufficiat ac mentiri, fruſtra ſit veritas. Nubibus quidem inobſcurari ſol poteſt & tegi, penitus exſtingui non poteſt.

3. Calumniam proinde non inſcitè comparemus ſepiæ piſci, qui cùm reti concluſus eſt, atrum quemdam humorem ad aquam offuſcandam ſpargit, vt hoc pacto & oculos & manum piſcatoris effugiat; ſed tandem nigredo illa ſenſim euaneſcit.

4. Non propterea tamen calumniari deſinunt, perſuaſum habentes, vt vetus ille ſycophanta, tametſi plaga perſanetur, cicatricem perpetuam fore: ſtatuerunt ſiquidem, per fas aut nefas, illum neci dare.

dare. quin imò prophetauerat Caiphas, *Expedire, vt vnus homo moreretur pro populo.* Dicere igitur tum Dominus poterat, *Aperuerunt super me os suum, tanquam leo rapiens & rugiens.* Ioan.18. Psal.21.

5. In insolenti audacique hac accusatione, hæreseos aduersus Ecclesiam Agni huius sponsam insurgentis calumniantisque imaginem videte. Satis illi est, modò quid neget, inclamet, perturbet, subuertat, inuertat, quadrata mutet rotundis, cælum terræ permisceat, deprauet, interpolet, imposturas velut arma defensoria depromat, alibi sic contineri ac fieri asserat. Vera itaque chamæleon est, omnigenos induens colores, præterquam candorem veritatis.

III.

1. Hunc exorbitantem accusandi modum haud dissimile secutum est examen & interrogatio. Annas quippe potestatis suæ limites excedens, vtpote quæ iam exspirarat, duo è Redemptore sciscitatur. Primò quoad discipulos. Sed nihil respondit ad hoc postulatum reus. quid enim de illorum inertia ignauiaque pusillanimi laudabile afferre potuisset? simul etiam nos docet, alienas, quà possumus, occultare imperfectiones, aut saltem quodam modesti silentij velamine easdem obtegere.

2. Magne Constantine, qui tuo sacerdotum delicta & imperfectiones operire volebas paludamento!

3. Altera de doctrina illius fuit quæstio. de qua, vtpote sanissima ac sanctissima, apertè, liberè, ac palàm omnibus respondet, *non erubescens Euangelium*, quod *virtus est omni credenti.* Rom.1.

4. Videte Danielem nostrum suis in oraculis congruum quique etiam cum vitæ periculo suam profitetur fidem. Dan.1.

5. En frons adamantina, claris innocentiæ, candoris, ac veritatis fulgoribus ignibusque rutilans.

6. Manifestè ac palàm profitetur, non esse se vnquam in abscondito locutum; ad cælum, terram,

Angelos simul & homines, publicos & irrefragabiles operum ac verborum suorum, dogmatum ac gestorum testes, quæsitorem hunc ablegat.

IV. Terent. 1. Videte, quàm *odium parit veritas*, & quantopere fulgidi illius radij noctuis hisce fulgorem illum ferre non valentibus oculos perstringant. Auis illa Ioan. 3. diurna, quæ non nisi *lucis opera faciebat*, in scelesti cuiusdam furciferi Ministri dentes atque vngulas incidit. Ministri inquam, ita quippe in contextu legitur, *Vnus ex ministris dedit alapam Iesu dicens, sic respondes Pontifici?*

2. *Alapam*, cuius crepitus per quatuor mundi est angulos exauditus, quin etiam in cælo & ab inferis: Angelos simul & cacodæmones horrore complens. Matt. 4. Ipse etiam Satan, qui eum ad templi pinnaculum subuexit, maiori eum habuit reuerentiâ.

3. Sacrilegus hic nebulo, auditores, qui hanc mansueto Redemptori iniuriam intulit, Minister fuit, non sacerdos, quem piè credere possumus hanc alapam ratam non habuisse. Et est sanè Ministrorum, carnificum inquam (eadem enim vtriusque verbi est in sacris Litteris significatio) proprium, Iesum suis in verbis colaphis cædere. Cùm dicit, *Hoc est corpus meum*, sacerdos, etsi alioquin flagitiosissimus, ipsum credit & adorat; sed Minister negat, solis naturalium ratiuncularum suarum argutijs innixus: perinde ac si in Dei quis voluntatem inquirere, & potestatem eius illimitatam decempedâ aliquâ dimetiri valeret. Sed patientiam Domini, deinde furciferi illius nequissimi impudentiam & ingratitudinem hîc exactiùs paulò consideremus.

Prou. 15. 4. Redemptor accepto colapho, è Sapientis dogmate docentis, *Responsio mollis frangit iram*; leniter ac placidè respondet, animam illam errabundam lucrifacere & delinire satagens, paratusque, vt addit Augustinus, non iam alteram illi præbere maxillam, sed & corpus integrum ad salutem illius impendendum.

5. En,

5. En, lagena Gedeonis confracta lumen edit, simul etiam harmonicum tubæ sonum. *Iud.* 7.

6. En, vt concussa incus symphoniam edat, ad quā Iubal, Tubalcain patris fabrorum frater, musicam composuisse perhibetur. *Gen.* 4.

7. Videte, vt ignitus silex iam collisus igneas amoris scintillas euibret; sed inanes tantùm igniculos, vtpote quibus desit fomes, à quo concipiantur. Sic nimirum colaphizantur & irridentur, qui veritatem docent.

8. Colaphi huius figura fuit is, quem Michææ infregit Sedechias. 3. *Reg.* 22.

9. Itane, ô impudens Oza, sacram hanc arcam nostram profanis contingere audes manibus? 2. *Reg.* 6.

10. Audesne, ô temerarie & arrogans Ozia, thuribulum sacrum in manus sumere? 2. *Par.* 26

11. Quomodo, ô effrons Abiron, aduersus Moysen audes insurgere? *Num.* 16.

12. Nequeunt scilicet superbi liberum ferre verbum, multò verò minùs iustam aliquam reprehensionem: huc allusiuè trahi queat illud, *Tange montes, & fumigabunt.* *Psal.* 103.

13. 14. Sed notate insignem ingratitudinem. minister hic erat Malchus ille, cui auriculam à Petro in horto præcisam Redemptor ilicò restituit. *Haccine reddis Domino tuo,* serue *stulte & insipiens? ipse est, qui seruauit te.* Non ipse herus est, qui tibi *subula aurem perforauit* in libertatem te asserens, sed potiùs qui aurem tibi restituit ablatam. *Holocaustum & pro peccato non postulauit, aures autem aptauit* tibi, tam modestè, blandè, & amicè te alloquens. *Deut.* 32. *Exod.* 21. *Hebr.* 10. *Psal.* 39.

15. O inhumane ac brute asine, matrem calci us petis, postquam illius expertus es vbera.

16. Tu quoddam ingratitudinis es mare, aquas dulces in gremium tuum assiduè confluentes amaricans.

17. Tu vrna es & situla, qui cùm aquam è puteo hausisti, tergum ei obuertis.

18. Ferox & barbare Abante, ſolem iaculis petis, qui radiorum ſuorum calore tergum tuum leniter lingit.

V. Ad tertiam iam ſtationem apud Caipham veniamus, ad quem innocentem hunc reum Annas à rabida hac militum cohorte deduci iubet; in hac examinabimus, 1. illam, qua apud Pontificem hunc inſimulatus eſt, accuſationem, 2. quo hunc ille modo adiurarit, 3. Petrus negarit, 4. milites illuſerint & ſubſannarint.

Virgil. 2. AEnei. 1. ----*Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catuliq; relicti
Faucibus expectant ſiccis.

Ad eumdem planè modum barbari hi anthropophagi Saluatorem à tribunali ad tribunal raptant, quo effrenem ſuam exſatient rabiem, & conſpirationem ſuam exequantur.

2. Duos primùm falſos ſubornant teſtes, qui eum apud Caipham inſimulent; qui non aliter inuicem conueniunt & coincidunt, quàm duo illi, qui Suſan-
Dan. 13. nam circumuenire allaborarunt. Sceleſtum *genus hominum, publico exitio natum, & pœnis numquam ſatis coercitum.*

Gen. 37. 3. Ioſeph, Daniel, Naboth, Stephanus protomar-
Dan. 14. tyr inſignia innocentiæ malignè inſimulatæ ac ſub-
3. Reg. 21. uerſæ ſymbola ſunt.
Act. 6.
Pſal. 26. 4. At ſemper Deo permittente fit, vt ſibi ipſi noxij
Pſal. 106. ſint. *Mentitur iniquitas ſibi, & omnis iniquitas oppilat os ſuum.* Quod videre licet in horum duorum, qui Do-
Pſal. 26. minum accuſarunt, in teſtando diſſonantia. *Inſurrexerunt in eum teſtes iniqui.*

5. Deponit ſiquidem vnus audiſſe ſe dicentem, *Poſſum deſtruere templum hoc, & reædificare.* alter verò aſſeuerat dixiſſe, *ſe*, etſi euerſum eſſet, *poſt triduum* illud *reædificaturum.* Ergo in verbis ac teſtimonijs ipſis repugnantia proferunt. Ad hæc, quæ eorum cæcitas non videbant de ſui illum corporis templo loqui voluiſſe. 6. Audi-

6. Audite ad eumdem modum hæreticos verba hæc mille solibus clariora, *Hoc est corpus meum*, exponentes. omnes propè hîc inter se dissentient; mille enim à scopo aberrandi sunt viæ, vna dumtaxat eius feriendi: mendacio ac falsitati mille sunt facies, veritati vna solummodo.

1.2. Hanc vbi testium depositionem talem qualem Caiphas audiuit, *per Deum viuum* Dominum *adiurauit*, palàm vt diceret, verène *esset Christus*. Videte insignem Domini obedientiam, insignemque erga Patrem suum reuerentiam, quâ adactus, respondet paucis, *Tu dixisti*. Inde discamus, qualis esse Catholicorum debeat exorcismorum forma, quibus & ordinario & extraordinario modo dæmones torquentur. VI.

3. Deinde discamus, speciosam hanc coniurationem non aliter à scelerato hoc Pontifice institutam, quàm vt *iustum circumueniret, mitteret lignum in panem eius, & in verbis suis caperet eum*, vt *eum* deinde *de terra viuentium eraderet*. Sap. 2. Ierem. 11.

4. Videtisne illicium ac pellax carmen, quo innocuam auiculam illaqueare contendit? Præparata muscipula est, *vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum*: Parata etiam *fouea, in* quam *incidat*. Psal. 61. Psal. 7.

5. Propositio illius mollis est & blanda, sed introrsum occultata latent *iacula, quæ sagittent in obscuro rectos corde*. Psal 54. Psal. 10.

6. Ita noxiæ sunt adulationes, cùm aliò non tendant, quàm ad decipiendum & illaqueandum: aranearum namque telæ sunt ad vanitatis muscas captandas contextæ.

7. Huiusmodi hominibus plena sunt magnatum sæculi huius palatia. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. hi sua scitè ad assentationem, & ad fraudem compositè eloquuntur; non secùs ac molles vestes corpori adaptantur. Matt. 11.

8. Canes sunt Lazari, imperfectionum saniem lingentes, atque inde fit, vt vlcera foueant. Luc. 16.

9. Caiphas vt manifestum Redemptoris respon-

ſum audijt, ſcidit veſtimenta ſua, altaque inclamat voce, *Blaſphemauit*, ac velut mortis reum ad iudicem ſæcularem ipſum remittit; quam in ſequentibus ſtationibus abductionem excutiemus.

VII. 1. Interim Petrus, ſpecioſarum omnium ſponſionum ſuarum & animoſitatum priorum oblitus, ad
Pſal. 50. domus Pontificiæ ianuam Dominum negat, *vt Dominus iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat, cùm iudicabit.*

1. Cor. 10. 2. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Si columna inſtar arundinis concidat; quid ipſi fiet arundini?

Dan. 2. 3. Videte, vt parua quædam ancillulæ oppoſitio, vti lapillus ille de monte prolapſus, vaſtum illum promiſſorum Apoſtoli huius coloſſum euertat ac ſubruat.

Pſal. 48. 4. Videte quid ſit in ſuis confidere viribus. *Qui*
Pſal. 82. *confidunt in virtute ſua, Deus meus, pone illos vt rotam,*
Pſal. 17. *& ſicut ſtipulam ante faciem venti, & ſicut lutum platearum dele eos.*

Dan. 4. 5. Nabuchodonoſor, qui diuinitatem ambiebat, inſtar beſtiæ humiliatur. an non verè diuinitatem affectat is, qui in ſe magis quàm in diuina confidit gratia?

6. Hem, quanta hominum fragilitas! Vitrum ſunt, ac nauis, in medio mundanorum caſuum mari enauigans, qui ad minimã colliſionẽ impetumq; peſſum eunt. fruſtra proponit homo, niſi Deus diſponat.

3. Eſdr. 3. 7. Cæterùm, vobiſcum ipſi diſpicite, an non meritò Perſa ille purpuratus mulierem inter omnia creata cenſuerit fortiſſimam.

2. Reg. 11. 8. Scopulos & ſyrtes has fuge, frater cariſſime;
Iud. 16. neque enim es Dauide ſanctior, non Samſone fortior,
3. Reg. 11. non Salomone ſapientior: qui tamen hîc naufragium fecêre.

Aenei. 5. *Heu! fugito inuiſos ſcopulos, fuge littus iniquum.*

9. Fugite ad hæc gulam: erat enim ancilla culinaria.
Luc. 16. & noſtis luxum atque ingluuiem ſocias & contuber-
Gen. 3. nales eſſe. Exemplo vobis ſint diues Epulo, nec non humani generis protoplaſtus Adam.

10. Su-

10. Super hæc, auaritiã Simoniacam declina, Clerice; hæc q̃ppe ostiaria rapaces fidorũ loco canũ intromittit lupos, & ipsa proditorib. aditũ & accessũ dat,

Aeternumq́, adytis aufert penetralibus ignem.

11. Ipsa omnem pietatem offocat, deuotionem exstinguit, & nos terræ affigit, cùm nonnisi *in cœlis nostra esse* debeat *conuersatio*. Hæc tamen Ieremiæ hoc repeti loco querela potest, *omnes auaritiæ student etiam sacerdotes & Leuitæ, cuncti faciunt dolum.* Phil. 3. Ierem. 6.

12. Porrò sanctus hic Apostolus, vecordis ac femininæ abnegationis viperam non diu sinu fouet: postquam enim eum Redemptor respexit vel oculis animi, vt nonnullorum opinio est, vel corporeis, vti aliorum, ilicò *egressus est foras, & fleuit amarè.*

13. 14. O fulgidi soles, qui duræ huius petræ glaciem liquefacitis, quique cordis illius pœnitentis exhalationes in vberes oculorum pluuias resoluitis! ô lenis Auster, quo flante ros hic decidit! *flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Psal. 147.

15. O insignem virgam, quæ petram ferit, vnde promanant aquæ. Exod. 17

16. *Egreditur foras*, 1. peruersorum deserens consortium, 2. suum detestans peccatum, 3. occasiones fugiens: & palpebris eius lacrymæ prorumpunt, & *exitus aquarum deducunt oculi* eius. Plura quoad hasce lacrymas videre, benigne lector, easque dilatare ex locis ad marginem indicatis potes. Psal. 118. Lib. 17. Diuersit. c. 3. & li. 29. c. 1.

VIII.

1. 2. 3. Antequam verò lucesceret, dici non potest, quos insultus, irrisiones, subsannationes, exsibilationes, explosiones, & quot insolentiarum genera à lupis illis sanguinolentis passus mitissimus hic agnus sit. In faciem illi cõspuere, alapas infligere, vngues in vultũ ingerere, faciẽ velare, per ludibrium adorare, exsibilare, maledicere, ignominiosis cõtumelijs proscindere, pugnis deniq; cædere, funesti quidam ludi sunt, q̃b. hac milites eũ nocte ceu pilã quãdã alternatim iactitãt & agitãt. Quę rupes tot fluctib. nõ cederet & cauaretur? *Omnes fluctus* suos *induxerunt super eũ.* Psal. 87.

Ecquæ arbor, etiam robustissima, tot impetita ventis non diffringeretur?

AEnei.4 *Ac veluti annosam valido cum robore quercum*
Alpini Boreæ, &c.

4. Vt verum fatear, nihil non æquanimiter generosa quædam mens, præter solam contumeliam & explosionem, perferet: quomodo verò hæc ferat *1.Tim.1.* Deus, cui *soli omnis honor & gloria* debetur? Quousque te, ô sacra Domini mei humilitas, deiecisti?

5. Mithridates, Cleopatra, Brutus mortem subire malunt & præoccupare, quàm in insolentes victoriâ inimicorum suorum manus incidere infamiam veriti.

1.Reg.31. 6. Mortem potiorem habet Saul, quàm stragi & ignominiæ superuiuere.

4.Reg.2. Iud 16. Gen.9. Iob 2. 7. Elisæus, Samson, Noë, Iob, etsi alioquin viri perfecti, omnia aduersa patientiâ suâ superantes, vbi tamen ab alijs ludibrio & contemptui habiti sunt, patientiam seposuerunt.

8. Solius Redemptoris erat, amarum hunc calicem obbibere, quamquam etiam velatis tectisque esset oculis.

E Tertia hac statione discite, auditores dilectissimi, 1. quomodo Redemptor Iesus fuerit accusatus, 2. à Pontifice adiuratus, 3. Petrus magistrum negarit, & lacrymis culpam expiarit, 4. quibus contumelijs & opprobrijs mundi Saluator sit impetitus, & ex octo duarum harum stationum punctis totidem eliciamus documenta, ac 1. discamus crudelitatem detestari, 2. calumniam, 3. fidem liberè profiteri, 4. pro nomine Christi verbera plagasque pati, atque impudentiam & ingratitudinem odisse, 5. falsum testimonium execremur, 6. adorandum Dei nomen reuereamur, 7. S. Petri imitemur pœnitentiam, si eius secuti simus lapsum & præuaricationem, 8. demum inane mundi ludibrium ac subsannationem magna animi æquitate feramus.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

IV. & V. Statio apud Pilatum & Herodem.

HOMILIA XXXVIII.

NOTVM est *Diuidatur* illud è Salomonico iudicio, dilectissimi; quod ipsum in Iudæorum 3. *Reg.* 3.
Iesum semper nouorum cum dolorum ac cruciatuum incremento, modò ad sacra, modò ad sæcularia tribunalia raptantum itu reditúque hîc expressum video. Annas eum mittit ad Caipham, hic ad Pilatum; inde ad Herodem mittitur, qui demum ad Pilatum denuo ipsum remittit. Et quò denique non raptatur? vt nimirum omnium ille iudicaretur sententijs, qui pro omnibus pati venerat. Iudices in sacris litteris *dij* appellantur, de his porrò vetus quidam comicus ait, *Dij quasi pilas nos homines habent*; quod in his Domini vltrò citróque commeationibus videre licet. Intueri vos credite Orpheа à Bacchantibus Mænadibus discerptum, ac putate fabulam hanc in mitissimo nostro Iesu in veram transisse historiam. Porrò duas simul vobis stationes hîc deducemus, ad Pilatum vnam, & ad Herodem alteram; & singulas paucis in quatuor distinctam membra: quarum prima exhibebit 1. quomodo Pilato Iudæi Saluatorem stiterint, 2. ferale Iudæ proditoris suspendium, 3. quo hunc apud Iudicem modo Dominus sit accusatus, 4. quænam illum hic interrogarit. Arrectis auribus estote, vestraq; adhæc suspiria ac singultus cum voce mea lamentabili coniungitote.

Exod. 22.
Ouid. l. 11

Iamq; dies infanda aderat; sera sacra parari
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ. *AEnei.* 2

I. 1. *Manè facto*, ait Euangelista (summam vigilemque peruersorum ad malè agendum diligentiam notate) cruenti satellites Iesum ad Pilati, qui Ethnicus erat iudex, & à Cæsare Romano constitutus, prætorium deducunt vel raptant, eique hunc velut iam criminis manifestè conuictum ac mortis reum sistunt.

Iud. 16. 2. En vt Synagoga, perfida illa Dalila, egregium illum Samsonem in manus Ethnicorum Philistinorum consignet, vt ipsummet Verbi æterni vaticiniū
Matt. 20 adimpleretur dicentis, *Trádetur gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum.*

Ouid. l. 4 *Metam.* 3. En vt Andromeda nostra monstris truculentis exposita sit, & Perseum non habeat, à quo liberetur.

4. Magna nihilominus, occasione huius traditionis, fuit in Synagoga diuisio, & *schisma erat inter eos.* Habebat quippe in ea occultos multos discipulos Dominus: Nicodemus siquidem illius producebat miracula, Gamaliel mala etiam recensebat, quæ post
Actor. 7. necem Prophetarum secuta erant. hinc *dissecebantur cordibus,*

In partesq; ruunt varias, perq; omnia versant.

5. Tandem potentia, rabies, & suffragiorum mul-
Eccles. 1. titudo euincunt: *stultorum* quippe *infinitus est numerus.* Væ tribunalibus ac sodalitatibus, in quibus sæpè suffragiorum ac sententiarum multitudo rationis laborat inopiâ; vbi *numerantur sententiæ, non ponderantur.*

6. Elige, Pilate; *vtrumq; feceris, pœnitebis.* Si sacrificium offerre volueris, en agnum sine macula, sed non est ille supplicijs subeundis proprius; si mortem is oppetat, te ipse reum constituis; si non moriatur, ipsi perimus.

II. 1. Interim dum causa hæc à Pilato disceptatur, Iudas anxius ac desperans collum constricto laqueo
2. *Reg.* 17 insertat. sceleris sui detestabilis horror ad laqueum eum, vt olim Achitophelem compellit.

2. Orestes

2. Orestes est, diris ob paricidium suum furijs agitatus. *Omnibus vmbra locis adest, & culpam pœnæ premit ad* calcem *comes*; nec magis ab inuicem hæc sequestrantur quàm à corpore vmbra; nam *rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* AEnei. 4 Horat. l. 3. od. 2.

3. Ac velut alter Cain, adeò sibi persuadet commissum suum esse graue, vix vt veniam promereatur. Detestabilis, qui Deo se maiorem credit, ac facere se posse, quod ille nec dissoluere, nec ignoscere posset, quæ desperatio longè proditione ipsa est damnosior. Gen. 4.

4. Sic dicitur harpyia seipsam necare, postquam hominem suffocauit, ob aliquas similitudinis notas, quas cum facie humana in suo habet capite.

5. Sic trepida & cœptis immanibus effera Dido 4. AEne.
Sanguineam voluens aciem, &c.

Desperabundum hunc proditorem in ferali furiatæ huius reginæ morte intuemini. *Heu quid agat?*

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt 2. AEne.
Accipere? &c.

6. 7. O *altitudo scientiæ* ac prouidentiæ Dei, *quàm inuestigabiles viæ eius!* Duos hosce Apostolos inuicem conferte, Petrum & Iudam, & quàm dispar vtriusq; exitus sit, dispicite. illum saluãt lacrymæ, hunc dãnat restis. Egregiè hoc expressum videas in hoc tetrasticho, quo casus fortuitus cum ratione pariatur. Rom. 11.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesauriq́, loco condidit hic laqueum:
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptauit collo qui fuit hic laqueum.

8. Sic duarum triremium eodem volitantium mari vna eademque tempestate iactarum vna sospes portum inuehitur, altera scopulis allisa triste naufragium facit.

III.

1. Postquam Iudas iam laqueo & proditionem & vitam terminasset, à sua parte Iudæi non minùs sunt

ſunt in vehemētibus ad vitam innoxio Ieſu eripiendam accuſationibus producendis occupati. In quo, ceu rabientia quædam animalia, vnà cum dentibus venenum infigunt, & dum mordent, occultè mortem infligunt.

2.3. Atque vt leo putrediné & vlcus generare perhibetur in loco, quem morſu tetigit, ſic illorum inſimulatio nonniſi ad mortem inferendam tendit: *parauerunt in ea vaſa mortis, ſagittas ſuas ardētibus in-* Pſal. 7. *fecerunt.* Quare dicere non immeritò Redemptor po- Pſal. 21. terat, *ſalua me ex ore leonis, & à cornibus vnicorniū,* Pſal. 68. impetentium, non tamen quem feriant videntium, *humilitatem meam; ne abſorbeat me profundum, nec aperiat ſuper me puteus os ſuum.* blaſphemum quippe & clamoſum os illorum patens quædam erat abyſſus, nonniſi ad abſorbendum hians.

4.5. Dicunt igitur illum ſeductorem eſſe, perduellem, turbatorem, populum ad ſeditionem concitare, aduerſus Cæſarem commouere, regno inhiare, regnum ambire: quæ carbone ipſo tetriora erant mēdacia, & calumniæ. Sed erant plauſibiles, quæque facilè à plebecula creduntur & admittūtur. Quærūt igitur nodum in ſcirpo, vt vetus habet prouerbium, de nudis controuertentes voculis, eaſque perperam interpretantes.

6. Baculus rectus in maleuoli ipſorum animi aqua apparet incuruus; & deprauati hi ſtomachi optima quæque cibaria in atram conuertunt bilem.

Pſal. 13. 7. Ad calumniam confugiunt, quæ *venenum aſpidis ſub lingua* habet, cùm vera quæ adferant deſunt crimina; & calumniam quidem cruentam, vt ſcilicet patrem ſuum diabolum, id eſt, calumniatorem, qui *ho-* Ioan. 8. *micida fuit ab initio,* imitentur.

IV. 1. Cùm vnam accuſantibus Pilatus aurem præbuiſſet, aliam rei defenſioni reſeruat audiendæ; qui quā erat patientiā, modeſtiā, & manſuetudine, cùm taceret, ad examen iudex deſcendit; ſed ſuo examen cōforme genio & vanitati gentili. Sciſcitatur igitur,

Rex

Rex es tu? ambitiosi quippe semper de honoribus somniant, & cùm Cæsaris cliens & subditus foret, de illius commodo & re dumtaxat laborat.

2. Dispice, Pilate, ac vide; trutinam vitæ ac mortis in manu libras, *ignis & aqua ante te posita est*; lances æqua, rectus & iustus esto. Eccli. 15.

3. 4. Cogitate, iudices, nouaculã chirurgi vos manu versare; si vel parũ manus vacillẽt, ac deflectãt, vuln⁹ mortale infligitis, & perniciẽ adfertis. Ferrũ candẽs versatis, quapropter maximę circũspectionis ac cautelæ forcipe ipsum tractandum. Et *nunc*, iudices, *intelligite*, rectà incedite; & secundùm Deum & æquitatem potestate vestra fungamini. Psal. 2.

5. Imprimis cùm de morte homini inferenda, deque passu illo irreuocabili agitur, ponderate, & maturiùs paulò diutiusque dispicite.

Habent parua commoda magna moræ.
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa.

Veritas temporis filia illius adminiculo tandem aliquando puteo Democriti proserpit: lædi quidem ipsa potest, non occidi.

6. Ad interrogationem de regno respondet Dominus: *Regnum meum non est de hoc mundo, sed in hoc veni, vt testimonium perhibeam veritati.* Tum Præses, *Quid est veritas?* qui, vt erat pręceps, cũ videret, ex hac Redemptoris negatione nullum diademati Cæsareo posse detrimentum accedere, non exspectato ad petitionem responso, egressus est foras ad innocentiam Domini populo declarandam. Quorum occasione notabitis Primò, muscam hanc in scabroso & aspero regni pariete hærescentem in glabro veritatis speculo pedem non figere. Secundò, terrenis dignitatibus Redemptorem valedicere, vt ad earumdem contemptum clientes suos & sectatores inuitaret: quod sanè repudium omni est imperio sublimius. *Regnum est*, inquit Seneca, *nolle regnare, cùm possis.* Et pro-

profectò pluris fit in veteribus historiarum monumentis voluntaria illa Diocletiani ad vitam priuatā concessio, & patrum memoriâ Caroli V. Imperatoris curarum Imperij abdicatio, quàm infrenes omnes ambitiones eorum, qui maximo hactenus studio regnis ac diademati inhiarunt. Tertiò, eâdem notabitis operâ, plurimos, qui ore tenus amare veritatē se dicunt, aures ab eamdem docentibus auertere. Nemo non in templis, cùm aqua lustralis benedicitur, aures arrigit; at cùm eadem in populum spargitur, cuncti oculos claudunt.

10. Pilatus cum ratione nihil apud implacabilem hanc plebeculam, apud belluam hanc mille auriū, sed lingua carentem euinceret, prudens quoddam stratagema comminiscitur, quo causam à se amoueret. Dicitis, inquit, regno hunc inhiare; cumque Regum sit, nonnisi cum Regibus in stadio certare, nonnisi à Regibus iudicari, denique nonnisi regificè haberi; ad Regem vestrum Herodem hunc deducite: hoc illius interest, hęc ad illum res spectat, hęc apud illum causa controuertenda. Interim verò dum lictores & apparitores hi ad Herodem agnum hunc mansuetissimum conducūt, vobiscum ruminate, dilectissimi, 1. quomodo illum Pilato stiterint, 2. ferale Iudæ suspendium, 3. maligni Redemptoris accusationem, 4. Quo fuerit demum ab præside interrogatus modo.

Interea ad quintam propero stationem, quæ apud hunc Iudææ regem est; quam in quatuor dispertiemur membra. 1. videbimus, quomodo apud hunc fuerit accusatus, 2. quid ab eodē rogatus, 3. cur alba hic veste indutus, 4. quomodo Rex hic & Præses, qui inimici antè ad inuicem erant, amicitiam exinde redintegrarint.

V. 1. *Ecce manus Christum interea post terga reuinctum*
Crudeles magno ad regem clamore trahebant
2. AEne. *Hebræi*, &c.
Vndiq; visendi studio Iudæa iuuentus
Circumfusa ruit.

2.3.4. Vt ergo primùm ad Regem hunc ventum est, lupi ecce vlulare & rabire, alij inconditis quibusdã clamoribus inclamare prædę inhiantes. En, vt ranæ, vel potiùs bufones, in vliginosis cœnosæ malitiæ suę paludibus coaxent. Confuso quodam obstrepunt & obmurmurant sono, vt *voces aquarum multarum*, & torrentium de summis montibus cadentium fragores. Clamores suos vt veritatem admitti volunt, & fidem ideo dictis suis haberi, quòd elata vociferentur voce; calumniosas suas identidem repetunt cantilenas, quæ assiduè *sua per mendacia crescunt*.

5. Quæ omnia Redemptor ne responso quidem dignatur. Est quippe nouus ille Socrates, qui aduersus Anyti & Meliti accusationes nullam componi apologiam vult, adeò scilicet mortem ridet & contemnit. *Diogen. Laert.*

6.7.8. Quem proinde parem censeam ingentibus illis molossis, qui ad minutorum catellorum latratus ne pedem quidem figunt, probè gnari nonnisi ad latrandum his vocem esse: Ac rupi, quæ stabilis ac firma manens, mollibus vndarum allapsibus magis politur: in constantiæ illius soliditate tela hæc fracta vim omnem perdunt. Quare dicere meritò poterat, *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum obmutui. & humiliatus sum, & silui à bonis.* *Psal. 37. Psal. 38.*

9. Non melior autem calumniantes vincendi ratio est, quàm ad absurda illorum obiecta nihil respõdere: quique magis tacuerit, optimè ijs responderit. Hac ratione, tacendo scilicet, Ioseph & Susanna accusatores, & æmulos suos superarunt. *Protector est Dominus omnium sperantium in eo. protector vitæ* est innocentium. quid ergo metuat? *Gen. 44. Dan. 13. Psal. 17. Psal. 26. Psal. 87.*

10. Circumdare illum calumnia potest velut aqua. *Circumdederunt me sicut aqua, circumdederunt me simul*, &c. non tamen penetrare, vel transcendere.

VI.

1. Pari quoq; silentij clypeo inanes, curiosas, & ineptas friuoli huius regis quæstiones retundit: qui cũ

multa de Redemptoris diuinitate, miraculiſque interrogaret, atque vt Iudæi olim ſignum fieri ab eo videre vellet, taciturnitate eiuſdem coactus eſt rogandi finem facere. *Iniquitatem in excelſo loquebatur,*
Pſal. 72. *ponebat in cœlum os ſuum. meditabatur inania.* Tacitur-
Pſal. 2. nitas ac ſilentium vera erat moneta, qua illius ſatiſfaciendum erat ineptiæ.

Pſal. 63. 2. *Accedit homo ad cor altum, & exaltatur Deus.* Credebant conſtructores turris Babel cœlos eò al-
Gen. 11. tiùs ſuſtolli, quò ſuum in terra opus magis ſurgebat.

Iſa. 66. 3. Spiritus Domini nonniſi ſuper humiles ac timentes requieſcit, nec niſi humilibus ſua reuelat arca-
Matt. 11. na, non autem ſapientibus ac ſuperbis.

4. Reſponſionum ſuarum vngues ad inutiles ſtolidi Herodis poſtulatorum muſcas aquila noſtra non exertat vel expandit.

VII. 1. 2. 3. 4. 5. Qui cùm verè fatuus fatuam eſſe putat taciturnitatem, veræ potiùs ſapientiæ notam, Redemptori tacenti ſtultorum ſchema veſtem albam circumdat. In quo magna Dei elucet prouidentia, qui contumeliam hanc in ædificationem & laudem
1. Cor. 3. vertit: primò namque *ſtultitia mundi huius ſapientia eſt apud Deum.* Secundò, color hic innocentiæ Dominicæ nota eſt & argumentum. Tertiò, eodem vitæ illius puritas, candor & integritas deſignatur. Quartò, hinc manifeſtum fit, quomodo malignus hic mundus ſimpliciores ac pios explodat ac ſubſannet.
Sap. 5. *Hi ſunt quos habet in deriſum. Voſne,* inquit, de fatuorum illorum eſtis numero? heu, quã ſimplex & blennus es! Simplicitas quippe hæc apud illum quaſi inſignis quædam iniuria eſt & opprobrium. Quintò, hinc ad liquidum patet, ordinarias diuitum ac magnatum oblectationes eſſe mimos atque hiſtriones, à quibus nugis & ineptijs inanibus reficiantur.

6. Harpaſtes ſortem miſeratus Seneca, quam eius vxor fatuam habebat, hoc hominũ genere ſeſe negat dele-

delectari: at *si quem videre fatuum*, inquit, *est animus, me ipse contemplor*. Quamobrem, Herodes, stolidum aliquem videre si cupis, teipsum considera. Senec. epist. 50.

7. Interim videte, vt æterna & increata Patris sapientia habeatur in terra velut fatuitas & stultitia. Ecquæ humilitas! *Omnes videntes me deriserunt me.* Psal. 21.

8. Non tam notabilis fuit contumelia, nec tanta, qua Ammonitarum rex Dauidis legatos affecit. 2. Reg. 10

VIII.

1. Hoc in schemate Agnus noster, candido amictus vellere, ad Pilatum remittitur. Et ab illa hora, vt notant Euangelistæ, duo hi inter se dissidentes, inuicem reconciliati sunt. quis verò nescit, ipsam Domini passionem *nostri* esse *cum Patre* æterno *reconciliationem*? Rom. 5.

2. *Ipse est pax nostra*, omnia inter se vniens: ipse *lapis angularis* vtrique, tum Gentilismi, tum Iudaismi, faciei communis, quique duas hasce nationes in suã pariter Ecclesiam vocauit. Ephes. 2. 1. Pet. 2.

3. Videte, vt lupi hi, qui alioquin odio inuicem acerrimo insectantur, conspirent, & coniungantur, vt ouiculam vnam dilacerent ac dilanient.

4. O sanguinem! ô gluten inquam tenacissimum, qui corda se mutuò nequaquam ferentia quàm arctissimè conglutinas!

5. O compositum è sanguine simul & viua calce cæmentum, quod voluntates etiam disparatissimas ita connectis, vt inuicem nequeant diuelli!

6. Si, ô iurati, coniurati, & irrecóciliabiles inimici, sanguis hic pretiosus vos ad vnionem non excitet, an non Pilato & Herode deteriores & peruicaciores estis?

7. S. Ioannes Gualbertus cùm ante conuersionem hostis sui iurati, à quo insignem acceperat iniuriam, vitam mortemve in manu quodammodo haberet; per pretiosi huius sanguinis amorem ab eodem rogatus, omnem illi penitus iniuriam remisit. Tu

igitur adamante durior, inque inimicitia offirmate, an non emollieris?

8. In hac tamen reconciliatione, quæ simul in mortem Iesu Christi conspirauit, hæreticorum agendi modum notare est; qui, quamuis inter se discrepent, & varias in sectas distincti sint, tunc tamen conueniunt & vnum sapiunt, cùm Ecclesia agni sponsa destruenda & oppugnanda est.

Ex octo harum duarum stationum punctis totidē nobis eliciamus documenta. discamus, 1. præcipitem cęcumque iræ impetum non sequi, 2. nunquam ad desperationem redigi, 3. euitare calumniam, 4. mundi honores & dignitates repudiare, 5. maledicis obtrectationibus & sannis nihil respondere, 6. curiositatem omnem fugere, 7. pauperes non irridere, 8. Christi Domini causa cum inimicis in gratiam redire. Sit ille benedictus in sæcula. Amen.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

VI. & VII. statio in prætorio, & monte Caluariæ.

HOMILIA XXXIX.

CROESI filius inde vsque à natiuitate mutus loquendi potestatem è vehementi quadam intensaque apprehensione recepit; cùm scilicet patri suo videret à milite quodam, cui ignotus is erat, necem intentari: nam ruptis linguæ vinctæ repagulis, *Rex est*, clamare cœpit, *quid agis*? qua miles voce excitus & obstupescés abiectis armis veniam rogat. Equidem tametsi mille tendiculis reuinctam haberem linguam, omnes hosce ab immanis mortis Iesu Christi Patris & Regis cordis mei horrore nodos Gordios ilico disrumpi posse credo, & os

& os meum sermonibus si non facundis , fœcundis saltem in adeò vberi argumento verbis replendũ. Cõfitetur ingenuè Moses, non posse se populo *mirabilia Dei viuentis* eloqui, & ecce vnà cum virga sermonem ac loquendi vim illi Deus dat. Quis porrò nostrum Dei morientis referre supplicia ex æquo posset, nisi florida illa virga, crux inquam, in quam verus actus est serpens , qui à peccati nos plagis persanat, auxilio foret? *Exod. 4.* *Num. 21.* *Gal. 6.*

Tu, ô sancta crux, omnis es eloquentiæ & prædicationis Paulinæ gloria, tu quercus illa Dodonæa, cuius frondes totidem sunt oracula. Vtinam tot ipse haberem linguas, adeoque penetrantes, quot apex tuus, ac summitas spinis insessa est! nostra vos, ô pũgentes aculei, quæso, corda tot compassionis sensibus replet, quot Domini mei cerebrum doloribus transfixistis.

Cur non, Deus meus, tempestiuè satis adfui , vt plenis ad Iudæos inclamarem buccis , nolite obsecro cæli terræque regem tam immaniter trahere. *Si enim*, vt testatur Apostolus eum *cognouissent, nunquam eum crucifixissent*. Sed iam inde *ab mundi origine immolari* debebas, ô *agne* sancte, tum quòd irreuocabilis prouidentiæ tuæ decreto ita statutum esset, tum ob insatiabilem carnificum horum immanium barbariem. *1. Cor. 2*

-------- *quid vota furentes,*
Quid delubra iuuant? irata est flamma medullas.

Quare agite, percurramus quod nobis stadij est reliquum, id est, funestam hanc catastrophen his duabus stationibus vltimis prosequamur. harum vtraque quatuor habebit capita. Primæ primum futurã est Barabbæ prælectio, 2. flagellatio & coronatio, 3. productio ad populum, & vox Pilati dicentis: *Ecce homo*, 4. Domini nostri Iesu Christi condemnatio. Tot inter procellas ac tempestates prosperum nauigio nostro Deus cursum elargiatur.

L 1.2. 3. Pilatus cùm è veſte alba, quam ab Herodis regia Redemptor retulerat, Agni huius immaculati innocentiæ manifeſtiſſimum colligeret argumentũ, omnem lapidem mouet, eam vt lictoribus ac miniſtris Iudæorum perſuadeat, Ieſumque morti eripiat, quare ſæpiùs elata ad populum voce proteſtatur, nullã in eo ſe mortis inferendæ cauſam reperire.
Gen.27. Verum dicis Pilate, planè ab omni ipſe eſt culpa immunis, ſed ipſi rei ſumus. An non vides eum Iacob quemdam eſſe, qui ſordium noſtrarum circumdatus pelliculis, Patris ſui elicere vult benedictionem? ſed, ô barbari,

AEnei.9 *Me me, adſum, qui feci, in me conuertite ferrum,*
Hebræi, mea fraus omnis, nihil ille nec auſus,
Nec potuit.

2.Reg.18. 4. *Quis mihi det*, dilectiſſime *Abſ. lom, vt ego moriar pro te?*

5. Sed fruſtra vobis occlamo, immites carnifices, nimiùm quantum enim *ſanguinem iuſti huius* ſititis. deinde, quæ digna in locum eius ſurrogari poſſet hoſtia?

6. Præſes itaque ſtratagema quoddam adinuenit, ne tam immani ſe ſcelere, manifeſtè innocentem ſcilicet morti adiudicando, obſtringat. Optionem eis itaque pro more ſuo (ſolemne enim habebant è prærogatiua quadam circa Paſcha vinctorum quẽdam in libertatem aſſerere) dat, vt vtrum vellent, dimitterent, Ieſum an Barabbam: illius proponit innocentiam, dira huius commiſſa in remp. flagitia. obſecrat, rogat, inſtat, ſuadet.

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
AEnei.4 *Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori,*
Ne quid inexpertum fruſtra intentatumq́, relinquat.

7. At fruſtra hæc apud cruentos illos atque implacabiles ſanguiſugas fiunt, qui tigribus immanibus (tãetſi hę agno viſo miteſcãt) truculentiores, ſceleſtũ, prout effrenis dictabat rabies, nullum rationis ſecuti ductum, Barabbam dimitti rogant, & Ieſum benigniſ-

nignissimum morti adiudicari, plenis inclamantes faucibus, *Tolle eum, crucifige.*

8. *Aduersi rupto ceu quondam turbine venti*
Confligunt, &c.

9. O malè ominatæ ac ferales noctuæ, quæ tenebris lucem posthabetis; sed, quidquid demùm feceritis, *abscondi non potest*: quippe illa & calumnias, & cuncta mendaciorum vestrorũ obstacula perfringit. Quàm, ô *filij hominum, mendaces* estis *in stateris* vestris! ecce *concipitis dolorem, & paritis iniquitatem, & parturitis iniustitiam.* 2. *AEne.* *Matth.* 5 *Psal.* 61. *Psal.* 7.

Cœlum pro tanto scelere, & pro talibus ausis
Persoluat grates dignas.

10. Mens vestra, phrenetici, pallet, ac liuet introrsum; palatum vestrum deprauatum ad salutares nauseat cibos, vt noxijs pascatur: sed inuidia est ac liuor, à quo ipsum sic deprauatur, atque ita

11. *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* *Virgil. Eclog.* 2.

12. 13. Quoties, ô mundani Iesum in crucem egistis, vt Barabbam complecteremini? toties scilicet, quoties ob momentaneam vanitatem, voluptatem, auaritiam, vel pro *lentis edulio* nequiter *primogenita* & æternæ hæreditatis vestræ portionem vendidistis. *Gen.* 25.

14. Manassen igitur, ô Iudæi, Ephraimo præponitis, & secundogenitum *primogenito omnis creaturæ.* *Gen.* 48. *Coloss.* 1.

15. 16. At nondum hîc furor & rabies vestra stat: *superbia* vestra & odium *ascendit semper.* super vos & super filios vestros sanguinem illum, quẽ ipse etiam præses innoxium clamat (ô infortunatæ cucurbitulæ) deuocatis: an non metuitis, perfidi Caini, ne iusti huius *Abelis sanguis* vltionem ac *vindictam in cœlo clamet*? *Psal.* 73. *Gen.* 4.

17. *Sanguis* hic & est, & erit non modò *super vos*, verùm etiam in vobis, & nefanda posteritate vestra. Noueritis enim, dilectissimi, iã inde ab illo tempore Iudæos etiã masculos menstruis profluuijs mansisse *secundùm consuetudinem mulierũ* obnoxios; in Luna verò, in quam incidit Pascha, fluxus hosce extraordinarios *Gen.* 31.

dinarios & vberiores esse; vnde fit, vt vultus eorum
Gen. 24. plerumque palleat, oleaginum ac tetrum quemdam colorē præferat. En *sanguis eius exquiritur*, vt aiebant de Iosepho fratres.

II. Vt fractus hic neruus est, alium Pilatus intendit longè magis sonorum, & acutiorem. Diabolo igitur suggerente, consultum fore ad liberandum eum opinatur, flagris concisum, coronatum, ac planè disformatum populo spectandum dare, vt tristi hoc spectaculo adamantina plebis corda emolliantur.

1. Hîc compati nos necesse est, anima mea, & condolere. an nō enim par est, nos, qui membra sumus, iucunda quadam sympathia capitis nostri doloribus compati?

2. *Qualis est dilectus tuus?* Respice. *dilectus meus cā-*
Cant. 5. *didus* est innocentiâ *& rubicundus* sanguine suo;

--------*Quale*

Fulget ebur, Tyrio quod femina tinxerit ostro.

Isa. 63. 3. Ipse est, *qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bozra*
Psal. 72. & purpura. *Et fuit flagellatus tota die, & castigatio e-*
Psal. 37. *ius in matutinis* Ecce *in flagella paratus sum, & dolor*
Gen. 49. eius *in conspectu* suo *semper*.

Cant. 1. 4. Ipse est, qui *lauit stolam suam in vino* sanguinis
Exod. 17. sui: *vbera* quippe eius *dulciora sunt vino*.

1. Cor. 10. 5. 6. Iam petra (*petra autem erat Christus*) virga
Psal. 77. percutitur, & *torrentes inundauerunt*. Quid agitis Iudæi? an non frustra laboratis ac sudatis, dū constantiæ petram tunditis? non verè vos apes illæ stolidæ, quæ AEneam Myronis buculam aculeis configitis?

7. Quā, ô truces carnifices, patiētiā illius exercetis?

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Eruere agricolæ certant, &c.

Liui⁹ l. 8. Quotnam, ô calide amoris fons, flammarū riuos eijcis! quin tu, cor meum, siphonis atque amphoræ vicem subis ad sanctos & purgantes hosce liquores excipiendos?

9. An non, ô Domine tu Tarquinius ille iunior, qui *Herod. l.*
quò Ardeam patri subigeret, ad sanguinem vsque se *4.*
flagris passus est concidi?

10. O generosum Zopyrum, qui quò sub Darij regis sui imperiũ Babylonem redigeret, turpe sibi nõ duxit habere *truncas in honesto vulnere nares!*

11. Hoc modo cõscissus dũ esset agnus, & lassi carnifices cædẽdo, sed necdũ pœnis satiati, tormentũ, ecce, cõminiscũtur iã recẽter auernali prodiẽs cauerna, & omnib⁹ hactenus seculis inauditũ. Coronã è iũcis cõtexunt marinis (quorũ aculeis nihil dari potest aculeatius) & hanc baculorum violentia capiti Saluatoris infigunt: qui qualis fuerit cruciatus, vobis cogitandum, auditores, relinquo.

12. O candentia *inter spinas lilia!* Tot, ô Deus vulneris *Cant. 2.*
cordis mei, quæso, cor meũ amoris tui sancti sagittis illicijsque vulnera.

13. Itane, ô dulcis Redemptor, in caput tuum terræ maledictionem arcessis? etiam Domine; pulcherrimum quippe misericordiæ tuæ sertum peccatorũ nostrorum est remissio.

14. Communis mysterij huius figura est aries ille *Gen. 22.*
in Abrahæ sacrificio vepribus implexus.

15. Cùm neque hæc mania sufficeret, aliam adinueniunt. Vt etiam manum eius conuulnerent; baculum è rosa spinosa, vel, vt alij, iuncum marinum illi inserunt; arundinem scilicet vacuam & aculeatam, eamque, per ludibrium, in formam sceptri adaptatam, & per malitiam, ad eum conuulnerandum & pungendum.

Hoc illum in schemate, improbis illis ac sa- *III.*
crilegis quidem ridiculo, sed pijs, & etiamnum aliquam humanitatis micam habentibus deplorabili, ad populum producunt in prætorij pergulæ spectandum, vbi adstans Pilatus illis inclamat, *Ecce homo.*

1. Mentiris præses, non est homo, ne quidem homi-

hominis figuram præfert: vermis eſt contritus: *Ego*
Pſal. 21. *vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.*

Thren. 1. 2. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor* eius. Sic ſcilicet pretioſa
Ioan. 7. redemptionis noſtræ merx producitur. *Si quis ſitit, veniat & bibat; miſericordia* eius ſupereffluens eſt, &
Pſal. 129 *copioſa* noſtra *redemptio*, ac *menſura bona & conferta.*
Luc. 6.
Iob 2. 3. Iob vlceribus horridus numquam amicos ita ad ſui compaſſionem emouit, quàm nos hoc in ſchemate noſter mouere Ieſus debet. *videmus eum quaſi*
Iſa. 53. *leproſum, cui nec ſpecies eſt, neque decor.*

4. *Obſtupuêre animi gelidusque per ima cucurrit*
Oſſa tremor;

cùm hoc eum in ſtatu contemplor: crediderim equidem, ſi vel canem ita malè immaniterque habitum videremus, ad commiſerationem nos aliquam concitandos. quid? prudens etiam & cordatus Vlyſſes ob ſui mortem canis non tamen adeò crudelem, lugere non dubitauit.

5. Venit mihi hoc loco in mentem feralis illius ſimulacri, quo Aeneæ in ſomnis apparuit Hector, quòd Poëta ſummus venuſtè admodum deſcripſit:

2. AEne. *In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſsimus Hector*
Viſus adeſſe mihi.

9. Quid? Phrynes venuſtas etiam ſeueros ac tetricos Areopagitarum animos inflectere potuit; & mi-
Pſal. 44 ſeranda *ſpecioſi præ filijs hominum* deformitas trucem ac ferocem hanc plebeculam emollire non poterit?

IV.

1. Nequaquam; clamores etenim ſuos, quibus eũ ad crucem poſtulant, ingeminant; ſuperaddũt & minas, quæ Pilato timorem inijciunt, ac nutantem & ancipitem eius hactenus animum in alteram tandẽ partẽ propendere faciunt, Redemptorem vt morti addiceret. O ſententiam præter omnem iuris formulam

& ha-

& hactenus vllo in tribunali inauditam, diametraliter quoque cum omni æquitate pugnantem! *Tradidit illum voluntati illorum.* Quis enim legit vel audiuit vnquam reum aduersariorum actorumque potestati consignari?

2. Suam tamen iniquitatem colorat, ad eamque violenter se adactum ostendit, suamq; etiam in morte hac innocentiam declarat. Manus lauat, nõ autem cor; cerimoniam seruat, à simonia tamẽ, quam Iesum innoxium tradendo committebat, non cauet. proinde *excusat excusationes in peccato suo.* Psal. 140 Sic & Adam & Gen. 3.4.
Cain, cùm commissa purgant, noua commisêre; qui si Prou. 18.
se accusassent, veniam obtinuissent. *Iustus accusator* Psal. 72.
est sui; at impius *operit iniquitatem*, sed postea *con-* Psal. 108
fusione sicut diploide cingetur.

4. Quàm bene hoc Sapientis monitum in panicum timorem tuum, quo dignitate aut Cæsaris gratia excidere vereris, quadrat, Pilate; *Noli quærere fieri iu-* Eccl. 7.
dex, ne fortè expauescas faciem potentis, & ponas scandalum in lenitate tua?

5. Iam itaque plaudunt veluti victores, satellites, & quam tantopere quæsiêre prædam, iam vnguibus tenent: hinc in eam certatim irruunt & ingruunt,

Non sic aggeribus ruptis cùm spumeus amnis 2. Aenei.
Exijt, &c.

Quare repetere cum Propheta mitis ille Agnus potest, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit* Psal. 68.
me: infixus sum in limo profundi, & non est substantia.

6. Hîc, carissimi,

Riuales oculi mei non ferunt mea labia:

nam plus nimio loquimur sine lacrymis: exarescant torrentes oris, vt iam prorumpere incipiant oculorum: occludamini fontes abyssi cordis mei, vt superiores orbium oculorum meorum cataractæ aperiantur. Si verba mea lacrymosa fuerunt, lacrymæ Psal. 6.
certè meæ verbosæ non erunt, & *exaudiet Dominus* Psal. 38.
vocem fletus mei, auribus percipiet lacrymas meas. lacry- Ouid. l. 3.
mæ pondera vocis habent. de Ponto eleg. 1.

Interquiescamus igitur aliquantisper, vt vulnera illius abluamus, interim dum postremum ipse actum adapto, & feralem horrendæ huius tragœdiæ catastrophen præparo.

V. Septima hæc statio quatuor in scenis repræsentabit, 1. Dominum ad Caluariæ montem tendentem, 2. eiusdem crucifixionem, 3. mortem, 4. sepulturam. Si verò ad lugubre hoc spectaculum lacrymæ vestræ non prorumpant, quando tandem, ô saxea corda, ad compassionem concitabimini?

Aenei. 2. 1. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
Crinibus à templo Cassandræ, &c.

Vbi hic Chorœbus aliquis, qui in medias se *insano amore incensus* conijciat turbas dirum hunc comita-
Isaiæ 57. tum remoraturus? Eheu! ecce quomodo *moritur iu-*
Ioan. 11. *stus, & non est qui recogitet corde: Eamus & nos, & mo-*
Hebr. 13. *riamur cum eo; exeamus extra castra, improperium eius portantes.*

--- moriamur, & in media arma ruamus.

Gen. 23. 2. 3. 4. Videte vt verus Isaac lignum humeris gestet, vt super eo in monte immoletur: videte regem,
Isaiæ 9. *cuius principatus super humerum eius*. videte *clauim*
Isaiæ 22. *Dauid*, quam eius secundùm carnem filius *in humeris* fert.

5. Tu, posthac, ô sacrum lignum, quod ab Iesu antè gestatum, ipsum postea in te gestasti; tu, ô venerabilis stipes, sanguine illius irrigate, & sudore humectate, sacra mihi futurus es medijs in tentationum & afflictionum procellis anchora.

6. Tu secunda mea post triste scelerum meorum naufragium tabula.

7. Tu mihi in hoc exilio *ciuitas* futura *refugij*; meum medijs in persecutionibus asylum. *hæc ara tuebitur omnes.*

Dan. 4. 8. 9. Tu arbor Danielis, super qua volo sedere.
Eccl. 24. Tu procera *platanus, exaltata iuxta aquas* tribulationum.

10. Tu portus optatus ijs, qui tempestatibus varijs exagitantur.

11. Tu arca Noë, quæ à damnationis diluuio hominem sospitem præstas. *Gen. 6.*

12. Tu scala Iacob, qua *violenti cælum rapientes* ascendunt. *Gen. 28.* *Matt. 11.*

13. Sed quid dico, ô intolerabile cruentatis dulcissimi mei Iesu humeris pondus? videte enim, vt sub eodem fatiscens ingemiscat; videte, vt ad singulos passus cœspitet, impingat; & si prolabatur, quã immaniter atque inhumaniter à sacrilegis illis sustollatur.

----quater ipso in limine portæ *Aenei. 2.*
Substitit, inq; humeris sonitũ quater arma dedere.
----Scandit fatalis victima montem
Ictibus effœta, & circum pueri atque puellæ
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.

14. Matronæ Ierusalem, quæ tot pijs illum olim colere solebant obsequijs, ipsum velut saucium & agitatum ceruum, per rubicunda sanguinis effusi vestigia sequuntur, & diuinas hasce guttas cum lacrymarum suarum torrentibus permiscent.

15. Quas ille desolatas, doloribus & pondere crucis licèt oppressus, consolatur, & ignium suorum ardoribus lacrymas illarum conatur siccare: *Nolite*, inquit, *flere super me*, morior equidem libens & gaudens, & tanto ad mortem obeundam paratior, quãto ad hanc mihi inferendam aduersarij promptiores. *sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.*

16. Proles ac filij tui, anima mea, communissimi tua sunt peccata, hæc tu cõstringis & amas, vt *fasciã pectoralem* puella. Maledictũ illud genimen est causa; cuius dira hæc mors dumtaxat effectus est. Tuas igitur iniquitates plora, misella, quæ sponso tuo carissimo tot sunt cruciatuum ferendorum occasio. *Ierem. 2.*

17. Innocui Socratis mortem plangit Criton. cui ille, Quid? anne me nocentem mori vis? Culpa sola pœnam & supplicium aggrauat:

Estq;

Ouid. l. 1. de Ponto eleg. 1. *Estq; pati pœnam, quàm meruisse, minus.*

18. Pericles & Pelopidas filios ob immerentem parentum mortem plangentes hoc modo consolati sunt, Quin tandem nostri plorandorum finem facitis? sed potiùs accusatorum nostrorum iniquitatem plangite.

19. Eritis, ô filiæ Ierusalem, posthac solitariæ illæ turtures, quarum non alia deinceps futura vox est, quàm triste suspirium.

20. Si ligni sui amputationem etiam flet vitis; non immeritò vos flere potestis, viso, abscindi vos à stipite illo *vitis*, cuius eratis *palmites*. Ioan. 15.

Cant. 7. Cant. 5. Psal. 41. 21. Fluite *piscinæ in Hesebon*, plorate dulces *columbulæ super riuulos aquarum*, ac *lacrymæ* vestræ vester sint *panis*, & perpetim ob inæstimabilem hanc iacturam, quam facitis, ingemiscite.

22. Vestræ interim lacrymæ adeò non patientem consolantur, vt etiam cor conuulnerent; patiuntur simul & compatiuntur vnico Amori nostro, qui sub meorum & omnium omnino hominum iniquitatum, cruci illius superpositarum, fasce defatigatus disrumpitur, & *ilia ducit.*

Psal. 39. Psal. 37. Zach. 5. 23. *Multiplicatæ sunt*, dilectissime sponse mi, *iniquitates meæ, & velut onus graue grauatæ sunt super* te. Quomodo te ô peccatum ponderosissimum, *ô talentum plumbeum*, etiam Dei ipsius humeris intolerabile, ipse sustineam, & in corde meo retineam?

Psal. 128. 24. Iam scilicet Domine *super dorsum* tuum *fabricant peccatores, prolongantes iniquitatem suam*, & conuersionem suam procrastinantes.

2. Cor. 11. 25. Sancta quadam *Dei æmulatione* beatam tibi sortem tuam inuideo, Simon Cyrenensis, quæ te primò quidem coactum baiulum, at deinde voluntarium crucis huius & in eadem confixi sectatorem confessoremque reddidit.

Si vos vmquam, dilectissimi, crucifixi crux tetigerit; iam toti illius estis, salua res est, ad ipsum conuersi estis.

26. Quando, ô beate contactus, cordis mei rupem feries? quando te, dilecta stirps, ita complectar, numquam vt deinceps elabi è manibus te meis sinam? quando dicere potero, *Christo confixus sum cruci, &* *Gal. 2.* *cor meum & caro mea* sancti amoris clauis ei affixa sunt? Quando, ô amor meus, quando? quando, eheu, quando?

27. Iuuem te, sponse mi; quin da, vt & te, & crucem, & funes, & omnia gestem.

Eia age chare pater ceruici imponere nostræ. *Aenei. 2.*
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.

28. Quid gestas, Simon? nonnisi lignum id est. quid verò tu, benignissime Agne gestas? omnia totius mundi delicta. Quàm horum comparatione leue lignum crucis est! Hanc mihi, quæso, gratiam præsta, vnice cordis mei amor, vt illorum sim de numero, qui *crucem tollentes te sequuntur*; cùm nemo cælum *Matt. 15.* gloriosus ingredi, quàm cum hoc gestamine queat.

Iam ad Caluariæ montem peruenimus, maximorum & intentissimorum cruciatuum theatrum. Hîc suspirijs disrumpere, cor meum; hîc lacrymarum fontes eijcite, oculi mei.

1. Historicam narrationem, eiusque circumstantias rhetoribus cedamus, ad cuius amplitudinem styli nostri succumbit imbecillitas, vt qui in se nimiùm repit, & infirmus est, vt argumenti adeò sublimis maiestatem pro dignitate sustineat. Tandem igitur in crucem agitur. VI.

2. Iam nimirum, ô virga Aaronis, floruisti & germinasti; iam *duræ quercus sudabunt roscida mella.* *Num. 17.* *Virgil. eclog. 4.*

3. Iam *exaltatus es*, Rex noster, omnium ergo corda *ad te attrahe.* Is reuera cor non habet, qui ipsum tibi modò non elargitur. *Ioan. 12.*

4. Huc iam accedite piæ mentes, & Regi Salomoni in eburneo suo solio, leonibus circumcincto, considenti obsequium supplices deferte.

5. Si inconstantia corda vestra straminis instar

reddat

reddat imbecilla, ecce ſuccinum, quod eadem potens eſt ſuſtollere.

6. Si durities eadem ferri inſtar obduret, en magnes ad manum eſt, à quo attrahantur, modò ne peſtilenti virulentoque peccati allio eadem affricta ſint.

7. Suſtollite iam oculos, cæcutientes & terreſtres animæ, & illuſtrem hunc intuemini ſolem, qui ſpiſſiſſimas, exhalationes veſtras vi ſua è vobis attrahet, vt eas deinde in gratiæ ſuæ ſerenitatem conuertat.

8. Remitte ac relaxa pauliſper plus æquo rigeſcēs arbor ramos tuos. an non vides, omnes illius tendones, venas & cartilagines diffringi? duritiem tuam

Pſal. 21. paululum inflecte, vide vt *omnia* ex ordine *oſſa* eius *dinumerari* queant.

9. Iam, doctor Cathedratice, tuam in cathedram aſcendiſti: quin Iudæi illi infernè tacent, vt ſupremam illius lectionem ac præcepta diſtinctè percipiam? hæc quippe teſtamenti illius medulla ſunt.

Nam veræ voces tum primùm pectore ab imo
Exoriuntur, & eripitur perſona, manet res.

10. Sed non eſt mihi iam ad hoc tempus, dilectiſſimi, adhæc præſcriptum quatuor punctorum, tum etiam eius, quam mihi propoſui, breuitatis limitem tranſilirem. Hinc multas ſtudio hic prætereo particularitates, quas non attingo.

11. Sufficiat vobis, ipſum ceu citharā diſtentā eſſe, quæ egregiè reſonat, & diuinè ſimul proloquitur.

12. Eſſe quoque campanam quamdam in ſummo crucis campanili pendentem, quæ neminem non ad ſuas euocet exequias.

Pſal. 18. 13. Putate eſſe Stentorem, qui *voce exclamet magna*, cuiuſque *vocis ſonus in omnem exit terram, & in fines orbis terræ verba* penetrant.

14. Denique noſſe ſufficiat, quemadmodum ſolis radij tum ſunt blandiſſimi, cùm occumbit; ſic ſapidiſſima dulciſſimaque documenta ſua Ieſum in vitæ extremum reſeruaſſe & in mortem.

1. Quæ

1. Quæ iam instat. nam videte, eheu! vt *caput inclinarit* ad osculum pacis nobis præbendum, ac deinde *exspiret*. VII.

Voluitur Euryalus letho, pulchrosq; per artus 9. *Aenei.*
It cruor, inq; humeros ceruix collapsa recumbit.

2. Iam magnus Pan exspirauit; iam igitur plange & vlula omnis Arcadia. *Pausan. in Arcadia.*

3. Phœnice ad vitam resumendam renouandamq; emoriente, omnes Arabicæ volucres lugubri cantu longè lateque personare dicuntur.

4. Certum est, siquando sol deliquium patitur, omnes omnino homines quamdam suis in membris grauedinem stuporemque persentiscere.

5. S. Brigitta virgo illa admirabilis, in suo Reuelationum libro, (quem ceu historiã quamdã laudabilẽ suo celebre quoddãConciliũ suffragio comprobauit) refert, Domino nostro Iesu Christo exspirante, omnes animatas, tam rationis expertes, quàm eadem donatas creaturas quamdam in se amaritudinem ac tristitiæ sensum expertas esse.

6. Videte denique, vt pelicanus noster sua paruulis vitam restituat morte.

7. Nondum adhuc vllum de te verbum feci, dolorosa mater: & nonnisi verbo tecum paucis agere volo; si tamen vel verbo tecum agendum. Satiùs quippe est longè tacere, quàm de inenarrabilibus tuis doloribus nonnisi paucula dicere.

8. Tanta quippe tua est tristitia, vt singularem illa tractatum requirat. Omittam igitur, ne dum matri compatior, filij passionem adaugeam, & clauum clauo propellam.

9. Tu eris itaque *Sancta Sanctorum*, & dolores ipse tuos silentij cortinis ac velis obuoluam.

10. Ac Timantis velum adhibebo. etsi enim aliquatenus corporeos filij cruciatus expresserim, par mihi tamen facultas ac vires minimè sunt, vt internos matris dolores pro dignitate declarem.

11. Neque

Plin. lib. 37.c.10. 11. Neque adeò temerarius ſum, (vti nec ſatis peritus) vt tenui lineæ Protogenis ſubtiliorem aliam imperitus ipſe ſuperducam. Plangamus quidem magiſtrum noſtrum, ſed alias & nouas reſeruemus *Thren.2.* lacrymas ad huic *contritionis mari* condolendum, ſi tamen poſtquam Ieſum, noſtrum omne, ex corde planxerimus emortuum, aliquot nobis lacrymæ reliquæ fuerint.

Ruth 1. Tob. 10. Gen.21. 12. Ipſam nominare Noëmi, matrem Tobiæ, Agar; extremam illius eſt amaritudinem cordis immiuere, dum tam inæquales comparationes adfero.

Exod. 23. 13. Quare nobis ſufficiat, hœdum in lacte matris ſuæ non coquere.

VIII. 1. Noſtis auditores, quomodo ſit de cruce deinde depoſitus, & ſepulturæ traditus. circa quæ quamuis infinita conſideranda veniant, quæ vobis ruminanda relinquo, tamen vnicam ſepulcri tantummodo cuſtodiam vltimo hoc puncto examinabo.

Pſal.131. 2. Erit tuum poſthac, Domine, ſepulcrum *habitatio ac requies mea; hîc habitabo, quoniam elegi* illud diuerſorium mihi. Non alio hîc opus eſt cuſtode *Metā.1.* præter me, Pilate. Argi oculati ipſe vicem ſupplebo, nec *dabo requiem temporibus meis, nec palpebris meis dormitationem,* quin videam, ſi quis ipſum ſurripiat.

Rom. 8. 2. 3. *Nihil me ſeparabit* à ſacro hoc loco, *non fames, non nuditas, non anguſtia, non perſecutio, non mors.* Ego excubitoris partes agam, *ſexaginta* illis *fortibus* ac *Cant.3.* vigilantibus, qui hunc *Salomonis lectulum ambiunt,* index futurus ac vigil.

4. Hoc omnis theſaurus & omne bonum meum *Ouid l.9.* loco incluſa ſunt; hæc ego ſemper vigil cuſtodiam, *Gyraldus in Heracle.* vt aurea Heſperidum mala vigil ille draco. Hac omnis animæ meæ amor arca clauditur: *ille meos amores habeat ſecum, ſeruetq́; ſepulcro.* Viuere poſthac nolo, *Aenei. 4.* cùm vita mea emortua ſit, & exſtincta ſcintilla eius, *Tob.10,* quì *lumen* erat *oculorum* meorum.

6. Onu-

6. Onufrius eremita durissima seuerissimaque corpus attriuit vitæ austeritate haud procul à puellæ, quam vitiarat, sepulcro. Quidni ergo ipse semper apud hunc maneam tumulum, intra quem nefanda crimina mea dulcissimum meum Iesum compegerunt?

7. Hîc sunt *foramina petræ, & cauerna maceriæ*, ad quas Amantis huius vmbra me vocat. Hæc *tenebo, nec dimittam*; certus me, si modò *compati* velim, tandem cum illo feliciter *conregnaturum*, & *vitæ* habiturum *coronam*, *si ad mortem vsque fidelis* perseuerauero. *Cant. 2.* *Cant. 3.* *2. Tim. 2.* *Apoc. 2.*

8. Quin, ô triste cor meum, dignum es, quod illustre illi ac dignum fias mausolæum; verumtamen licet vel sis quod es, minimè in te dedignabitur requiescere, modò *munda* purgatę, & in salutaris pœnitentiæ *hyssopo* ablutæ conscientiæ *sindone* expiare ac præparare te volueris. *Psal. 50.*

9. Denique Daphnis, *bonus* ille *pastor*, pro gregis sui incolumitate *vitam posuit*: quid ergo aliud nobis facere incumbit, quàm tumulum eius honorare? *Ioan. 10.*

Spargite humum folijs, inducite fontibus vmbras, *Eclog. 5.*
Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo superaddite flores.
Daphnis ego in siluis hinc vsque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse:

Hoc meum est votum,

Cœlitus vt semper super hoc cœleste sepulcrum
Diuum manna pluat, cœlica mella fluant.
Semper & assiduos habeat pars extima flores,
Quos oculi flentes stilla perennis alat.

Porrò ex octo duarum harum postremarum stationum punctis totidem eliciamus documenta: discamus 1. hanc in vitæ tempore viuendi rationem inire, quam in morte iniјsse nos optaremus, 2. tribulationum flagella & amaritudinem tolerare, 3. probra & ignominias magna animi humilitate ferre, 4. numquam peccata & imperfectiones excusando tegere,

5. libenter hilariterque nostram præeunte Christo
Matt. 11. Domino crucem gestare, cùm eius ipse *iugum suaue, & onus leue* reddiderit, 6. non aliam vnquam præ oculis ideam habere, quàm *Iesum* & hunc *crucifixum*, 7. mortem eius deplorare, sanctæq; illius matri compati, 8. dignum illi gratumque in corde nostro, in quo requiescat, habitaculum præparare.

Denique ex omnibus hisce homilijs, nec non vniuersa Domini nostri Iesu Christi passione illum solum & vnicum breui hac iaculatoria comprehensum educamus fructum: *Si tu, ô dulcissime mi sponse Iesu, pro peccatis meis mortem oppetisti: vos æquum est, ô infortunata peccata mea, in me pro Iesu Christo emori.*

IN DOMINICA PASCHATIS:

De resurrectione Domini nostri Iesu Christi.

HOMILIA XL.

Surrexit, non est hic. Marc. 16.

CIMBRI olim, sole occidente, complorabant vlulantes; rursus eo manè exoriente, effusi gaudio plaudebant: Ecce, vt sublustris sol noster, cuius iam ab hinc triduo triste deliquium planxi-
Psal 18. mus, *tamquam sponsus* ornatus *de* sepulcri sui *thalamo*, gloriosè resurgens, *procedat. Hæc dies est, quam*
Psal. 117. v. 24. *fecit Dominus, in* qua *exultare & lætari* nos par est.
Psal. 29. Hodie itaque hoc adimpletum oraculum est, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* De quanam alia re potiùs, dilectissimi, hodierna in solennitate apud vos agam, quàm de mysterio, quod in eadem recolitur? Ostendam igitur 1. resurrectionis huius pulchritudinem, 2. quæ eius cognoscendæ ratio, 3. illius figuras, 4. oracula, 5. causas, 6. naturales, è

quibus

quibus cognoſcatur, rationes depromam. Arrectis lætiſque animis in latum ſpatioſumq; adeò ſtadium inferamur.

1. Non nobis tuos, ô fulgidum aſtrum, diei fax, vniuerſi oculus, pater luminis, hodie auricomos oceano radios educis (ortus quippe tuus pòſt paulò tui occaſum adfuturum indicat,) cùm alius ac rutilantior longè hodie è terræ gremio ſol, ad nos illuminandos, egrediatur, vtpote cuius radij ceu tela ſunt & quædam illicia, qui & mentes illuſtrant, & voluntates accendunt. O egregium ſanè orientem (*oriens ex alto,*) qui occaſum neſcit! *Chriſtus namque reſurgens à mortuis iam non* amplius *moritur*, *mors illi vltrà non dominabitur: quòd enim mortuus eſt ſemel, peccato mortuus eſt; quòd autem* rediuiuus eſt, rediuiuus eſt æternùm *Deo.* I. *Luc.* 1.

2. Splendorem quidem tuum interdum offuſcant nubes; ſed fulgor huius omnia perfringit obſtacula, & ipſe mortis domitor omnes diſſipat nebulas.

3. Tu anni quidem tempeſtatum varietatem cauſaris; ſed ſol noſter perpetuo in vere nitet, brumæ neſcius; imò nonniſi vnitum æternitatis diem conſtituere vult. *Ego hodie genui te.* *Pſal.* 2.

4. Tu vitam das ſimul & mortem; hic nonniſi vitam: eſt enim *via & vita*: etſi alioquin *Dominus mortificet & viuificet.* *Ioan.* 14. 1. *Reg.* 2.

5. Tu interdum, Luna ſeſe interponente, deliquium pateris luminis; hic verò non ampliùs poſthac mutationibus (quarum Luna ſymbolum eſt) obnoxius, defectum pati non poteſt, niſi quando peccati inconſtantiæ gratiæ illius radios ab animabus noſtris diuertunt.

6. Septem tibi luminis partes abſtulit peccatum, quæ in ſæculi renouatione tibi rurſus reddentur; at hic peccatum neſciens, non modò te rutilantior ac fulgidior eſt, ſed ipſummet tuum eſt lumen, tuque nonniſi ſcintilla, vel nuda particulæ ſplendoris illius imago es.

7. Quòd incorruptibilis sis, in eo soli nostro aliquatenus similis es.

Luc. 1. 8. Tu tenebras ac tetrum chaos dissipas; noster verò venit *illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes* eorum *in viam pacis.*

9. Tu terram tergis, & omnia serenas, hic turbulentarum tempestates & procellas passionum tranquillat ac componit.

10. Quin autem aquilæ ipsi sumus, vt rectè ad mysterij huius excellentias ac dignitatem euolemus!

Ouid lib. 4. Metã. 11. Quin Clytiæ sumus, pulchritudine illius capti & incensi? pulchritudine inquam, quæ in his cum sole mundi face, similitudinibus repræsentata est?

II. Gen. 1. 1. Mundum Deus dum conderet, *fecit duo luminaria magna, maius, vt præesset diei; minus, vt præesset nocti.* Quæ ambo figura duarum erunt viarum, quæ nos ceu manu ad magni huius religionis nostræ mysterij cognitionem deducent. Quarum prima est fides luminare diei; altera, naturalis ratio, quæ in vitæ huius nocte quasi Luna lucet.

Cant. 4. Cant. 6. 2. Hæc pulchri sponsæ sunt *oculi*; quorum vnus simplex & *columbinus*; alter curiosus, qui sponsum *auolare facit* ac fugat; qui etiam nonnisi vnum, eumque sibi carissimum vult, fidem scilicet; *vulnerasti* Cant. 4. *cor meum in vno oculorum tuorum*: non negandum tamen, tenuem humanę rationis *crinem* illi etiam gratum esse, *& in vno crine colli tui*; modò fidei ea ancilletur.

Cant. 2. 3. Hæc item duo sunt brachia, quibus sponsæ collum ambitur & amplexatur, quorum vnum inferius, sinistrum scilicet, est lumen, nempe naturale; alterum superius, scilicet dextrum, fidei inquam facula.

Gen. 27. Rom 9. 4. Duo hæc adminicula in Esau & Iacob nō ineptè figurata sunt: quorum ille asper & pilosus, hic leuis & glaber erat; hic electus, alter reprobatus; gemini ambo. fides Iacob est, ratio Esau.

5. Hoc in mundo, velut in mari quodam, cum naturalis rationis pyxidicula, ac supernaturalis cyno-

sura

ſura procedendum eſt, vt felice tandem in portu vitæ huius curſus terminetur.

6. Sunt hæc duo poli, Arcticus & Antarcticus, ad quos fidei noſtræ cymba dirigenda eſt.

7. Quæ Iſraëlitas ex Aegypto conduxit columna, *Exod.* 14.
nocte apparebat ignea, interdiu nubis inſtar opaca: hæc ignis fidei, nec non luminis naturalis, quæ ceu nubes quædam, eſt hieroglyphicum, quibus ducentibus infidelitatis Aegypto egrediamur oportet. Vtrumque hoc lumen, vnum priùs, deinde alterum, ceu faces ſequamur. fides nobis figuras, oracula, & Theologicas cauſas dabit; natura verò de ſuo ſuggeret ſimilitudines.

1. Omnium communiſſima ac vulgatiſſima figura III.
reſurrectionis eſt Ionas. nec immeritò: huic quippe *Ion.* 1.
allegoriæ auctoritatem ac pondus addidit viuæ vocis Chriſti Ieſu oraculum, qui curioſis Iudæis ſigna *Matt.* 12.
quærentibus non aliud dandum ſignificauit, quàm *Luc.* 11.
Ionæ Prophetæ: ſicut enim hic tribus diebus in ventre ceti hæſit, ita & tribus quidem filium hominis diebus intra terræ viſcera manſurum, at deinde triumphantem eiſdem egreſſurum.

2. Secunda figura futurus eſt Ioſeph, qui ciſterna *Gen.* 37.
egreſſus, & Iſraelitis venditus, in domo Putipharis *&* 39.
ad honoris faſtigia euectus eſt: deinde etiam è carcere, in quem iniquè coniectus erat, eductus, vniuerſæ Aegypto à Pharaone fuit præpoſitus.

3. Tertius Samſon, qui in Gaza obſeſſus, eiuſdem *Iud.* 16.
portas, magno cum Philiſthæorum ludibrio, abſtulit. Hoc ipſum & Redemptor Ieſus præſtitit, mortis & inferni portis ablatis.

Generoſus hic adoleſcens leonem cùm ſtrangulaſſet, illius in faucibus deinde apum examen mellificauit; vnde etiam natum notum id ænigma, quod in nuptiali ſuo epulo diſſoluendum conuiuis propoſuit: ſic è noſtro *leone de tribu Iuda*, paſſione *Apoc.* 5.
ſua cruento, melleus reſurrectionis fauus egreditur.

Dan. 6. 4. Quarta figura fit Daniel, qui lacu leonum eductus ad Babylonias Satrapias sublimatur.

3. Reg. 17. 5. Mortui ab Elia & Elisæo ad vitam resuscitati,
4. Reg. 4. mysterij huius præsagia, quintam figuram dabunt.

6. Anima eius, ceu columba, ad corpus suum glo-
Gen. 8. riosum, velut ad arcam suam, passionis iam diluuio cessante reuertens, sexta erit.

Num. 16. 7. Virga Aaron arida & florescens septimam suppeditabit.

Esth. 7. 8. Octauam Mardochæus, ab Amano patibulo quidem destinatus, at deinde ab Assuero rege maximis beneficijs cumulatus.

1. Reg. 17. 9. Nona denique erit Dauid Goliadam debellans,
1. Reg. 21. & gladium illius in perpetuum monumētum ephod inuolutum in tabernaculo suspendens.

Hæ sufficiant, veniamus iam ad Prophetias. Dauidicæ quidem, vtpote clariores, omnium mihi videntur efficacissimæ ac grauissimæ, quòd Messiam secundùm carnem è semine suo exoriturum sciret. Audite, vt in diuersis locis canat:

IV. 1. 2. *Ego dormiui, & soporatus sum; quoniam Dominus*
Psal. 3. *suscepit me.* An non hic secundi Adami somnus est, è cuius mortui latere Ecclesia illius formata est, sed an nō etiā gloriosa illius hic declaratur resurrectio?

Psal. 15. 3. 4. 5. Deinde, *Quoniam non relinques animam meā in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionē.*
Exod. 25. Videte hic arcā, è ligno Sethim incorruptibili cōpa-
Ouid. 9 Metam. ctā, sacrā scilicet humanitatē ei⁹. Videte nouū Antęū, vt post casum terræq; contactum robustior resurgat.

Psal. 29 6. Adhæc, *Conuertisti planctum meum in gaudiū mihi, concidisti saccum meum, & circūdedisti me lætitiâ.*

7. 8. 9. Videte solem spissa mortis nubila perfringentem: videte rutilum gloriæ eius colorem ac decus per apertas carnis eius incisuras collucentem: videte scyphum argenteum in sacco Beniamini.

Gen. 44. 10. 11. Denique, *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas!* (vulnera, eheu! passionis eius, etiā-
Exod. 15. num sanguinem exsudant) *& conuersus viuificasti me;*

& de

& de abyssis terræ iterum reduxisti me. En, vt Israel *Iosue 3.*
sospes è maris Rubri abyssis, & è Iordanis alueo incolumis egrediatur. Solius huius Prophetæ oracula modò nobis satis sint.

V. Transeamus ad causas. quatuor inter alias selegi & seligo, quas doctores sacri adferunt.

1. Prima resurrectionis Domini causa, illius fuit *Laertius.* gloria: Dei siquidem proprium est, ipso etiam asserente Diogene, extollere humiles, & deprimere elatos. Porrò cùm se *ad mortem vsque, mortem autẽ cru-* *Philip. 2.* *cis* Dominus *humiliarit*, gloriosa eius resurrectio eximiam è morte gloriam elicuit, deque mundo & inferno eum fecit triumphare.

2. Hæc æquę bilancis est versio: vt enim hinc eum vidimus per crucis infamiam depressum, ita illinc se ipse potenter à mortuis resurgendo extollit. Ita scilicet exigebat iustitia.

3. Hanc erga se iustitiam secuta est eius erga nos misericordia: per eius namq; resurrectionẽ mirabiliter spes nostra corroborata est (secũda ea resurgẽdi causa fuit) ad imitationẽ eius nos etiã aliquando resurrecturos, & ab ipso velut panthera, *in odorem vn-* *Cant. 1.* *guentorum* suorum pertrahendos: cũ sit πᾶν ἔρως, id est, totus amor.

5. Quis adeò ignauus est miles, qui non eò se speret euasurum, quò dux generosè prærumpit?

6. Quemcumque caput locum pertransit, eũ etiam omnia totius corporis membra facilè pertranseunt. *Caput nostrum est Christus*, quid nos impedit ac remo- *Ephes. 4.* ratur, quò minùs ad eũ sequendũ omnia deseramus?

7. *Vbicumq; fuerit* gloriosum diuinæ huius humanitatis *corpus*, cur nõ *ibi* piarum animarũ *congregen-* *Luc. 17.* *tur aquilæ? Si Christus resurrexit*, inquit Apostolus, *1. Cor. 15.* necessariâ sequitur cõsequentiâ, *etiã nos resurrecturos.*

8. Tertia ratio fuit: demonstrare scilicet aduersus exorituras pòst hæreses voluit, esse se verum Deũ & hominem; verã quippe humanitatem suã in morte & cruciatib⁹, quos subijt, ostẽdit; propria autẽ virtute

resuscitando, euidens diuinitatis suæ testimonium
Psal. 56. dedit: nam hoc solius Dei est. *Exurge gloria mea, exsurge Psalterium & cithara; exurgam diluculo.*

9. 10. Quarta demum causa fuit, vt ad spiritualem
Ioan. 11. nos vitiorum resurrectionem excitaret. Sic ipse Lazari, qui peccatoris, lethargico peccati somno adobruti, figura est, resurrectionem experrectionem à
Colos. 3. somno nuncupat. Vnde Apostolus, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, &c. Nullum mysterium magis hoc in fide verificatum est, nullum etiam eiusdem fidei oculis visibilius & patentius.

VI. Iam alterum naturalium comparationum luminare in manus capiamus, vt ad Dei gloriam pauxillũ illud, quod debiles imbecillis naturæ nostræ vires suggerere poterunt, in medium afferamus.

1. Sol quotidie & oriens & occidens nonne quotidiana est resurrectionis huius imago?

2. Phœnix apertissimum eius est exemplar; vt vtriusque afferre parallela non sit necesse.

3. Pelicanus paruulos suos sanguine redanimans, & illorum deinde calore recreatus & reuiuens, mysterium hoc manifestè satis exprimit.

4. Aquila item iuuenescens & reuigescens, in fonte se abluens veteribus excussis plumis, & ad solem sese extendens.

5. Vti etiam vultur suas ad austrum expandens alas, & veteres pennas in nouam mutans lanuginem.

6. Serpens veteres exuens exuuias an non resurgere quodammodo videtur?

7. Ceruus veterascentia abijciens cornua, & noua assumens; deinde serpentibus deuoratis reiuuenescens, numquid viuacissimum est mysterij huius symbolum?

8. Bombyx serici auctor, qui vermis folliculum, quem sibi ipse contexit, subingreditur, & inde papilionis formâ egreditur, an non quædam, vestro iudicio, carissimi, resurrectionis vmbra est?

9. Anni tempestates alternatim inuicem succedentes, & altera ex altera renascentes, (quas prisci serpentis caudam præmordentis imagine repræsentabant) numquid apertè satis resurrectionem vniuersalem designant?

10. Delphinus sæuientibus procellis fœtum vtero recipiens, & ijs compositis denuò reijciens, terrā numquid denotat, quæ cœlestem nostrum Delphinū sua intra viscera recepit tum, cùm tormentorum crucis desæuiret tēpestas, postea verò serenatâ procellâ eumdem emisit?

11. Vitrum confractum, & campana fissa & comminuta, liquefiunt iterum in fornacem coniecta, & in pristinam restitui possunt formam: quæ naturalia resurrectionis sunt hieroglyphica.

12. Verùm nulla, meo iudicio, figura accommodatior eâ, quam dant arbores; quæ brumali quidem tēpore emortuæ sunt, sed vernis caloribus reuegetatæ ac reflorescentes denuo ad vitam redeunt. Nonne igitur dicere cum Propheta regio Redemptor potest, *Refloruit caro mea?* *Psal. 27.*

13. *Granum frumenti cadens in terram* an non *moritur*, vt rediuiuum resurgat, ac *fructum centesimum* proferat? nostrum *frumentum electorum* Christus an non idcirco in terram cecidit, vt gloria maiori donatus, inde florescens exiret? *Ioan. 12.* *Zach. 9.*

14. Vidimus *florem* illum *campi*, & *radicem Iesse* non multis ab hinc diebus emorientem, elanguentē, & marcescentē. Videte vt hodie caput releuet, & nouum resurgendo vigorem præferat. Naturales hi cōceptus digni sunt, qui pluribus examinentur ac digerantur. *Cant. 2.* *Isa. 11.*

Quem hac ex homilia fructum eliciemus, amici mei, hic est, vt scilicet 1. mysterij huius magnitudinē ac præstantiam admiremur, 2. fidem illi nostram adaptemus, quæ corroborabitur 3. per figuras, 4. per prophetias, 5. per causas doctrinales, 6. rationes naturales illi velut humilem ancillam subseruire facia-

 mus,

mus. Et hac D. Petri sententia pro epiphonemate
1.Pet.1. producta, finem faciamus, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiā suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis.*

FERIA II. POST PASCHA.

De recidiua in peccatum.

HOMILIA XLI.

Mane nobiscum Domine.

Luc.24.

QVAE post obductam propè cicatricem iterum suppurescunt vulnera, inprimis noxia sunt; & quæ olim fracta denuo ossa luxantur, nonnisi ægerrimè solidantur: inde ortum habet, vt in morbis reincidentia ipso deterior ac periculosior censeatur morbo. Morbi ac lapsus spirituales inprimis hoc ipso miserabiles sunt, quòd semper posterior in hisce casus priori est profundior ac nocentior; ingratitudo namque nouum pondus superaddit, quod *talentum* illud *plumbeum* aggrauat. (Zach.5.) Ipsum est malum, quod hoc tempore potissimum maximè metuamus necesse est: recenter quippe peccatorum nostrorum Aegypto nobis egressis timendum est, ne pœnitentiæ desertum, ac vitæ austerioris propositum & durities nos velut porcos ad siliquas & *volutabrum* pristinum faciant reuerti. (2.Pet.2.) Discipuli illi palantes, quorum in Euangelio diei

diei huius euagatio & error describitur, in præsentissimo in tetras infidelitatis tenebras prolabendi periculo versabantur, nisi eos miserans in viam Dominus reuocasset, & illorum imbecillitati auxiliariam manum supposuisset, quod è sensu litterali illius facilè colligere est. Occasionem id nobis dabit de reincidentia in peccatum agendi, & 1. ostendendi, ipsi esse absolutè & penitus valedicendum, 2. quàm ad ipsum reditus sit periculosus, 3. quàm noxius, 4. media & rationes suggerendi ita vitæ rationum instituendarum, vt omnem relapsum caueamus.

1. Non mortizare ac ciuiliter tantùm vitia emori facere debemus, quòd *numquam bona fide vitia mansuescunt*, sed intimæ eorumdem corde sunt exstirpandæ radices, non rami solùm modò præcidendi. I.

2. Aegypto egredientibus nihil ibidem relinquendum, & *ne vngula quidem*. Exod. 10.

3. Peccauit Saul, dum armenta & greges gentium subactarum, tametsi in sacrificium, reseruauit. 1. Reg. 15.

4. Vulnus peccati ita curandum, vt, si fieri potest, eius ne vestigium aut cicatrix supersit.

5. Et sanctæ obliuionis igne absumendum, quidquid ab hac inquinatum fuerit peste.

6. Omnes quidem Israëlitæ corpore Aegypto egressi sunt, non autem omnes animo ac desiderio. Exod. 14.
hinc plurimi ad ollas carnium, & allia & cepe eiusdem anhelarunt. Exod. 16

7. Quotnam reperire peccatores est, qui peccatum deserendo, ad ipsum tamen respiciunt obliquè, sicut agri ad melones; ac mulier illa in salem conuersa ad Sodomam oculos retorsit. Gen. 19.

8. Canes hi sunt, à priscis sacrificijs exclusi, & in lege noua reprobati, quæ vomuêre reuomentes. Prou 26. 2. Pet. 2.

9. Semipœnitentes illi, & ex media parte conuersi, vellent, Philisthæorum exemplo, Arcam Domini simul 1. Reg. 5.

ſimul & Dagonis idolum in eodem fano collocare.

10.11.Et,ceu veſpertiliones, duas tenere naturas: &,ſicut ranæ, in duplici viuere elemento, eſſeque amphibij.

Leuit. 11. 12. A Moſaicæ legis ſacrificijs aquila excludebatur, eò quòd tametſi ſublimiſſimè euolet, oculos ſemper terram verſus reclinatos habeat, & quamuis ſeſe in altum libret,ſemper de præda captanda cogitet. Adhæc ad guſtata cadauera, etiamſi maria traijcienda ſint,auida reuertitur.In hac aue peccatoris recidiui imaginem expreſſam videre eſt.

Li.10.c.3 13. Aquilarum quoddam genus amphibium deſcribit Plinius,cui duo,quos habet, pedes diſpares ſunt;vnus anſerini in morem latus, ad natandum;alter gryphis inſtar vncus & incuruus,ad prędam conſtringendam: adeò vt in aëre non minùs quàm in aqua viuat.Speculum ea peccatoris eſt, inter peccati & turpitudinem & delectationem medij natantis.

Leuit.11. 14.Cycnus idcirco etiam à Leuiticis ſacrificijs arcebatur,quod forinſecus quidem pennis candeat,at carnem habeat nigricantem:pedes habeat, in terra tamen incedere nequeat;alas,& non volitet,in aquis demum victitet,tametſi aëri natus videatur.In dubia hac aue ancipitem nutantemque peccatorem, quiq; in vitiorum repudio ſimul in terra ſerpat,& in altum ſe libret,expreſſum videbitis.

15. Mihi credite,qui ſic agit,non ſuam,prout oportet,ſalutem operatur:vt enim mortiferæ huius gangręnæ progreſſum,& herpetem tollamus, inciſione, reſciſſione,amputatione opus eſt. Nemo dici vir bonus poteſt, qui non niſi media ex parte bonus eſt.

Curtius. 16.17.Non vult Deus, quemadmodum Alexander reſcripſit Dario, cũ mundo cordis noſtri imperium

Matt. 6. partiri ac diuidere.in eo eſſe vult *aut Cæſar aut nullus, nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*

18.Indignis ille modis Deum ſpõſum tractat,qui in affectuum ſuorum thalamum riualem adulterumque inducit.Ne quidem,eheu! cor noſtrum ſat capax

eſt ad

est ad infinitum hunc includendum, & alij riuali cō-
petitorique locum aptare & concedere volumus?
nequaquam id faciendum, carissimi; sed integra ab-
solutaque nostra esse debet renunciatio.

19. Gratia, virtus, probitas vnico, adinstar lumi-
nis, ingruit momento; totam simul se exerit; non per
particulas aut frusta; vnde etiam tota simul perit & 2. Cor. 4.
euanescit. *Quæ societas luci ad tenebras?* imò altera al-
teram pellit; Christus & Belial simul non stabulant;
opera Dei contraria sunt diabolicis: & clauus cla-
uum pellit. Vt ergo mundi simus, toti debemus re-
nouari, irreuocabile cum peccato diuortium facere,
vt res id suas sibi habeat; & animo simul & corpore
ab eodem separari, ne post hac *membra Christi mem-* 1. Cor. 6.
bra faciamus meretricis.

II.
1. Recidiua alioquin periculosa admodum erit,
tum à parte Dei, tum peccatoris, tum etiam dia-
boli.

2. A parte quidem Dei, qui suam tandem longani-
mitatem in furorem, vel amorem zelantem in obli- Eccli. 10.
uionem conuertit. *Languor prolixior grauat medicū,* Ierem. 51
tametsi alioquin sedulò curationi medicationique
intendat. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, de-
relinquenda* igitur. Periculosum sanè, à medicorum
medico derelinqui.

3. Quanta illa maledictio, cùm pater aliquis, viso
filium corrigi non posse, & correptionis omnis esse
incapacem, ipsum iam domo expulsum, & exhære-
datum derelinquit! quid enim agat, cùm nequidquā
& incassum flagra adhibentur? *Super quo percutiam* Isa. 1.
vos, vltrà addentes præuaricationem? dimittantur secū- Psal. 80.
dùm desideria cordis sui, *eant in adinuētionibus suis. Ne* Psal. 50.
proijcias me, Deus meus, *à facie tua.*

4. *Molares Dei,* inquit parœmia, *lentè voluuntur, sed* Psal. 78.
potenter comminuunt: zelus eius tandem *velut ignis ac-
cenditur;* &, postquam iam diu multumque detonuit, Psal. 7
velut quoddam fulminis telum ingruit. *Parauit in
arcu suo vasa mortis: sagittas ardentibus infecit;* & cùm
minùs

S. Bonament. in vita S. Francis. c. 11. minùs exſpectatur, derepentè ſubuertit & obiuit. Teſtis Canonicus ille vitæ ſequioris, qui ſæpè à S. Franciſco commonitus, iam in viam ſalutis redierat; ſed, cùm ad vomitum dein rediſſet, ſubitâ domus ruinâ oppreſſus interijt.

Exod. 15. 6. Poſt multa prodigia exhibita nondum emollitus Pharao, tandem maris vorticibus hauritur.

3 Reg. 20. 3 Reg. 22. 7. Achabo Nabuthæ necem dimiſerat quidem pro ſua clementia Deus, at cùm deinde Michæam Prophetam in vincula conieciſſet, cæſus occubuit.

2. Reg 12. 2. Reg 24. 8. Cumque homicidæ & adultero Dauidi ignouiſſet, ob vnicam populi ſui dinumerationem ac cenſum virgam indignationis in eum ſtringit. Verè igitur *læſa patientia fit furor.*

9. Quem vehemens quidam morbus exſtinguere non potuerat, hunc ſæpe modicus, nondum quidem ſatis confirmatis viribus, exceſſus de medio tollit. Ita etiam ex parte peccantis reincidentia periculo non vacat.

10. Corpora vlceroſa & ſcabioſa minimam colliſionem & incitum horreſcunt; & qui iam recenter à morbo conualuêre, facilè à minima ſolis cæliquè iniuria violantur.

11. Corpus in morbum relabens idcirco perdifficilè ſanatur, quòd natura tum morbi ſuperioris impetu, tum medicamentorum copiâ reddita imbecillior, adeò exanguis ſit & proſtrata, vt poſthac nec malo ſuo, nec remedijs ferendis vllis par ſit. Vnica venæ inciſio ad ipſum enecandum ſuffecerit, catapotium bonum vnà cum malo humorem auferet, & auferens ſuperfluum pariter tollet neceſſarium. quid huic igitur exſpectandum eſt, niſi vnica mors? Idem de animi morbis, id eſt, peccatis, eſto iudicium.

12. Relapſi in hæreſim iure Canonico & diſciplina Eccleſiaſtica grauiter puniuntur; idem in intelle-

tellectus foro de voluntatis est erroribus censendum.

13. Qui à rabientibus animalibus morsi sunt, haud facilè coram ijs curantur, quos simile corripuit malum. Si peccator peccandi occasiones non declinet, in præsenti relabendi versatur periculo, eò quòd in accliui ac lubrico versetur loco, cùm prauorum horum effectuum causam suum intra sinum, & sagittas in pectore assiduè circumgestet.

14. Quoad diabolum verò, quantum hinc discrimen! Ipse quippe Phylacista est, qui quotquot ad ipsum reducuntur fugitiui, *circumplexi funibus peccatorum*, in cauernam ac tetrum carcerem quemdam recludit. Quos vbi semel detinet, quàm eos ægrè inuitéque dimittit, nisi vt inde ad damnationis perpetuæ patibulum emittat! Psal. 118.

15. Quos etiam sua, vt seruos fugitiuos, nota insignit, & signo inurit: suntque hi *homines litterati*, vti in eos iocatur Plautus.

16. Fures caumate inusti, & aliàs flagellati, postea ad minimum furtum in furcam aguntur. Hæc sunt relapsus pericula.

III. 1. Quænam verò eiusdem damna ac turpitudo? Seruus manumissus in herum manumittentem ingratus, secundùm leges antiquorum, in perpetuam denuo trahebatur seruitutem. Numquid parem metuere recidiuus & vecors peccator, post acceptam à Deo gratiam ingratus, pœnam debet?

2. Cùm paralyticum sanitati reddidisset Dominus, abeuntem monuit, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quid verò deterius*, rogat Chrysostomus, *illi queat contingere, quàm duodequadraginta annis ipso membrorum vsu destitui? Quantò maiora in ineffabili sua prouidentia Deus grauioraque nouit supplicia!* Interim videamus, quàm Ioan. 5. Matt. 12. Hom. 44. in Matth.

quàm relapſis ipſe ac recidiuis grauiter cõminetur.

Eccl.34. 3. *Qui baptizatur à mortuo*, inquit Sapiens, *& iterũ tangit eum, quid proficit lauatio eius?* perdit nimirum hic tempus & lauationis ſuæ operam, ipſaque inquinatione ac pollutione videtur delectari. Spiritualiter verò mortuum tangere, aliud non eſt, quàm peccatum admittere.

Ibid. 4. *Vnus ædificans, & vnus deſtruens quid prodeſt illis niſi labor?* reincidere verò, quid eſt aliud, quàm caſtellula quædam conſtruere, vt eadẽ deinde deſtruantur, & pueros imitari in catadromo curſitantes ac reditantes, Deum denique ac religionem omnem ludibrio habere?

Serm.3. in Cant. 5. *Qui veterem tritamq́; ſemel exuit tunicam, & pedũ ſuorum ſordes abſterſit*, ait poſt ſponſam ſacram Bernardus, *quomodo poterit & illam reinduere, & hos reinquinare?*

6. *Laterem lauare* veteri prouerbio dicitur, qui fruſtra ſe defatigando, lutum facit ac ſeſe commaculat. Tales haud dubiè ſunt, *qui*, vt loquitur Gregori⁹, *admiſſa lugent, nec tamen deſerunt: quia flendo inaniter ſe mundant, qui viuendo nequiter ſe inquinant. & quaſi in lutoſa aqua ſeipſos voluunt, & ante Dei oculos ſordidas etiam ipſas lacrymas faciunt.*

7. Denique quod dari fingique damnum poteſt grauius, quàm à Deo maledici? ſcriptum porrò eſt, *Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt ac maledicto proxima.* Huiuſmodi ſine controuerſia eſt peccator, qui ſalutaribus gratiæ aquis frequenter irrrigatus, numquam non, & aſſiduè pungentes iniquitatum ſuarum vepres producit.

Hebr.6.

IV. Iam tempus eſt amuleta aduerſus noxium ac perniciofum hunc relapſum producendi.

Vide Diuerſit. li. 26.c.11. 1. Primum, ipſumque præſentiſſimum eſt, quotidiana ſuijpſius excuſſio: in ea enim hoſtiles detegemus inſidias, pia formabimus propoſita, virtutum deniq; habitus

habitus in nobis conformabimus. Atque id omnis in nobis boni est seminarium.

2. Vesperi & manè quin etiam interdiu, frequentibus mentis recollectionibus cordis nostri horologium intendendum est; quod assiduè alioqui relaxatur ac dilabitur.

3. Qui plus loti sunt, etiam alijs nitidiores sunt. *Qui lotus* & mundus *est*, mundetur *adhuc*. Ioan. 13.

4. Hîc scilicet *recogitabimus vias nostras*, & *conuertemus pedes* nostros *in semitas Dei*. Ea demùm vera hominis est occupatio, eoque digna. Psal. 118.

5. Alterum erit, humilis debilitatis propriæ agnitio, quam in Dei manus assiduè commendabimus. S. Petrus tertiò prolapsus est, quòd de proprijs nimis viribus præsumpsisset. Matt. 26.

6. Quid, eheu! sumus aliud quàm arundines vento agitatæ, auræ flabrique ludibria? Matt. 11.

7. Qui iam nuperrimè è morbo conualuit, diligenter aduertit quid agat, & quid comedat, vtpote imbecillitatis suæ conscius, nullique se audet discrimini exponere. Nos mortales porrò vitro fragiliores sumus.

8. Tertiùm, à cibis corporeis sumpta similitudine, salutari amissas vires esca restaurare. Quis porrò cibus electior aut melior Eucharistiâ, *pane illo fortium*, *verè cibo*, *verè potu* immortalitatis ac vitæ?

9. Sacramentorum frequentatio, diuini verbi auditio, spiritualiũ librorum lectio huc etiam plurimùm conferunt.

10. Atque inprimis crudas & *acerbas* prauarum occasionum *vuas* euitare, quarum comestione desideriorum nostrorum *dentes obstupescunt*. Ierem. 31.

11. Quarto loco, vti moderata vires exercitia renouant, ita insuper operibus satisfactorijs sedulò oportet incumbamus, orationi inquam, eleemosynæ, ieiunio, atque ijs inprimis, quæ directè illis aduer-

ſantur imperfectionibus , quæ maximè nos premunt.

Matt.3. 12. Atque hoc ſcilicet eſt, *fructus dignos pœnitentiæ facere.*

Adhuc audiſtis, dilectiſsimi, 1. penitùs eſſe peccato dicendum vale, 2. quantum contineat relapſio diſcrimen, 3. quæ afferat mala, 4. antidota ſuggeſsimus, quæ etiam atque etiam obſecro vt vſurpetis.

FERIA III. POST PASCHA.

De Pace.

HOMILIA XLII.

Pax vobis, ego ſum. Luc.24.

SVmma pelagi tranquillitas vocari ſolet alcyonia, atque ea tempora ſunt, quibus ſuos propè aquas alcyones nidos conſtruunt. Vide hîc vt Alcides noſter & Alcyon, poſt variorum laborum ſuppliciorumque tempeſtates in medio Apoſtolorum ſuorum quodammodo nidificet, iiſque iucundam pacis ſerenitatem adferat. Columba ſcilicet eſt, quæ poſt ſanguinis ſui diluuium, cum pacificationis ramo ad arcam reuertitur. Gen.8.

De pace hac, dilectiſsimæ oues meæ, poſtrema hac vos homilia alloquar; in qua oſtendam 1. quid ſit, 2. quænam eius excellentia, 3 commoda, 4. quas adferat voluptates, & pro epilogo valedicam, non quidem vobis: ſum quippe nimis quàm veſter, & *ſeruus ſempiternus*, ſed ſancto huic & operoſo quadragenarij ieiunij ſtadio. Aures date.

1. *Pax*, iuxta etymologicos, à paciſcendo deriuatur: adeò, vt *pax* & *pactum* correlatiua ſint, atque ad inuicem referantur; quanquam, vti quidem vulgò iam vſus

vſus eſt hoc nōniſi in cōuentis ac ſtipulationibus in negotiorū tractatione intercurrētibus locū habeat; & *de pactis* integri ſunt in pandectis Iuriſtarum tituli, illa verò voluntatum duntaxat conſenſum, & concordem animorum vniformiter in quietem conſpirantium conſonantiam denotet.

2.3. Cæterùm ſicut pauca ineuntur pacta, quæ ſimul non ſint pacifica; ſic etiam rara contrahitur pax, niſi aliqua in eadem interueniant pacta & conditiones. *Iob. 31.*
Iob cum oculis ſuis paciſcitur, vt, quoad ſiniſtras cogitationes, pace gauderet: *Pepigi fœdus cum oculis* *Gen 8.*
meis, vt non cogitarem de virgine.

4. Deus cùm Noë poſt diluuium pacem contrahens cœli arcum in pacti ſignum ſpondet appariturum.

5. Priſci Romani fœdus iungebant cæſa ſue, & diras fœdus violantibus imprecantes.

Ibant, & cæſa iungebant fœdera porcâ

Vt porrò animæ pax habeatur, corpus edomandum & enecandum.

6. Pax compaginationis quædam eſt ſpecies, quæ remp. counit, ſicut nauim videmus è pluribus particulis ac membris compactam: atque vt, ſi nauem diſſoluas, perdes, ita diuiſione & diſcordia florentiſſima regna pereunt, imperia euertuntur, & corpora etiam optimè compacta diſſoluuntur.

7. Hæc igitur pacis eſt diffinitio, è qua ſimul eiuſdem notabimus naturam: *Pax eſt bene ordinata animi cum Deo, ſecum, ipſo & cum proximo concordia.* Hanc è plurimis ſanctorum Patrum, quibus eam deſcri- *I. 2.q.70:*
bunt, deſcriptionibus collegi, dum eam hic eſſe dicit *ar. 3.2.2.*
ordinis tranquillitatem; alius *harmoniam*, ille *bonam* *q.29.*
intelligentiam, alius alia. Eſt namque illa quaſi collum columbinum, quod varios præfert & induit colores.

8. Patet hinc manifeſtè eſſentialis illius diuiſio, vt nihil de alijs pluribus tantū accidētalibus, quę vulgò

 afferun-

afferuntur, dicam. Est quippe pax quædam cum Deo,
Ephes. 2. de qua nimirum dictum est: *Ipse est pax nostra. Pax*
Phil. 4. *Dei quæ exuperat omnem sensum. Beati pacifici, quo-*
Matt. 5. *niam filij Dei vocabuntur.* Alia Pax cum seipso, de qua
Psal. 84. scriptum: *Iustitia & pax osculata sunt. Erit opus iu-*
stitiæ pax, cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque
in sempiternum. Pax denique cum proximo, de qua
Isaiæ 32. legimus: *Pacem habete inter vos*, & alibi: *Sollicitt ser-*
uare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

9. Nisi commodiori modo eam diuidere malitis in
Mar. 9. pacem interiorem cum Deo & secum, & exteriorem
Ephes. 4. cum alijs: quod in vnum recidit.

1. Prima pacis dignitas inde colligetur, quòd in
II. multis se sacræ Scripturæ locis & Deus ipse appel-
Phil. 4. let, & ab alijs appelletur *Deus pacis*. Et apud Isaiam:
2. Cor. 3. *Ego Dominus faciens pacem.* In Euangelio verò *pacifi-*
Isaiæ 45. *ci filij* patris huius pacis dicuntur.
Matt. 5. 2. Dynastæ ac Principes vt plurimùm à digniori
dominio appellationem sortiuntur, & à regnorum
præcipuo rex quispiam denominatur; sic Deus, cuius,
vt ait Psaltes, *factus est in pace locus*, à pace cogno-
Psal. 75. mentum mutuatur, quòd pacificis & pace gau-
deat.

3. Non meliùs sol vmbras, tenebras, ac nebulas dis-
pellit; non meliùs tetros vapores resoluit, non tanto-
pere lumine suo mortales recreat, non tot fructus
producit, quot bona & honores à pace descen-
dunt.

4. Salomonem Dauid præ alijs filijs dilexit, eum-
3. Reg. 4. que regni hæredem constituit; Salomonem inquam,
illum templi Dei constructorem, illud sapientiæ
prodigium, regem illum admirabilem. Eius porrò
nomen quid denotat aliud, quàm Regem pacificum?
Regni quoque illius sedes & metropolis Ierusalem,
aliud non sonat, quàm *pacis visio.* Vnde etiam canit
Ecclesia:

Vrbs Ierusalem beata,
Dicta pacis visio.

Atque

Atq; ita hâc interpretatur ſanctus Auguſtinus in hæc eiuſdem Pſalmographi verba commentans: *Qui poſuit fines tuos pacem.* E quibus omnibus diſcere licet, quanto pacificos Deus honore afficiat. *Lib. 6. c. 11. de Ci. Dei.*

5. Sunt enim hi peccato imperuij, ad eius inſultus immobiles, ad tentationum impulſus cedere neſcij, in bono conſtantes, virtutibus fœcundi. Hanc ob rem dicit ſponſa: *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram dilecto quaſi pacem reperiens.* *Cant. 8.*

6. Oleum, pacis ſymbolum, omnibus ſupernatat liquoribus, ita *pax Dei exuperat omnem ſenſum,* & rebus omnibus anteponenda eſt: *Nil placidum eſt ſine pace.* *Phil. 4.* *Bapt. Mant. de pace.*

7. Ipſa ante omnia, & ſuper omnia quærenda: *Inquire pacem, & perſequere eam. Non dabo requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino* (& hic locus eſt pacis) & *tabernaculum Deo Iacob Ipſa tabernacula fiduciæ* ac conſcientiæ, de quibus Propheta, & *opulenta requies.* *Pſal. 33.* *Pſal. 131.* *Iſaiæ 32.*

8. Abraham Loth fratrem vnicè diligebat, vt tamen omnem inter paſtores vtriuſque litigij anſam præcideret, optionem ei facit, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram tendendi, tametſi primogenitorum ratione hæc ad Abrahamum potiùs ſpectaret electio: Sic pax deſcendit ſuper *homines bonæ voluntatis,* & miram ipſis attulit rerum abundantiam. *Gen. 13.* *Luc. 2.*

III.

1. Nam (vt ad commoda ex ipſa ſequentia veniamus) quis dubitet, quin pax cornu illud ſit Amatheæ vel copiæ, quod ſtolidè comminiſcebantur Ethnici?

2. Quidlibet ſuo in centro tranquillum eſt, etiam ſenſus & animæ expertia, centrum noſtrum pax eſt, extra illam nonniſi inquietudines nobis ſperandæ.

3. Elementa, tametſi inter ſe inprimis contraria, ad vniuerſi tamen conſeruationem inter ſe conſpirant, vti & humores aduerſarij, ad corporis incolumitatem:

tem:nihil,vt pluribus oſtendit Nazianzenus Gregorius in Orationibus de pace, ſine conſenſu ac pace poteſt diu conſiſtere,non vrbes, non populi,non Eccleſia,non regna, non imperia,non mundus denique vniuerſus.

4. In diſiunctione chaos, primum hæc pax apparuit. Ouid. 1. Metam.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

antea namque

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

5. Horologia in æquo pondere ac certa temporum dimenſione non manent,niſi rotarum axinnique inter ſe conſonantiâ; nihil auribus accidit ingratius quàm diſcors muſica,quàm cithara cuius nerui alter ab altero diſſentiunt: pax verò diſcordes rerum omnium accentus inter ſe concordat,& quæque ſuo debitè ordinat & conſtituit loco. Orig. ho. 26 in Num.

6. Ipſa virtutum omnium conſeruatrix eſt, vt vuarum pampini:ſine hac qui ædificat,deſtruit,qui ſeminat perdit.

7. Omnia Deo diſplicent munera, etiam ad altare oblata,niſi quis ante cum fratre ſuo in gratiam & pacem redierit. Matt 5.

8. Vt primùm murus rimas agere, ſaxa ab inuicem diſſolui, cæmentum excidere, combinatio diſiungi incipit;ilicò ad terrã ruinã ſuã proruit, & iter pandit hoſti ingreſſum paranti:minimè verò, ſi omnia coniuncta & conſtricta ſint. Hunc mihi Chryſoſtomus conceptum ſuggeſsit. Hom. 14. in ep. ad Corinth.

9. *Pax*, vt docet in Stromatis Cyrillus Alexandrinus,*manu nos quodammodo ad æternam beatitudinem conducit*. Quod ergò deſiderare amplius ac maius bonum poſſemus? 2. Strom.

10. Iter ad cœlos ipſa nobis adaptat, ac facile reddit,& quæ adeò anguſta videtur via,ipſa dilatat.Pſalmiſtam audite:*Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Ambulabam in latitudine, quia mandata tua* Luc. 13. Pſal. 30. Pſal. 118. Ibid.

exquiſiui

exquisiui. Ac callem illum, quem adeò asperum & ruderosum quidam inueniunt, complanat, facitque *aspera in vias planas.* Obloquia etiam & contradictio- *Isaia 40.*
nes aufert: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non* *Psal. 118.*
est illis scandalum.

1. Denique Pax *omne tulit punctum, quia miscuit v-* IV.
tile dulci Ipsa enim quamdam futuræ beatitudinis promulsidem propinat. Certissimum namque & indubitatum est, si quod in terra hac cœlum est, ipsum in vera pace cordis consistere Siquidem ipsa *regnum* *Luc. 17.*
illud cœlorum est, quod *intra nos est.*

2. Ipsa iudicium & imago æternæ nostræ felicitatis est.

3. Sic ex odore aduenienti percepit Alexander, haud procul se ab insulis fortunatis esse.

4. *Ecce quàm bonum* & pulchrum, *& iucundum ha-* *Psal. 132.*
bitare fratres in vnum! Est id ceu *vnguentum Aaron,* (quod honoris pacis est symbolum) nec non vt *ros Hermon, qui descendit in montem Sion*: quod eius fœcũditatis, vtilitatis ac suauitatis est iudiciũ. Hoc porro *vnguentũ Aarõ* ad vsq; extremã *vestimenti* eius *orã* diffluit: omnes enim, etiã minimus quisq;, pacis fructus experitur, eiusq; delicias ac suauitates degustat.

5. Ipsa, rutilans quidem sol est, quo scilicet radiante florum calyx adaperitur, fructus maturescunt, qui suum omnibus rebus concursum præstat, melancholiam fugat, omnigena terræ gremio bona elicit, ac sine quo mundus nonnisi obscura quædam cauerna, ac latronum spelæum foret.

6. Pace vigente, liberum est mercatorum commercium & negotiatio, agricultura facilis, itinera tuta, iustitia regnat: nam non minùs *opus pacis est iustitia,* quàm *iustitiæ pax.*

7. Eius apud Aegyptios hieroglyphicum erat lyra, quod instrumentum harmoniam iucundissimã edit.

8. Denique, paucis vt multa cõplectar, vobiscũ ipsi dispicite, quantò tempestate gratior sit tranquillitas, labore quies dulcior, ver hyeme amœnius,

dies nocte optabilior, sudum serenumque cœlum pluuio nubiloque iucundius, sanitas inualetudine suauior, portus mari procelloso tutior, gaudium dolore amabilius. Et post omnia recogitate, *quàm specio-* Rom. 10. *si sint pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.*

9. Credatis velim, carissimi, si animam vniuersi amorem esse dixerit Plato, multò potiori iure dicere me posse, ipsum & pacem Religionis Christianæ animam & perfectionem esse.

Actor. 4. 10 Quàm verò ipsi procul ab ardenti illa nascentis Ecclesiæ charitate distamus, quando primorum *credentium erat cor vnum & anima vna.* O ignem amicabilem, qui metalla etiam maximè inter sese dissentanea counis! iam exstingui te homines, & intermori passi sunt; sed nos eum, carissimi, calidissimis suspirijs nostris & ardentissimis affectibus resuscitemus.

11. Si quo vnquam tempore, Ecclesiæ filiorum necessaria fuit consensio & vnio, hoc certè potissimùm, cùm vndequaque impetitur, hac ipsa opus habet; quare nauiculam hanc hæreseos miserè concussam fluctibus noua hac pice inducamus. Nimium scilicet vulgari illi sententiæ, Cymbam quidem hanc concuti & agitari posse, sed non mergi nitimur. Quis scit, num dissensiones nostrę futurę sint causa, cur suam à nobis auferat, & aliò transferat vineam Deus, & ad alias abiturus sit regiones, quòd indignis apud nos habeatur modis. Græca Ecclesia nobis speculi sit loco.

12. Ad pullorum imitationem, sub alis matris nostræ colligamur in vnum. Cant. 6.

13. Coarctemus nos in angustum, vti quædam *castrorum acies* benè *ordinata*, quò inimico cœtui *terribiles*, & illorum viribus reddamur impenetrabiles. Vide diuers. l. 17. cap. 7

14. Nosque, ceu fulgida & vermiculata mali punici grana, arctè constipemus atque ita futuri sumus, *sicut* Cant. 4. *fragmen mali punici, absque eo quod intrinsecus latet.*

15. Pomum

15. Pomũ porrò hoc punicũ supernè coronulã habet; sic etiam *finis coronat opus*. In qua autem potius hocce nostrum studium refiniamus, quàm pace, quæ virtutum omnium est complementum, vnio & tessera Christianorum, quàm in suaui concordia & fraterna charitate, quæ perfectionis Christianæ compendium? Ter beatus porrò sum futurus, si tot ad vos habitæ conciones hanc animabus vestris insculpere sententiam eiusque simul praxin posint, *filioli diligite inuicem*; quæ erat item omnium discipuli Domino dilectissimi Ioannis exhortationum clausula & epilogus.

Porrò iam tempus est, in Domino carissimi, canales occludere; nam *sat prata biberunt*. Quibus autem vos in epilogo meo compellare volo, ad quatuor capita referri queunt, 1. gratias agam, 2. offeram, 3. obsecrabo, 4. vobis aliquid commendabo.

Primum quidem quàm breuissimè expediemus: vt enim vobis nimis quàm honorificum ac gloriosum fuit verbum diuinum audisse, ita mihi nonnisi singularis beneficij loco numerandum est, eiusdem præconem exstitisse. Omittamus ergò affectatas illas & vrbanas gratiarum actiones. I.

Non tubæ, non instrumento grates, sed tubicini & citharędo agendæ sunt. Ipse instrumentum fui & organum duntaxat, Deus autem dixit, huic soli *gratia, honor & gloria*.

Si verò mihi grates ageretis, iniuriam mihi haud exiguam inferretis: neque enim quæstori gratiæ agẽdæ, qui de regia pecunia clientibus ac ministris regijs satis facit. Quod vobis annuntiaui verbum, *non meum est, sed eius qui misit me Dei*. Si mihi ob illud, quasi meum, gratias agitis, sim vel sacrilegus, mihi attribuens, quod Dei est; vel monetæ adulterator, auri puri loco adulterinum obtrudens. *Ioan. 7.*

Quod porrò vobis offerre desidero, nimis quàm pusillum est, ipse enim nihilum sum. Ex toto tamen nihilo hoc quod sum, linguam meam vobis oppignoret: II.

quæ cùm etiam nonnisi fructus habeat & frondes; ipsum insuper vobis fundum & radices,tenue inquã hoc cor meum, quod perpetua quadam mancipatione vobis addico, vltrò defero ac gratanter Iesum; Mihi credite adeò miserum est, vt ne admitti quidem à vobis mereatur, sed,qualecunq; demum id siti,d offerre Deo possum, aliud nihil.

Ciuilitatem Sicyoniam oblatam Alexander primò cùm repudiasset, deinde accepit,cognito soli Herculi hanc olim gratiam collatam.

Isaia 40. Vt certum habetote, linguam solis loqui auribus, sed cordi cor *Loquimini ad cor Ierusalem*, concionatoribus inclamat Propheta. Id ipse si nõ fecerim,pœnitet & doleo; conatus id sum tamen. Qualecumque demum cor sit, id vobis, velut buccellam quandam delicatam, hero selectam, primò quidem Deo, deinde proximo, iuxta charitatis leges debitum offero, & vnà cum ipso me totum, quidquid sum, defero dedicoque.Id fundus est & ager,cuius lingua nonnisi fructus & crementa dedit.

III. Id porrò à vobis obsecrans contendo, ne scilicet sitis de vanis illis Auditoribus,quos *prurientes auribus* vocat Apostolus; qui aures pascere,non animum volunt, dicta per vnam admittentes, per alteram effluere sinentes. *2.Tim.4.*

Psal.130. Nostis non plus mihi eloquentiæ esse, quàm pumici aquæ insit,meque *non ambulasse in magnis & in mirabilibus*:& quòd *sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,sed inostensione spiritus ac virtutis fuit.* *1.Cor.2.*

In primis verò rogatos vos velim, ne æditui facti persimiles,pretiosis illis gratiæ ac deuotionis peripetasmatis animos quibus hac durante festiuitate ipsas exornastis,spolietis ac denudetis.

Nolite sanctos hosce dies velut parenthesi includere,vt illis iam præteritis,prioris vitæ nostræ intermissam rationem resumatis.

Noli-

Nolite, ſerpentum inſtar idcirco virus euomuiſſe, vt ipſum deinde aſſumatis.

Aut nolite, ſicut baiuli viatores, idcirco iniquitatum onera pauliſper ſepoſuiſſe, vt eò commodius feſtorum paſchalium torrentem tranſiliretis, faſceque dein iterum humeros onerare.

Conciones & exhortationes, ad inſtar balneorum, vt laudem promereantur, abſtergere ſordes & eluere debent, veſtrâ itaque inconſtantiâ ne fiat, rogo, vt inutilis omnis ſit labor meus.

Commendatio demum hæc erit: Poſtquam etiam atque etiam vobis commendauero, vt pro reip, tum Eccleſiaſticæ tum Politicæ Rectoribus ac membris Deum rogaretis; iam per viſcera miſericordiæ Diuinæ vos adiuro, vt tria hæc vnicè cordi habeatis. IV.

Primũ, vt erga venerabile Euchariſtiæ Sacramentũ pietas veſtra & ardor increſcat. Ipſum Deus ipſe eſt, ſalutis noſtræ pignus, animæ noſtræ anima, pietatis noſtrę obiectum, religionis Chriſtianę cẽtrum, myſterium ineffabile, & diuinæ charitatis & bonitatis abyſſus. Ipſum ſacra noſtra arca, ac ſalutare noſtrum manna: ac pro ipſo ſicut pro aris ac focis, pugnandum. *Hæc ara tuebitur omnes.*

Poſt filium, magno cum affectu & matrem, Deiparam Virginem Mariam, colite, veneramini, vniceq; diligite. Ipſa Palladium & aſylum noſtrum, ciuitas noſtra refugij, ſtella noſtra maris, ipſa ſupremi Patris noſtri mater, ac proinde auia noſtra: quare filiali in ipſam amore feramur, cor ei exhibeamus filiale: ipſa deniq; noſtra ſit nutrix, tutrix & protectrix.

Tertiò, longam illam alterius vitæ, ad quam hæc, quæ nonniſi breuis quidam tranſitus eſt, conducit, æternitatem cogitemus, atq; identidẽ recogitemus; momẽtũ inquã illud, vnde æterna noſtra aut felicitas aut infelicitas dependet: ipſa curſus noſtri finis, collineationis noſtræ ſcopus, oceanus denique in quẽ

omnes

omnes actionum nostrarum fluuij influunt. Tandem aliquando, tandem ad illud veniendum nobis tempus est, quod finem non habebit.

An non contremiscitis, cùm vobis *magna* duntaxat *voce* inclamo, *Aeternum, æternum, magnum æternum*

Ceterum, carissime grex,

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum.

Ex animo te & maximo contentionis studio rogo, vt miseram animam meam apud misericordem Domini nostri Iesu Christi, qui noster est amor, bonitatem nunquam non commendetis, sicut ipse vicissim vobis sanctissimam intimamque illius benedictionem ex animo precor.

F I N I S.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN HAC QVADRAGESIMALI I. PARTE CONTENTARUM.

A

B.

C.

Cre-

Expo-

M.

N.

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS.

HO

D

EVCHA

HABITA

plo S. Me

Sa

Reuerendi

CAMV



CO

Apud Io

